

Rep.

31
21

~~Capitolo del cano~~
~~del P. cardinalico I cano.~~

11. 11. 11.
CR

T

12: 56.274

28



Iglesia Católica - Historia -
Obras anteriores a 1800

NA: 340557

FA/445

MARTINI
PEREZ DE AIALA

DE TRADITIONIBUS.

TOMUS I.



MARTINI
PEREZ DE AIALA
DE TRADITIONIBUS

Pérez de Ayala (Martin).
V^e en Espasa, t.º 43, p. 676

FA/145

DE DIVINIS, APOSTOLICIS
ATQUE ECCLESIASTICIS

TRADITIONIBUS,

DEQUE AUCTORITATE AC VI EARUM SACROSANCTA
ADSSERTIONES CEU LIBRI DECEM.

IN QUIBUS

FERE UNIVERSA ECCLESIAE ANTIQUITAS

CIRCA DOGMATA APOSTOLICA ORTHODOXE ELUCIDATUR.

AUCTORE

MARTINO PEREZIO AIALA,
ARCHIEPISCOPO VALENTINO.

TOMUS I.



SUPERIORUM PERMISSU.

VALENTIAE : EX OFFICINA BENEDICTI MONFORT.

ILLUSTRISSIMI ARCHIEP. TYPOGR. AN. MDCCLXXVI.)

DE DIVINIS, APOSTOLICIS

ATQUE ECCLESIASTICIS

TRADITIONIBUS

DEQUE AUCTORITATE AC VI EARUM SACROSANCTA

ADSSERTIONES CUI LIBRI DECIMUM

IN QUIBUS

FERE UNIVERSA ECCLESIAE ANTIQVAE

CIRCA DOCTRINA APOSTOLICA GENTIORUM HILITATA

AUCTORE


MARTINO PEREZIO AIALA

ARCHIEPISCOPO NALANIENSIS

TOMUS I.



SUPERIORUM PERMISSU



VALENTIAE: EX OFFICINA BENEDICTI MONTANI

ILLUSTRISIMI ARCHIEPISCOPI TYBOR. AN. MDCCCLXXV.



MARTINUS PEREZIUS DE AYALA
ARCHIEP. VALENT.

E. Monfort del. et sculp.

MARTINI PEREZII DE AIALA

ARCHIEPISCOPI VALENTINI

VITA.

§. I.

Praefatio.



Um multa, eaque praeclara continenter effulgeant apud Christianam Rempublicam exempla, quibus amantissima Dei procuratio in Ecclesia sua tuenda, ornandaque intelligi ab omnibus facile possit; clarissimum eius providentiae exemplar Hispania edidit saeculo decimo sexto Martinum Perezium Aiala, quem Deus quidem et Theologum eximium, et Pontificem pium, et Antistitem integerrimum dextera sua magnifice constituit, ut Catholicam Religionem eruditione sua ab hostibus exterius muniret, eandemque pulcherrima virtutum forma interius decoraret. Ea enim tempestate, qua Germaniam universam sus deque vertebat Martinus Lutherus, opportune in ipsum suscitavit Deus alterum Martinum, qui eius errores strenue profligaret, effrenatamque vivendi licentiam auctoritate sua comprimeret, et exemplo contineret. Ita-

A

que

que eruditioribus linguis Latina, Graeca, et Hebraica exquisite perpolitus, atque Theologicis disciplinis in primis excultus, nedum Hispaniam in regendis Ecclesiis Guadiensi, Segoviensi, et Valentina mirifice illustravit, sed et universae etiam Ecclesiae decorem longe lateque amplificavit, tum in Comitibus Wormatiensi, et Ratisbonensi, ubi cum Lutheranis acerrime fuerat congressus, tum Tridenti in Oecumenica Synodo, in qua pro fidei puritate, et sanctiori disciplina Apostolico robore decertavit, et invictum inter omnes Patres, planeque singularem se semper ostendit.

§. II.

Eius Nativitas, Patria, et Parentes.

Patriam habuit Martinus Securam in montanis ad longitudinem decem et octo graduum, et latitudinem triginta octo, Diaecesis Carthaginensis oppidum non ignobile ob Baetim inde erumpentem, et alterum ipsius nominis fluvium, qui proxime scaturiens feraciores Murciae campos ubertim irrigando regioni summam parit amaenitatem. Natus est autem anno quingentesimo quarto supra millesimum, sed moroso et difficili partu; quum enim oriri caepisset die undecima Novembris Martino Turo-nensi consecrata, Matre biduum laborante, et in vitae discrimen adducta, decima tertia tandem oriente Sole in

lucem editus est. Insita ei visa est in ardua quaeque pro-
 pensio quasi natura ad heroica omnia totus factus, et
 comparatus. Fuit quippe ingenio praestans, iudicio pol-
 lens, disertus, atque in primis laboriosus et patiens. Quam-
 quidem virtutis et continentiae egregiam indolem à ma-
 ioribus suis quoque divinitus accepisse una cum sangui-
 ne credebatur. Gens quippe *Aialensis* in Castellae vete-
 ris montanis nobilissima ab origine ultima regiae stirpis
 Gottorum descendens, uti ipse scripto exaratum reliquit,
 ac per diversas Hispaniae provincias in plures Domus
 propagata inclaruerat semper Magnatibus, et Heroibus
 faecunda ad usque Martini Parentem, qui ob graves
 inter cognatos querelas proprios lares deserere fuerat co-
 actus, Patria, et fortunis in perpetuum amissis. Quam-
 obrem profugus Securam pervenerat, ubi quadragenario
 maior cum Puella duodenni egregia illa quidem, et ex
 clarioribus earum regionum familiis *Bermudez* et *Negrete*
 nuptias mox celebravit. Serratoria paulo post combusta
 Machina, quam ex uxoris dote pro vita honeste degen-
 da Pater sibi comparaverat, atque inde recedens reda-
 cta est Mater cum Martino puerulo ad summam egesta-
 tem, qui ea de causa merito dicere potuerit: Suscitavit
 Deus de pulvere egenum, ut sedeat cum Principibus, et
 solium gloriae teneat.

Vitae Christianae Tirocinium.

Triduo à nativitate Ioannis Romani ministerio Baptismum ex more Ecclesiae suscepit Martinus, eo nomine tunc primum insignitus; qui quum à Matre pietatem, et fidei rudimenta una cum lacte suxisset, nondum quinquennio exacto Acolyti munia expeditissime obibat, latine legebat, et mira celeritate, quae tradebantur, accipiebat. Erat enim in puero praeter ingenii docilitatem tantus discendi ardor, ut vel in ea aetate somno, et cibis severe parceret, quo intensius et liberius litteris vacaret. Hinc nobilis apud conterraneos ferebatur, et tanta claritate explendescebat, ut viri quique prudentes facile coniicerent magnum coram Deo, et hominibus futurum puerum nihil puerile gerentem, sed supra aetatem et modum industrium, continentem, ingeniosum, Deo, et litteris unice deditum. Davidicos Psalmos memoriter recitare, divinasque laudes secundum Ecclesiae ritum summa suavitate oris, et vocis decantare in deliciis fuit ex Matris praescripto, cui et in omnibus parebat, et propter innocentiam carissimus erat. Decimum aetatis annum ingressus Hiestem contendit linguae Latinae praeceptis erudiendus, ubi Doctoribus Carthagera, et Mercado usus, brevi Nebrissensis Institutiones integras,
prout

prout ea ferebant tempora , memoriae commendavit; qua quidem diligentia aequales omnes anteire , et summum à praeceptoribus diligi existimabatur.

§. IV.

Patre orbatus Complutum Studiorum causa contendit.

HAC tempestate caedes inter consanguineos facta Patri crimini verti caepit ; aliaque infortunia contingere , quibus proprios lares mature deserere coactus in Larophagilim (*) Carthaginensis sinus Insulam ad Garsiam de Toletto se contulit , quin in posterum de eo quidquam certi fuerit cognitum , fama nunc pervulgante à Mauris captum , nunc praelio interemptum. Itaque Matre in egestate posita , et Parente orbatus adolescentulus omni-que hominum subsidio destitutus , ad victum sibi quandoque etiam Matri quaeritandum veluti alter Origenes compulsus est. Quae quidem calamitas non fregit eum , sed erexit potius. Quum enim inde intellexisset sine summa industria non posse eam extinguere , ardentius se dedit studio litterarum , quarum amore ineunte adolescentia Complutum demigravit ad Academiam tunc temporis recentem sed florentissimam , ubi sub Doctore Angulo talem sibi sermonis latini peritiam comparavit , ut
bre-

(*) Descensus in Insulam contigit anno 1510.

brevi inter Condiscipulos emineret, atque apud eas gentes illustraretur. Acrius autem ingenii nervos intendit, statim ac liberalium disciplinarum, Philosophiaeque studia complexus est. Cuius Praeceptor Encinasius Sophista percelebris subito capitur et adolescentis indole, et doctrina, et animi in primis firmitate. Nam cum Sacris Canonibus ediscendis addici filium vellet Mater, à cuius nutu ille hac vice tantum discessit, nihil ad victum, nihil ad vestitum, quo ita propositum mutaret, à suis suppeteretur. At rerum eiusmodi necessariarum inopia arctius in dies Martinum premente, non defuit animus, sed alacrior et robustior inter angustias ad exquisitam subtilium disciplinarum cognitionem contendebat.

§. V.

Equestrem S. Iacobi Ordinem complectitur.

Inter eiusmodi angustias de stabilienda vitae ratione annum agens vigesimum serio cogitare caepit. Incertus quid ipsi optimum foret: hinc enim vitae socialis comoda sub honestissimis conditionibus saepius oblata animum iuvenis quodammodo pertentare videbantur; illinc monachalis vitae excellentia acrius mentem accendebat sublimem. At amor in Matrem singularis, quo ad eius inopiam sublevandam ferebatur, utrique proposito ob-

sistebat. Quamobrem ut pietati erga carissimam Matrem consuleret, et Deo altius vocanti responderet, de sua electione securus Equestrem S. Iacobi Ordinem in Uclesiana Domino decimo septimo Calendas Augusti anno quingentesimo, vigesimo quinto supra millesimum devotissime amplexus est. Itaque Deo in hunc modum consecratus admirabile vitae genus instituit, quasi ab ipso tirocinio clarissimum virtutum omnium Christianarum exemplar inclaruerit. Nam caelestium rerum contemplationi addictus noctes plerumque ducebat insomnes: utque divinis afflatibus paratior animus fieret, carnem flagellis, cilicio, ieiuniis subactam spiritui ex integro subiicere conabatur, in se ad vivum exprimens, et praeclara Petri Alphonsi exempla renovans, qui maximam pietatis, et continentiae existimationem relinquens eo in Conventu venerabilis Antistes nuper decesserat. At invidia, quae virtuti semper detrectat, suis artibus innocentem saevissime lacerare aggreditur, explicuitque virus suum cum Montalvanensis Vice-Praefectura conferenda esset, in qua quidem electione contra ea, quae Praeses cupide optaverat, suffragium suum iure suo utens libere detulerat. Ea de causa quamquam diversis coloribus caepit Praeses severe in Martinum animadvertere, eumque per triennium ita

exercuit , ut tetro etiam carceri , ac vinculis tantum virum mancipare non dubitaverit.

§. VI.

Salmanticam , et Complutum Studiorum causa mittitur.

Tot malis aequo animo superatis longe alia rerum facies elapso triennio ibidem eluxit ; eius enim Praefecturae successerat humanissimus homo iuxta ac prudens , cuius opera et ductu Salmanticam Studiorum causa mittitur Martinus , ibique in Collegio Ordinis , ubi Legionenses cum Uclesianis morabantur , Franciscum de Victoria , Theologicam D. Thomae Summam ingenti plausu interpretantem , per annum audivit , donec ob domesticas obtre ctationes , ac Domus incommoda Complutum demigrare cogitur ad ann. MDXXIX. Inclaruerat ea tempestate Magisterium Ioannis Medinae peracuti Scholastici ; apud quem quum triennium profecisset , summos tandem Academiae honores , principemque locum obtinuit , ea quidem ingenii , doctrinae , ac virtutis existimatione , ut illico renuntiatus sit communi omnium acclamatione Collegii Rector et Matheseos ac Philosophiae publicus Moderator. Tantus doctrinarum splendor intra unius Gymnasii fines diu contineri non poterat , quin subito per universas Hispaniae Provincias gloriosissime

per-

pervolaret. Itaque Granatam mox accitus est ab eius Antistite clarissimo Gaspare de Avalos ad Academiam nuper ab eo institutam, in qua tradendae Philosophiae honesto honorario praeficitur. In Aristotelis lectione apprime versatus praecipua doctrinae capita ex trina D. Thomae, Scoti, et Gabrielis Schola, subtilesque insuper disputationes, quae tunc in pretio ferebantur non sine deploranda ingeniorum iactura, in unum collegit quasi elementorum corpus, in lucem publicam olim emissum; quibus elementis auditores suos informandos summa diligentia curavit. Interea theologicis disciplinis, quarum amore, ac desiderio magis magisque in dies accendebatur, insignem navavit operam, decoratusque est sub finem septimi lustri supremo eius facultatis Magisterio, Academia, Urbe, ac Theologia ipsa de tanto Doctore sibi invicem plaudentibus ac gratulantibus.

§. VII.

Episcopo Giennensi Theologus adhaeret, quem Tridentum euntem comitatur.

His exercitamentis Academicis tamquam velitationibus, priusquam in aciem contra Religionis nostrae hostes prodiret, ingenii vires mirifice adauxit, mentemque omni doctrinarum apparatu instructam expolivit. At cum ni-

mio animi impetu in ea studia contenderet, valetudinis detrimenta crebro experiri caepit. Id quod in causa fuit, cur temporariis eiusmodi docendi muneribus valedicere decreverit, cum à Francisco de Mendoza ex Marchionibus de Mondexar, nuper Giennensi Episcopo designato, invitaretur, Theologi honore ab eo cohonestatus. Invisit etiam eius auctoritate Diaecesim illam tanta prudentia, et integritate, ut futuri inde Episcopatus et indicia prae-buerit manifesta, et specimina praeclara: quippe qui in eo munere sancte ministrando graves iniurias à pravis hominibus homini iusto illatas et patientissime tulerit, et paterna caritate condonaverit. Quae tamen omnia levia videri poterunt, si cum iis quae dicenda iam iam imminent conferantur. Vocaverat Paullus III Ecclesiae Catholicae Antistites Oecumenicam Synodum Tridenti celebraturos ad haereses tunc pullulantes profligandas, moresque Christianorum corrigendos. Carolus Caesar, quamquam illud opus omnium cupidissime efflagitaverat, tamen animadvertens, id tum perturbata Republica tuto expediri non posse, tandiu procrastinandum censuerat, quandiu Gallos tumultuantes comprimeret, ac Cliviensem Ducem ad meliorem mentem redigeret. Ea de causa tres dumtaxat ex universa Hispania Praesules ad Concilium dimiserat Giennensem nempe, ac Martinum ab Urea

Seguntinum una cum Gaspare de Avalos iam Compostellano. Igitur Patronum cum Caesare in Italiam et Germaniam demigrantem libentissime comitatur Aiala, qui cum navem ascendisset Rhodis in Cathalaunia tertio Pentecostes festo anno eius saeculi quadragesimo tertio, elapsis decem diebus, Genuam appulit cum classe Regia; inde Italia traiecta Tridentum feliciter pervenit. Aderat ibi Cardinalis Moronus Romanae Sedis Legatus Concilium iam iam aperturus, ni memorati Antistites constanter ei de inceptu restitissent usque dum Caesar iniurias Maiestati eius illatas pro dignitate vindicaret, atque Reipublicae tranquillitatem undequaque stabiliret. Quamobrem in finem anni quadragesimi quinti Synodus est producta.

§. VIII.

Lovanio ad Congressum VVormatiensem, mox ad Ratisbonensem mittitur.

Iraque profecto Caesare ad susceptum bellum conficiendum, ipsumque comitante Giennensi, veniam ab eo interim Martinus obtinet Lovanium demigrandi, Christianae sapientiae studiis in eo sacrarum doctrinarum domicilio impensius vacaturus; quem ille diem votis omnibus iam pridem exoptaverat tamquam

omnium vitae suae felicissimum. Igitur extremo anno has Belgiorum, totiusque Germaniae Athenas alacriter ingressus, Collegioque Liliensi ob pauperem censum convictor adscriptus talem studiorum rationem iniit, quae ad summum Theologum perficiendum maxime idonea videbatur. Prius namque Graecarum, Hebraicarumque litterarum exquisita cognitione excultus, Patres, Antiquitatis Ecclesiasticae testes, eximiosque divini Verbi Interpretes, nocturna versabat manu diurnaque. Inde doctissimorum eius Academiae hominum frequentia, et luminibus ornatus incredibilem sibi doctrinae Catholicae ac disciplinae Ecclesiasticae eruditionem comparavit; unde contigit, ut merito ille unus inter principes eius saeculi Theologos celebraretur; cum gravia interea et crebra tulisset incommoda, et ob duram caeli temperiem valetudini eius valde infensam, et ob rei familiaris extremas pene angustias, quas frequentius patiebatur, postquam Neomagi è vivis excesserat Giennensis eius carissimus Patronus. Increscentibus in dies Germanorum motibus ac querelis indixerat Caesar congressum Wormatiae habendum, quo nostris exhiberent A catholici certam doctrinae suae rationem ac tesseram. Eo in congressu disputante Martino à Caesare delecto pro maiorum religione tuenda una cum altero Lovaniensi Theologo, bi-

nis item Coloniensibus, totidemque ex Sorbona Doctoribus, nihilque ob ambigua et lubrica Haereticorum sensa concludentibus, colloquium sequenti anno quadragésimo sexto Tiberii Augustae propter eandem causam denuntiatum est. At incassum omnino contra perversos callidosque homines plerumque à ratione devios iterato disputatum, quamquam iidem Theologi et doctrina, et ingenio praestantissimi ipsos omni rationum pondere premerent, urgerentque, muniti insuper Granvelae Caesarei administri prudentia, et Caroli Augusti auctoritate: potentia et armis agendum fuit. A Caesare quippe defecerant Protestantes, et excussa maiorum Religione bellum undique in ipsum foederati paraverant.

§. IX.

Antuerpiam nobile opus de Traditionibus elaboraturus secedit.

USu rerum edoctus Martinus miras Haereticorum, quos disputando exagitaverat latebras, eorumque varias fallendi artes animo suo secum volvens, opus moliebatur, quo eos omnes, etsi tam diversa sentientes, uno quasi ictu conficeret. Quod ut commodius elucubraret, ab armorum strepitu secedens, Antuerpiae opportunum otium sibi quaerendum existimavit. Ibi resistens, ne alio unquam

quam animus avocaretur, de tenui victu sibi in tanta rerum caritate providit Paulli epistolas apud quosdam Monachos interpretando. Cogitata perfecturus ad Verbi Divini sive ore, sive scripto posteris traditi auctoritatem vindicandam manus admovit. Probe namque intellexerat peracutus Theologus Protestantes in tot errores prolapsos, quod vim verbo Dei omnem adimerent, arbitrato suo superbe Scripturas dimetiendo, Ecclesiae ac Maiorum Magisterio penitus reiecto. Noverat quoque ingenio suo Novatorum haereses hydrae quam simillimas singillatim non esse impetendas, quum una rescisa centum inde oriri viderentur. Adeoque compendiaria utendum via ad monstrum illud debellandum. Quamobrem in id totus incubuit, ut demonstraret verbi Dei depositum non in atramento aut cortice litterarum esse sed in perenni ac vivo Ecclesiae magisterio quasi in suo sinu custodiri, inde fidelibus per Antistites sacros tamquam Christi Vicarios, et Apostolorum successores communicandum; ut ita per traditionem eorum certo certius habeatur, et quinam sint genuini, et divinitus afflati codices, et quisnam verus ac legitimus dicatur sanctarum Scripturarum sensus, et quaenam sint illa etiam dogmata non per Scripturam sed per traditionem à Christo et Apostolis divinitus commendata eiusdem tamen ponderis et auctoritatis, ac si

ab Scriptore Theopnusto litteris elucerent exarata. Catholicum hoc aedificium, à nemine antea excogitatum, perfectum absolutumque posteris reliquit Aiala eo titulo: *De Divinis, Apostolicis, atque Ecclesiasticis Traditionibus* decoratum. Quod à Theologis susceptum est tamquam praesentissimum omnium haeresum iugulum, nobile religionis monumentum, Theologiaeque ipsius triumphus cum paucis comparandus. Immensam molem hanc pro Religionis causa ille agitans labore in multam noctem producto in pervigilio oblationis Iesu in templo discit à famulo sibi nihil reliqui pro refectiuncula ne ad modicum quidem vini superesse. Quamquam id illi nec novum, nec infrequens, caepit tamen tum solito tristior prae animi moerore deficere, ac Deum non sine lachrimis deprecari. Inter eiusmodi angustias decumbenti obicitur ei per somnium species quaedam muliebris angustior, et humana maior, quae ut ipsum per magnificas aureasque aedes manuduxerat, ore placidissimo haec protulit: *Nolito moereri, Martine; nulla in posterum premeris inopia.* Ex eventu cognitum est somnium à Deo immissum ad futuram veritatem significandam. Illico enim mane post rem divinam peractam humanissimas ab Equite ipsi ignoto accepit litteras centum aureorum dono cumulatas. Intra hunc etiam diem ab Amicis intellexit se ab Impe-

ra-

ratore Carthaginensem Episcopum designari. Qua fama increscente Imperatorem convenire voluit Traiectumque superum, ubi morabatur, contendit. At novis in Hispania accedentibus rebus, priusquam Caesarea promulgaretur nominatio, memoratae Ecclesiae regendae praeficitur Franciscus Almeida Lusitanus fere invito Carolo, qui in Martinum summa deinde voluntate propendere visus est.

§. X.

Tridentum ad Concilium Regius Theologus à Caesare mittitur.

DECERTANDUM iam erat cum Lutheranis qui ad Istrum magno numero adversus Catholicos properabant. Caesar in aciem descendit prope Ingolstadium, publicamque Religionis et Imperii causam strenue, ac feliciter prosequutus est. Quo in itinere cum Caesarem Martinus comitaretur, Tridentum ab eo Regius Theologus dato tempore dimittitur. Synodo adfuit dum de iustificatione disputaretur ad Catholica ea de re asserenda dogmata. Assertio autem haec tanti ponderis existimabatur, ut inde exultare, et quas triumphum ducere sibi gloriarentur adversus Catholicos Lutherani. Quare lente in Canonibus condendis, ac tam difficili causa concludenda progrediendum sollicite commendaverat Caesar, quum ab eius Oratore rescivisset controversiam illam urgentibus

Legatis Pontificiis iam iam ad exitum immature properare. Caesaris tamen officiis parum proficientibus Orator Didacus Mendoza totum negotium aperit Martino, qui in proximiori congregatione sub finem Septembris habita tanta verborum copia, et rationum pondere coram Patribus disseruit, ut eo audito materies illa rudis adhuc omnibus ac indigesta existimaretur, et ab exordio subtrutinam revocanda; qua quidem via Sessio imminens fere sex mensibus producta est, et ad Quadragesimam usque propagata. Hinc summam eius doctrinam, et eloquentiam adeo suspexere Patres universi; ut sententiam et consilium eius deinceps exquirere et adhibere aequissimum duxerint. Praeclarius vero in omnium oculos incurrit tantae sapientiae splendor, ubi Scripandi opinio de necessario caritatis imperio ad vitam aeternam promerendam gnaviter vindicata fuit à notis, quibus inscite ab aliquibus inurebatur. Statim enim ac ille hanc causam oravit, universi assentientes doctrinae ac Auctori pristinum honorem merito detulere. Post haec Concilium diem ex die prolatum, nihil nisi de dimissione aut translatione cogitare plures videbantur. Cum ecce Clarissimus Mendoza ad Romanam Legationem à Caesare promotus, Martinum Italiam peragrando, et Romam invisendi cupidum non minus consiliorum, quam itinerum soccium

et comitem adscivit. Ambo igitur Hispani aetate aequales, prudentia, doctrina, et litterarum gloria pares, Venetiis, Flaminia, Etruria, ac Latio perlustratis Urbem subeunt ad Pascha anni quadragesimi septimi ab incredibili omnium ex omni ordine frequentia splendide atque magnifice excepti. Miratus ille Urbem per quadraginta dies, quum nuntius interea hilaris exiisset, Lutheranos ab Imperatore ad Albim fractos, fugatosque, captumque Saxoniae Ducem Federicum, Reipublicae facies ea victoria multo aliter versa, et mutata est. Quippe Tridentum celerrime regressus Aiala, Concilium solutum deprehendit, Bononiam propediem transferendum sub morbi pestilentis colore, quo eam Germanorum Urbem laborare imbecilles quidam passim dictitabant. Quorum mentem et Concilii exitum aegre hic tulit, multaque conquestus minime acquievit, donec Augustam Vindellicorum profectus, quae gesta erant Caesari exponit. In tanta rerum perturbatione, Catholicis inter se divisus, Lutheranisque de illis diffidentibus diu multumque à Caesare de pacanda Germania deliberatum, donec tandem decrevit, ut nihil interim de prisca Religione innovarent Protestantes, usque dum eorum causa, doctrina, et querelae libere in Concilio denuo in eundo iure tandem agerentur, finirenturque. At indul-

gen-

gentia, qua homines non omnino pessimi continentur, Lutherani tumultuari, et ferocius in Catholicos invehi caeperunt.

§. XI.

Ecclesiae Guadixiensis renuntiatur Episcopus.

Tot aerumnis, itineribus, vigiliis, laboribus pro Ecclesia Catholica à Martino exactis; fideque sua in maximis rebus Caesari probata, ad Accitanam regendam Ecclesiam invitus ab eo deligitur Idibus Aprilis anno quadragésimo octavo. Quam ille dignitatem numquam ab eo quaesitam biduum cunctatus, divino demum fretus auxilio suscipiens, rem gratissimam omnibus bonis facere visus est, in primis autem Imperatori, qui palam testatus est, et Pontifici etiam Maximo significavit, quanti huius Viri plane Apostolici virtutes haberet atque doctrinam, tum et in Catholicam Religionem promerita. Quibus de caussis graviorique Martini scrupulo actus apud Romanam Curiam contendit, ut diplomata Pontificia ad Episcopatum illum capessendum in tanti Viri gratiam gratis expedirentur: Irrito id tamen conatu. Dum haec agerentur Chrysopolim, mox Coloniam aurei sui de *Traditionibus* operis editionem curaturus excurrit. Quas quidem curas etsi valde opportunas brevi deserere, ac alteri committere cogitur, Tridentum ad sedem illam

Conciliū, iubente Imperatore, tertio accessurus. Eo delatus experimento comprobavit, quod acute iam intellexerat, Synodum videlicet specie quidem Bononiam translata, sed re vera nec Bononiae, nec Tridenti ququam eius superesse praeter nudum nomen et inanem umbram. Quo factum est, ut veniam ad Ecclesiam suam adeundi saepius ac enixe petitam nactus, Mediolanum se conferret, ubi Pontificias litteras pro adeundo Episcopatu suscepit. Quo dignius Apostolicum onus subiret à curis omnibus secedens, totum se Deo, sacrarum litterarum lectioni, ac expiandae animae penitus tradidit; ibique caelestibus donis divinitus exornatum fuisse ipse de se fatetur, atque in primis quod per visum Beati Ambrosii, quem ille sibi Patronum optaverat, colloquio dignatus sit; qui duo inter alia ad novum ministerium sancte obeundum praemonuit; Christianam scilicet tam in corporis cultu, quam in animi affectionibus temperantiam, et invictam in Ecclesiasticis negotiis peragendis libertatem. Quae quidem monita, quam ille diligenter adimpleverit, in posterum patescet. Extremo igitur Septembris die ad eam sollemnitatem stata in Basilica Ambrosiana ab eius Archiepiscopo Annibaldo Episcopis Leodiensi, et Urgellitano sibi assistentibus in Pontificem Gaudixiensem rite consecratur inter innumerabiles populi plau-

sus coram Ferdinando Gonzaga summo eius ditionis Praefecto , qui eo die Antistites apud se lepido nitidoque convivio cohonestavit.

§. XII.

De reditu in Hispaniam, et Episcopatus initiis.

Bellum ea tempestate imminebat Imperatorem inter et Henricum Galliae Regem , quapropter animadvertens Aiala , quo in periculo essent terrestria itinera Classem Regiam , quae Philippum Hispaniarum Principem adducebat , Genuae opperiri constituit. Diutius quam optaverat ibidem moratus , medio Decembri Praetoriam navem , cui praererat Bernardinus à Toledo conscendens, mari ac laboribus fractus , anno sequenti Peninsulam, pulcherrimam Valentinae Orae Urbem , appulit. Hinc Valentiam concessit , ut cum sanctissimo Praesule Thoma de Villanova consilia conferret sua ad Mauros neophitos de Religione Christiana rite erudiendos , quorum fides valde illi lubrica et vacillans videbatur , mores autem toto Caelo à Christianis dissiti. At cum ab eo cognovisset id oneris quibusdam Quaesitoribus Apostolica auctoritate commissum , iter proseguutus , Hieste apud carissimam Matrem infirma valetudine utentem , pristinae pietatis cultor eximius sex diebus resedit. Hinc tandem in Ecclesiam suam aetatis anno quadagesimo quinto ex-

acto IV. Nonas Februarii singulari omnium laetitia, et acclamatione ab universo Clero, Magistratu, et Nobilitate ipsum comitantibus deductus est. Pro hac sua pulcherrima et illustri sponsa exornanda non modo curas omnes, sed se ipsum etiam libentissime superimpendit. Ecclesiasticae namque libertatis acerrimus Vindex Episcopalia iura misere violata et confusa, quod triennium Pastore vacaverat, Imperatoris quoque auctoritate munitus in pristinam dignitatem restituit. Basensem ditionem ab Ecclesia Guadixiensi olim distractam adversus conatus et operam Antistitis Toletani Ioannis Silicaei, qui plurimum apud omnes gratia valebat, Ecclesiae suae redintegavit, parique studio plures alios proventus contra ius et aequum abalienatos refecit. Sed praecipuam in eo adhibuit operam, ut Clerum suum secundum Ecclesiae Canones componeret, depravatosque plebis mores reformaret; qua in re mirum quantum omnibus qua exemplo, qua monitis, qua auctoritate profecerit. In plures animadvertere cogitur, quo cuiuslibet ordinis potestas intra suos limites contineretur; quamquam ea de causa improborum odia et obtrectiones initio subire non dubitaverit. Mox enim singulari prudentia, et bonitate, sic eorum acerbicatem temperavit, et in saniores mentes inflexit; ut et sibi valde consulerent, et aliis essent exem-

exemplo. Proprium igitur pastoralis eius sollicitudinis fuit, ut inde quisque ministerio sibi iniuncto se ipso inservierit, optimum regimen in Ecclesiis viguerit, ac prisca disciplina instaurata, moresque in melius fuerint commutati non in Urbe solum, sed per universam Accitanam Diaecesim, quam bonus Pastor sedulo invisens, ac amantissime fovens veluti de novo ab se conditam mirum in modum illustraverat.

§. XIII.

Concilio Tridentino instaurato Pontifex Guadixiensis assidet.

PACATA Germania ineunte anno quinquagesimo primo rursus ad Concilium à Paulo III. instauratum Martino redeundum, Caesare iubente, et urgente. Quo in itinere quae incommoda, quas aerumnas à Gallis ei insidiantibus, et ab haereticis in vitam eius multa molientibus perpressus sit, in longum Oratio flueret, si vel per summa capita id esset enarrandum. Illud praetereundum non est, quod Salsusis circumventus à Sicariis, et Narbonam deductus in custodiam sub variis coloribus arctissime detinetur, quousque exacto mense, litterisque Galliarum Regi ab Imperatore datis abire iubetur. Eo eductus novas tamen veritus insidias, mutatis vestibibus, ac veredis conscendens, incitata equitatione quatri duo Pedemontium inde pervenit, ubi apud nostrates et Alexandriae, et

Mediolani viribus reffectus, Tridentum Idibus Maii adventavit. Aderant iam Crescentius Cardinalis Legatus, duoque Romani Praesides una cum quadraginta Episcopis, atque accedentibus confestim tribus Archiepiscopis Electoribus, diu intermissum opus resumitur, fervet Concilium, Patres accenduntur, Octobri et Novembri binae celebrantur Sessiones de Eucharistia una, de Poenitentia altera, in quibus elucidandis egregiam navavit operam Martinus una cum Episcopo Mutinensi Aegidio Foscarino à Cardinali Crescentio ad id muneris deputatus. Qui cum aegre ferret mutationem quamdam à Legato appositam, ubi de gravioribus criminibus Papae iudicio unice reservandis sermo inciderat, iterum ab eo ad proximam de Ordine Sessionem elucubrandam designatus, munus demandatum constanter recusavit. Rebus ad exitum progredientibus, ubi de potestate Episcoporum fuerat decernendum, divinus ille spiritus, qui omnia ad maiorem Ecclesiae utilitatem providet, ac Synodo continenter adest, Antistitem hunc sibi singulariter delegisse videtur, cuius opera controversia illa iam ad articulum properans, rursus ad incudem adversus plurimorum propositum ab exordio revocaretur. Ministerio namque Oratoris Francisci de Toletò Caesarem et admonuit, et copiose erudivit quam doctrinam ea in causa Ecclesia Catho-

tho-

tholica semper tenuerit. Multa tunc egit, tulit plurima pro divina Episcoporum auctoritate confirmanda, quod quidem gravissimum negotium ipse ab initio praecipue sustinuit, eique deinde accedentibus Granatensi et Braccarenensi ad optatam metam feliciter perduxit non sine magno Concilii honore, et Ecclesiae emolumento. Pontificio Legato mox aegrotante ac vita functo, et Mauricio Duce in Caesarem armato, rursus Concilii filum abruptendum Patribus visum est. Dissidentibus autem illis an suspendendum, an prorogandum ad certum tempus esset, atque alteram hanc sententiam duodecim dumtaxat Patribus, quorum princeps erat Guadixiensis, propugnantis, vicit tandem paucorum Sapientia multitudinis opinionem. Nam quum hic scripto suo, in quo reclamavit, causas erudite simul ac modeste Patribus in Congregatione decimo Calendas Maii aperuisset, finierunt tandem sollemniter in Sessione post sex dies celebrata, Synodum illam ad biennium prorogatam, quo expleto ea in pristinam auctoritatem, et vigorem restituta existimaretur. Quamvis Sessioni memoratae non adessent Praesules Hispani, quorum viginti biduo antea Tridento demigraverant.

Guadixam denuo adverso mari revertitur.

Cum ad reditum in Hispaniam sese Mediolani pararet, lenta feбри, ac doloribus colicis correptus graviter decubuit. Morbo ingravescente, etsi ob caeli salubritatem Ticinum delatus, nullum levamen experiebatur, donec de eius sententia Medicis valde perplexis vena incisa est. Valetudine non bene confirmata extremo Novembri periculoso mari sese committere decrevit, una cum quatuordecim Praesulibus, qui Genuae quatuor naves ad tractum illum conficiendum instruxerant; quum Gallias bello clausas deprehendissent. Vix in altum deductos valida tempestas subito coorta diu multumque eos cum vexasset, gubernaculo velisque confractis, ac deposita sarcina in Corcyram primum, mox in Sardiniam impulit. Hic quum per novem dies vires, navesque refecissent, postremo solventes, ecce gravior procella saevire caepit, classemque inter imbrem et fluctus tanto impetu agitare, ut nulla evadendi spes reliqua superesset, ni Deus beneficio singulari tot Ecclesiae Proceres ab imminente exitio eruere providisset. Igitur à conspectu Minoricae in pelagus iterum turbine eiecti, inter Maioricam et Ebussum aer serenus iam illucescere videbatur, quare In-

sulam hanc appellere conantur. Sed mox intumescenti-
 bus ventis ad rupes circiter oram crebras adducti eo tem-
 pore, quo nox atra ingruebat, è scopulo in scopulum
 allidentes, navi proinde confracta, in terram tandem
 salvi, et integri prodigio quodam insiluerunt. Hinc ad
 continentem usque brevis admodum supererat traiectus,
 at in eo conficiendo iterum, atque iterum furentibus flu-
 ctibus repulsi, ac per totum Sucronensem sinum acti
 patrium litus tandiu quaesitum, superatis tot periculis,
 non longe ab Orospea contigere. Oppidani autem alio-
 qui magnanimi propter intempestam noctis horam ini-
 tio eos fugitare, arma parare, ac veluti hostes vereri vi-
 si sunt, rei tamen veritatem experti apud Ludovicum à
 Cervelione, cuius erat Oppidum, hospites illustres illu-
 stri hospitio accepti sunt. Martinus Valentiam deporta-
 tus cum Archiepiscopo Thoma de Villanova moribus, et
 amicitia ipsi coniunctissimo in urbe, et aula, quam il-
 li Deus futuram tamquam laborum suorum metam, et
 meritorum coronam praenuntiabat, per aliquot dies com-
 morari voluit, et acquiescere. Reliquum itineris quinque
 dierum spatium ad Diaecesim suam usque confecit, ubi
 anno quinquagesimo tertio sub finem Ianuarii innumera
 terra marique emmensa pericula redux in modum trium-
 phi à suis receptus est novus hic Athanasius.

Diaecesim perlustrat, eiusque regimen Synodo celebrata confirmat.

AMORE in gregem pascendum, et recreandum ardentissime inflammatus hic Praesul, caelestique spiritu sollicitudinem suam intus agitante, ac si extra carnem viveret, labores et negotia numquam intermittebat, aut animum relaxabat. Quapropter sine mora post reditum in Diaecesim universam invisendam sedulo incumbit, singulasque Ecclesias omni diligentia hoc ipso anno perlustrat, quo melius oves suas bonus Pastor agnoscat, informetque, idemque invicem á suis cognoscatur. Ut autem ea quae emendanda videbantur, et in melius reformanda, stabilitatem ac usum á consensu multitudinis sortirentur, Synodum novo anno ineunte celebrare decrevit. Ad quam quidem confluxere universi Parochi, pluresque usu rerum periti tum Theologi, tum Iureconsulti. Capitula Ecclesiarum nimia fiducia contenderant è iure suo esse Synodis assidere, atque suffragium in eis ferre. Irrito tamen conatu: quippe iudicio ab ea petitione repelluntur. Hinc Synodus VIII Calendas Februarias quum exordium suum vidisset, viginti diebus opitulante Deo ad finem feliciter fuit perducta. At qui à ferendo suffragio reiecti fuerant animo infensi, ira et odio in

Praesulem exarsere, ex iudicio in iudicium Synodum pertraxere, coitiones fecere, uno verbo nihil intentatum reliquere ad sanctiones eius infringendas, totamque Synodum sus deque vertendam. Inter eiusmodi turbines Martini mens immota, animus constans, ac divina quaedam intus de futura victoria praesensio ac pollicitatio. Contigit quippe, ut improborum molitiones et artes, cognita rei veritate, in fumum et auras abierint, ac Synodalia statuta in lucem edita vi sua pollerent, atque usu etiam et moribus confirmarentur. Neque solum ea aetas, aut regio, sed et subsequenda quoque saecula, ac universae Hispaniarum Diaeceses magnum inde emolumentum perceperunt. Eoque Concilio praecipue usi sunt Successores in Sacerdotio illo recte administrando. Munivit quoque Ecclesiam Primariam sapientissimis Ordinationibus domestico regimini valde accommodatis, quibus innumerae lites, et consueta dissidia de cetero praeciderentur. Graves sane obiectae ei difficultates, ne debitam sanctiones illae executionem sortirentur, quas ille patientia, consilio, industria, integritate omnes superavit. Quibus in hunc modum stabilitis Rex Philippus in Angliam profecturus demandaverat, ut Granatam concederet, quo sanctimonialium Monasterium de Regio Patronatu auctoritate sua inviseret, et reformaret. Quod ille munus

singulari prudentia obivit, malorumque caussis penitus eradicatis, canonicam disciplinam restituit, pacemque venerabili Monasterio conciliavit.

§. XVI.

Uclesium contendit, sacras litteras ex textu primigenio interpretatur, ac pro Ecclesiae suae Decimis pugnat.

Post haec ab Uclesianis Sodalibus accersitus ad quaedam negotia in Dei honorem et clarissimi Ordinis incrementum peragenda eo convolat; ubi cum per tres menses in carissima Domo commoratus esset, prospere adeo cuncta cessere, ut gratia, quam illis debebat cumulate hinc reddita intelligeretur. Mox Accim reversus litium semina, quae quandoque pullulabant, et male affectorum hominum captiones cupiens penitus convelle- re, consilio duorum ex Clero seniorum adhaerens, pu- blicas primum pro Ecclesiae pace indixit preces; dein- de animadvertens severiorem disciplinam cum deteriori temporum conditione componi non posse, paullulum de suo iure remisit, atque communibus votis de iis, quae sub controversia adhuc pendere videbantur, amice inter omnes conventum est. Mitem hanc modestamque sol- liciti Pastoris mentem Deo caram et acceptam fuisse in- de facile coniicitur, quod dissidiis omnino extinctis per

universam Guadixiensem regionem mutua animorum concordia, accurata morum disciplina, et Canonum custodia in posterum vigere ac mirum in modum florescere viderentur. His curis, ac negotiis solutus, opportunitatem illam sibi divinitus concessam existimans, de sacrarum litterarum studio instaurando altius cogitavit, quo Ecclesiae Catholicae fieret vel maxime salutaris. Quam Spartam ut decenter ornaret Gorem amoenissimum Accitanae Regionis locum secessit, ubi adhibitis duobus peritissimis Rabbini Christianam Religionem profitentibus vetus Testamentum secundum Hebraicos fontes nocturna diurnaque manu versabat. Hinc consultis singulari diligentia Grammaticorum Canonibus, et Paraphrasi Caldaica in germana sacrorum verborum sensa penitius inquisivit. His vigiliis iugi precatione munitis ac biennium sine intermissione exactis in interiores Divinorum Bibliorum aditus summus hic Theologus penetraverat. Unde iterum animus ad negotia convertendus, Ecclesiae suae, et Pauperum patrimonium impigre vindicaturus. Vetus agitabatur controversia Praesules inter Accitanos, et Marchiones de Cenete, qui Ecclesiasticas eius ditionis decimas Pontificio innixi rescripto percipiebant; quam quidem gratiam immodicam, et veluti subreptitiam rescindendam apud Regiam Granatensem Curiam

riam Accitani conquerebantur. Ut tanti ponderis litem acrius persequeretur Martinus, extremamque manum operi imponeret, eo accedere voluit, qui totam causam perpensus et Causidicorum seu potius rabularum imperitiam aspiciens, opusculum elucubravit, ubi Ecclesiarum iura nervose, ac erudite prosecutus, conclusit tandem Decimarum alienationes perpetuo laicis à Papa tributas cum grano salis esse intelligendas, quandoque etiam reformandas. Libellum summis laudibus excepere Iudices; causa nihilo secius cum ob summam rei difficultatem, tum ob Marchionis suorumque auctoritatem morari, ex uno in aliud iudicium adduci, ac tardius procedere visa est. Quibus perspectis post tos labores et molestias incassum toleratas inceptum penitus deseruit.

§. XVII.

Toletum à Rege vocatus proficiscitur.

Domum vix regressus, ecce Tabellarius qui eum à Rege venerat Toletum accersitum. Imperata celeriter facturus illiacis doloribus sentit se impetitur, quorum vi adeo cruciatur, ut nulla medicina lenirentur, donec ad pedes humor submotus acerrimos podagrae morsus caepit experiri. Quo ex articulari morbo post multam patientiam aliquanto recreatus, quum res suas tam domi quam fo-

foris , ac si numquam esset rediturus , ordinasset , decimo Calendas Februarii anno sexagesimo Acci profectus lectica post decem itineris dies Toletum ad Regem pervenit , à quo honorificentissime excipitur homo multi consilii et optimi. Inter alia gravissima negotia , quae fidei suae prudentissimus Rex demandavit , placuit etiam , ut Supremum Ordinum Senatum veluti Regius Censor inspiceret , quo abusus , si qui forte ibi humanitus irreperant , emendarentur. Provinciam suscepit Martinus iniunctam , aleae et periculi plenam ; at ea , qua praeditus erat , sollertia , usus ; cum diligenter in singula quaeque inquisivisset , nedum quae cuique potissima , verum quae universo etiam Senatui administrando optima se deprehendisse intellexit. Quapropter ut inceptum illud perficeretur , Acta Regi detulit integerrimus Inspector , simul quae ad maiorem Sanctioris Consilii decorem cogitaverat , candide ac fideliter ipsi aperuit. Interea summus illius Ordinis moderator , qui alio respiciebat , Sacratissimum munus commodo suo privato praepostere inservire cupiens , multa in fidum Praesulem molitur , agitque multa , quo Acta eius aut penitus rescindantur , aut saltem perpetuo abeant in oblivionem. Sicque profuturum omnibus opus unius improbitate labefactaretur. At Rex sapientissimus , qui Martini iudicium , fidem et integri-

tatem optime noverat, rerum veritate perspecta etsi clementia in Praesidem, sibi que sociatos uti voluit, tamen in nonnullos animadvertit, ac plura ex his, quae aut de novo inducenda, aut ex gravissimo consessu penitus eliminanda aequissimus Censor existimaverat, in posterum ad unguem servanda et adimplenda severe praecepit.

§. XVIII.

Ad Episcopatum Segoviensem transfertur.

Dum haec aguntur, cum Martinus ob clarissimas virtutes et promerita Regi in dies fieret carior, ad Ecclesiam Segoviensem simul ac obitus Francisci de Benavides enuntiatur, priusquam postularetur, promotus est. Quod contigit quarto Idus Iunias, in cuius possessionem etiam ipso mandante deinde mittitur pridie Calendas Novembris eodem anno sexagesimo. Voluit item Rex Philippus, ut in sollemniis Divo Iacobo Hispaniarum Patrono eo anno coram se uti Magno Ordinis Magistro recolendis concionem haberet Episcopus Aiala; quam ille orationem succo ac sanguine Apostolico plenam, tota Regia plaudente et mirante dixit, ibique militiam illam gravissime hortatus est, ut Mauros in oras nostras temere ac passim irruentes ex universa Hispania secundum eius Ordinis Institutum perpetuo tandem eliminaret.

ret. Iam vero Universi Orbis Episcopos ad Concilium eo anno vocaverat novus Pontifex Pius IV. qui in Encyclica sua nihil de incepto olim Concilio persequendo memoraverat, ac si de novo illud indiceret, contra ac erat in eodem Concilio constitutum. Quod cum graviter ferret Rex Catholicus, Antistites apud se commorantes ea de re consuluit, ac Martini cum primis sententiam requisivit. Hic autem constanter opinatus est, et propter A catholicos tenendum censuit, quod à Patribus fuerat sub finem Concilii definitum. Quare non nova indictio sed veteris continuatio in litteris Pontificiis exprimenda. Multae hinc inde Legationes, contentiones multae, donec tandem privatis ad Philippum litteris declaravit Pontifex, se re vera velle Concilium idem proseguere, quod Tridenti inceperat. Sed nec Aialae placuit eiusmodi temperamentum, veritus id parum honorificum Conciliorum auctoritati, dum Encyclica palam contra loqui videretur. Qua in re non parum de Martino conquesti sunt coram Pontifice eius apud Philippum Legati. Inter continuam autem gravissimamque negotiorum molem, quam pro Ecclesia et Regno sustinebat unus Aiala, splendidum grati animi in antiquam Uclesianam Domum argumentum exhibere voluit, quippe qui Petri Alphonsi eius quondam Praesulis res sanctissime gestas ad claram po-

sterorum memoriam et exemplum litteris commendavit. Quod quidem opusculum ad veteres Sodales munus omni auro gemmisque pretiosius missum, Toleti hoc eodem anno elaboratum fuit, atque absolutum.

§. XIX.

Segoviam contendit, priusquam in Concilium proficisceretur.

Expeditis in aula Regiis mandatis etiam iis, quae ad Concilium proxime instaurandum parabantur, priusquam eo Martinus mitteretur, veniam à Rege iteratis precibus obtinuit novam Ecclesiam suam adeundi, suosque, quorum desiderio iamdiu tenebatur, invisendi et recreandi. A quibus singulari amore et plausu Segoviae iv. Idus Iulii anno altero ab eius promotione excipitur. Etsi autem nonnulli ex Clero ab Accitanis prave instructi severum et asperum initio vererentur, ut eum experti sunt mitem, beneficum, amabilem, summis laudibus ad Caelum extulere. Igitur optimi Pastoris partes adamussim expleturus, Urbis Ecclesias ac finitima Oppida inspicere illico voluit, carissimumque gregem divinitus ei commissum omni studio reficere, sanctissimis monitis instruere, ac subsidio quo poterat levare, atque lenire. Consuetas Canonorum immunitates, quas ipse iuri et aequo adversas semper iudicaverat, infringere tentavit, at

incassum omnino ; quae enim Praesul providebat , Canonici interpositis appellationibus eludere. Articulari morbo , quo afficiebatur , tertio correptus ingruente hyeme Tureganum ob Caeli salubritatem se contulit. Imminabat illi iam iam iter ad Concilium ex Regis etiam praeepto , nam cum ille saepius detrectasset , pluresque causas dixisset , Rex demum firmiter reposuerat : *Tridentum Martino eundum , quamvis non nisi prono ore eo posset incedere : Se de Concilii exitu , si ipse interesset , plurimum confidere ob eximiam eius prudentiam , uberiores doctrinam , Christianam libertatem , ceterasque dotes , quibus à Deo ornatus inter alios eminere videbatur.* Interea de carissimae Matris obitu , qui Hieste contigerat , nuntium cum accepisset , iusta ei more Pontificio ac singulari pietate persolvere curavit quam diligenter. Itaque rebus meliori quo poterat ordine ad optimam Episcopatus administrationem , eo absente , accommodatis , Regia mandata perfecturus , iter suum maturans , Caesar-augusta Barcinonem secunda feria post Paschatis sollemnitatem adventavit. Deliberantibus autem ibi una secum Episcopis Segobricensi , Civitatensi , Urgellitano , et Lucensi terra an mari pergendum , cum utrobique pericula imminerent plurima atque gravissima ; Martinus à Matre hilari serenoque vultu in somnis obiecta admonetur , ut mari sese com-

mit-

mitteret, quod tranquillum et tutum fore volente numine pollicebatur. Neque id speciem inanem fuisse sed divinam quamdam praesensionem experientia ipsa comprobavit. Quare caelesti ope implorata, cum pro certo intellexisset quae per visum erant obiecta, triremes Architalassi celeberrimi Ioannis Andreae ab Auria cum sociis sine mora conscendit, ac prospera supra quam dici potest navigatione usus, quinque dierum intervallo Genuam usque traiecit. Mediolanum ac inde inter amicorum occursum et amplexus v. Calendas Iunias Tridentum sexto denique ingreditur. Quo in itinere comitem secum duxerat Benedictum Ariam Montanum sibi amicitia, Ordine, studiis, et claritate coniunctissimum.

§. XX.

Adventus eius in Concilium Tridentinum.

Convenerat eo loci frequentissimus Episcoporum numerus cum magna aulicorum caterva, quibus Segoviensis Praesul molestus videbatur. Quantum vero ille in hac Synodi prosecutione doctrina sua, constantia, et invicta libertate Catholicae Ecclesiae profuerit ex iis, quae mox dicturi sumus, facile coniici poterit ab illis, qui rerum pondus aequa lance, vel sine invidia aut odio librare noverint. Igitur principio dogmata in Sanctissimo Eccle-

siae Senatu ad novas haereses profligandas definienda erant ; at quae fidei Catholicae veritates ex verbo Dei essent , non Scholarum opiniones , aut importunae subtilitates ab ingenio humano adinventae , pro quibus quidem tamquam pro aris et focus crebro decertare audebant , praecipue leviores quidam homines , quibus aliorum genio indulgere in votis unice erat , uti eisdem verbis testatus est ipse Aiala. Eiusmodi disceptatoribus tamquam nugas in gravissimo omnium consessu temere agentibus restitit , et pervicit Sapientissimus Antistes , quamquam inimicitias hominum , qui alioqui gratia valebant , inde sibi suscipiendas esse non ignoraret. Nam amor in Religionem et veritatem omnia superabat. Ad disciplinae quod attinet morumque emmendationem stabilendam innumeras obiecit difficultates Doemonum calliditas cum hominum improbitate colligata. Fucatam simulatamque urgebant plures. Contra vero Martinus inter paucos singularis , et sacro numine plenus pro vero Ecclesiae honore tuendo , ac collapsa disciplina in melius restituenda ea tentavit , ea pertulit , ea prosecutus est , quae humanam fidem pene superare viderentur , ni scripto ea omnia ipsemet testata posteris reliquisset. Alio item ex capite gravissima oritura damna sagacissimus Praesul agnovit cum ad forenses et involutas animad-

vertisset locutiones, quibus decreta Synodalia à Caussarum Actoribus condebantur, quo facile possent eludere constitutionum vim, litesque in immensum arbitratorum procreare. Quam pestem Christianae Reipublicae exitialem futuram acerrime insectatus fuit; curavitque qua precibus, qua veterum Conciliorum exemplo, qua rationum pondere ut sanctissimae leges Canonica simplicitate procuderentur.

§. XXI.

Reliqua eius in Concilio gesta!

Interea ergo Tridenti divino instinctu Catholicum illud fervebat opus, Patresque in universum omnes pastoralis sollicitudine pro summa Ecclesiae adlaborabant, quos inter eminere quadantenus videbatur Segoviensis, qui ad proximam Sessionem ordine vigesimam primam parandam à Praeside delegatur. Discutiendum ibi erat de communione Eucharistica sub utraque specie laicis concedenda, vel deneganda: atque apud se habebantur Congregationes quamquam ipso eodem tempore podagrae molestiis per mensem fuerit acriter vexatus. Mox mentio à Patribus iniicitur de Episcoporum auctoritate à Deo proxime manante, pro qua adserenda in Congregatione Generali octavo Idus Novembris copiose, ac gra-

viter disseruerat Martinus, qui contra ea, quae Cardinalis de Mantua ibi enuntiaverat, opportune reposuit; *causam illam nedum olim in Concilio fuisse agitatam, sed etiam definitam; seque inter alia optime meminisse quod hora undecima antemeridiana die Sabbati ea de re suffragium suum tulerit: Quare modo pronuntiandum uti tunc fuerat conclusum.* Quo quidem facto in eam sententiam ab Archiepiscopis Granatensi, et Braccarensi valide confirmatam manibus ac pedibus ivere plures ex Germania, et Gallia Episcopi praeter Hispanos. At oppositae sententiae addicti cum acerrimi viri iudicium et Apostolicam libertatem veriti essent, ac mirati, initio haesere; dehinc aegro animo ferre, eius dicta in pravum detorquere, falsa obiectare non destiterunt. Itaque inter alia ad Pontificem Maximum deferunt Segoviensem suspectum habendum esse tamquam, qui de Romanae Sedis auctoritate prave opinaretur. Quam accusationem cum ille à Cardinali Lotharingio, tanti Praesulis cultore eximio, rescivisset, tale responsum dedit: *se uti Hispanum Episcopum decebat, non aliter de summa Christi Vicarii potestate sentire, quam quod Oecumenica Concilia et universi Patres hactenus tradiderant.* Quo responso Pontifex aequissimus acquievit: sed non acquievere adversarii, qui novo odio in eum haud longe post inflammari visi sunt, ubi à Patribus ius divinum,

quo Pastorum quisque ad stabiliter in sua sede morandum adstringatur, explicandum fuerat atque demonstrandum. Illud enim sanctissimum dogma miris modis cum paucis urgebat clarissimus Praesul ad incitas redigens adversantes, usque dum de veritate convicti pro ea doctrina stabilienda manus victas fere universi dedere. Inter eos autem, qui ab eius partibus steterant, mox celebrari promeruit Cremonensis Episcopus, qui sub Gregorii XIV nomine ad summum Pontificatum deinde electus fuit. Mantuano vita functo eius Legationi sufficitur Cardinalis Moronus, cuius opera et industria Concilium ad finem citius quam par erat properare videbatur. Novit haec Segoviensis, cuius constantia, etsi variis artibus fuerit oppugnata, tamen spiritu Dei animatum se sentiens, praeposteram hanc multitudinis festinationem cohibuit, atque sollemni protestatione apud Patres postulavit, ut emendationis negotium eo pondere et maturitate gereretur, quo Reipublicae Christianae foret cum primis salutare. Adiunxerant sese ei una cum Gerundensi Accitanus, et Vicensis: quo certe consilio Synodi res felicius evenere; et quamquam non adamussim pro ipsius votis, at prout Ecclesiae Catholicae, Deo providente, saluberrimum erat futurum. Ita divinum illud opus inter tot hominum dissidia et vicissitudines Spiritu

tu Sancto agente summa tandem Patrum consensione pridie Nonas Decembris anno sexagesimo tertio supra millesimum et quingentesimum perfectum fuit atque absolutum. Huius autem Viri Apostolici virtus rerum in eo pro Ecclesia Catholica gestarum magnitudine, et varietate, cum sexies ibi ab exordio ad finem convenisset, super omnes nobilitata est, et ad omnem posterorum memoriam gloriosissime descendet.

§. XXII.

De reditu in Hispaniam.

TRIDENTO proficiscitur Idibus Decembris in Hispaniam rediturus, nec longe ab exitu pravorum hominum molestias experiri caepit; veritusque ne in vitam eius moli-
rentur, iter maturans in traiectu Apenini ob nivium copiam praecipue occubuisse, ni à servo sustineretur. Genuae quum ob podagrae incommoda aliquanto restitisset, constans rumor apud omnes volitabat, se in Ius Romam à Pontifice vocari. Consciis illi sibi ac de sua innocentia securus experiri voluit, vera ne essent, quae fama dicebantur. Per mensem ibi moratus falso ea iactari deprehendit: quapropter Nicaea, Antinopoli, ac Perpiniano Barcinonem se contulit, ubi tunc temporis cum Regiâ considebat Rex Catholicus, à quo humanis-

sime excipitur, et apud se manere iubetur. Quo in loco libellum Pontificium brevi à Legato suscepit, in quo ipse in primis ad caelum magnificis verbis efferebatur ob animi firmitatem, et doctrinae praestantiam; tamen in eo signari videbatur, quod una cum Cardinali Lotharingio parum honorifice de Sede Apostolica oscitantia quadam existimasset. Quamquam de eius errati suspicione eum satis expiatum minime dubitaret Pontifex, qui promerita eius in universam Ecclesiam libenti animo ea epistola profitebatur. Ad haec ea observantia, qua in communem Christianorum Parentem decebat, rescripsit Martinus: se de sua innocentia omnino esse conscium, quam testari etiam poterant universi Patres Concilii: De Papae auctoritate supra singulos Episcopos, et in universa quoque Ecclesia se ea praedicasse, quae Concilia, et Patres hactenus docuerant. Quare nihil ea de causa in se emendandum agnovisse: sed invidia et odio, pessimis consultoribus, se apud Sanctam Sedem falso esse insimulatum. Atque haec quidem gesta pro veritate Christiana à Viro Apostolico multis, variisque perfuncto laboribus in hunc modum exitum habuere. At Rex, cui tanti Praesulis labores optime noti erant et accepti, voluit eius opera et consiliis uti in suscipienda Synodo, et per universas eius ditiones promulganda; ut ita ille ipse
 fie-

fieret executor, qui fuerat etiam auctor ad absolutissimi Praesulis partes adimplendas. Igitur eo consiliante praecipit Rex, ut Concilii statuta veluti Lex Regni ab omnibus ubique susciperentur et servarentur. Voluit item Rex prudentissimus indiculos ab eo fieri eorum, qui ad Episcopatus aptiores ipsi viderentur, quod eo inconsulto nollet de re omnium gravissima providere. Optaverat autem Carolum Bobium Archiepiscopatu Brundusiensi decorare; at nescio quibus indiciis cunctabatur. Sed auditis à Segoviensi meritis eius atque doctrina, Bobium sine mora tanto muneri praefecit.

§. XXIII.

Segoviam pervenit, et ad Archiepiscopatum Valentinum promovetur.

AB articulari morbo paullulum recreatus, et post multa de eius consilio à Rege sancita ab eo citius digreditur, quod in eam Urbem pestis quaedam inciderat. Pervenitque Valentia Segoviam vii. Calendas Maias anno sexagesimo quarto, ubi à suis ex omni ordine praesertim vero à plebe Praesulibus devotissima, incredibili laetitia, et in modum triumphi redux tandem è Concilio excipitur, ac in Episcopalem aulam deducitur. Dulce et optatum illi erat ad caram suam sponsam rediisse,

se, cum suis versari, in Ecclesia sua exornanda, pro suo quo in eam ferebatur amore totum inesse, Canones Tridenti latos, ne vacui fierent aut inanes, moribus suorum perfici. Praecipuo studio in id statim incubuit, ut Paroeciis Ecclesiasticis ii unice fruerentur, qui perpetuo in eis residerent, ac morarentur. Iis sollicite addictus Domum inopinato adventat sexto Calendas Iunias tabularius Regius annuntians eum ad infulas Valentinas à Rege promotum, postquam ibi decesserat Acisclus Moya et Contreras eius Ecclesiae Archiepiscopus. Triduo in ambiguo fuit, an novum illud onus subiret, cum ob tanti muneris administrandi difficultatem in summo pene virium defectu, tum ob ingentes expensas Romae solvendas in novo Episcopatu adeundo. Sed eum omnium maxime quasi vinculis adstringebat caritas erga Segovienses, quos sui amantissimos noverat, et in dies magis magisque experiebatur. Ambiguitatem denique omnem ademit debita in Regis beneficentiam et voluntatem observantia, cum sponte sua multisque contradicentibus clarissimae dignitati eum praetulisset. Quibus accedebat valetudinis recuperandae sub benignissima Caeli temperie spes, qua quidem via acrius posset ovium saluti prospicere et consulere. Igitur Regiae nominationi cum assensisset, Romam pro Pontificii Diplomatis expeditione

ne litteras misit Philippus adeo in Martinum, eiusque in se, et in universam Ecclesiam promerita honorificas, ut veteri adversariorum odio intercluso probata fuerit apud Consilium Pontificium promotio, et à Papa VIII. Idus Septembris confirmata; unde in possessionem Archiepiscopatus iam venerit die Protomartyri Stephano sacra. Interea dum haec gererentur Diaecesim suam ardentius invisebat sollicitus Pastor, qui nimio labore fractus, atque aestu Solis agitated in febrim incidit initio Tertianam, mox continuam, cuius vi Medicis venae sectionem retardantibus, quinta die orto stupore ad extrema devenit, donec vena sexies aperta, ac potionibus cathartice iteratis meliuscule se habere caepit. Verum cum nondum esset confirmata valetudo Synodum, quam prius indixerat, celebrare voluit, quod quidem munus absolutissime implevit, eo Septembri apud Sanctum Andream in Urbe Synodo peracta. Id vero quo Ecclesiae suae salutaris, eo eius valetudini noxius; nam cum ea de causa studiis operaeque impensius vacasset, de integro in morbum recidit. Lenta febrim consummebatur, nihil remediis proficientibus, à qua tamen liberatus est vino plantagine ibi infusa hausto, quod suae Ecclesiae Presbyter quidam obtulerat. Sed ad patientiae cumulum paulo post obstinata et teterrima scabie se sensit infectum.

Vix convaluerat, quum à Rege vocatus Matritum v. Idus Decembris, Segovia ultimo valedicta, impigre accessit. Hic una cum Hispalensi Archiepiscopo in publicam Ecclesiarum utilitatem de mandato Regis gravissimis interfuit negotiis, atque in primis de eius consilio ratio et modus, quibus Concilia in singulis Provinciis ex Tridentini praescripto haberentur, constituti sunt. Sancitum est quoque ut Christiana Maurorum, qui recenter ad fidem venerant, institutio, uti et rerum ad eos pertinentium cognitio, non ad fidei Quaesitores, sed ad Iudices ordinarios in posterum deferretur. Egit demum cum Martino inter alia multa Rex Catholicus de reformanda Lovaniensi Academia, quae ob nimiam opinandi licentiam in praecipuum iam iam ruere videbatur.

§. XXIV.

Valentiam in suum Archiepiscopatum se confert.

His rebus compositis, ac vere novo ineunte, quamquam infirma adhuc valetudine in susceptam Provinciam lectica iter instituit, pervenitque incolumis Alaquasium tribus milliaribus ab Urbe xiv. Calendas Maii anno sexagesimo quinto eius saeculi in media maioris hebdomadae sollemnitate. Quatriduo sanctioribus hisce diebus ibidem apud Patres S. Francisci de Paulla moratus, secundo

Paschatis festo Valentiam ingreditur incredibili omnium ex omni ordine occursu, et applausu, qui sibi invicem de tanto Praesule gratulantes sollemni pompa veluti numen è Caelo delapsum ad Sedem suam magnifice deduxere. Nec mora interposita cum optimam eius nobilitatis indolem perspexisset, sibi que eos singulari sua comitate benevolos reddidisset, ad se accersitos de Christiana institutione Mauris Neophitis procuranda paterne adloquitur, quos quidem doctrina sua, eloquentia, et caritate ad illud opus una secum perficiendum subiectis veluti facibus inflammavit. Ad ornatissimum inde Clerum exornandum totus intentus, à Maio ad Septembrim Urbis Ecclesias ipse per se invisere voluit, atque beare. Plura interim providit, atque opportune in melius restituit humanitate partim, partim severitate, si quae ipsi in deterius vergere videbantur. Id autem vel maxime cavet, ne qui Paroecias obtinebant, ab ovibus unquam abessent suis, cum absentia unius Pastoris semper afferat universi gregis detrimentum.

§. XXV.

Concilium Provinciale Valentinum II. feliciter absolvit.

AT ut Ecclesiae pulcherrimae decorem et ordinem perpetuo assereret amantissimus Praesul, opus aggreditur à Gottorum tempore inauditum, nec posteriori deinde aeta-

te apud eam Sedem iteratum. Concilium videlicet Provinciale celebrandum indixerat, quodque auspiciato in Templo maiori Nonis Octobris sollemnissime apertum est. Aderant Synodo una cum Metropolitanò Praeside Didacus de Arnedo Maioricensis Episcopus, et Ioannes Segrianus Christopolitanus de Oriolensis mandato: cui etiam regio nomine interfuit Franciscus Ladronius Gelvensis Vice-Comes. Quinque Sessionibus totum illud divinum opus diggestum est; in quarum prima tertio Idus Novembris sub Pio IV. celebrata Concilium Tridentinum, qua decet reverentia et honore susceptum, ac sex Capitibus super sacra doctrina, et ministris eius, quae opus erant, prudentissime constituta sunt. Acta est altera Sessio V. Idus Decembris sacra operante Maioricensi, ubi de Sacramentis et recta eorum administratione triginta sex capita sapienter statuta leguntur. Contigit tertia Sessio Sede Apostolica vacante XII. Calendas Ianuarias, in qua cum rem divinam Episcopus Segrianus peregisset, viginti octo capitibus ea comprehensa sunt, quae ad Ecclesiarum, et Ecclesiasticorum gubernationem praecipue spectare videbantur. Anno sexagesimo sexto ineunte ad VI. Calendas Februarias, Pio V. Catholicae Ecclesiae Pontifice divinitus dato, ad quartam Sessionem inceptum superius negotium tribus et viginti Capitibus persequentem deventum est. Die tandem festo

Mathiae Apostoli Missarum sollemnia celebrante clarissimo Praeside peragitur ultima Sessio, ibique uno et viginti Capitibus ea, quae ad populi gubernationem in universum conferebant, opportune à Patribus fuere sancita. Atque ita Synodus haec Valentina, quae uberrimos fructus florentissimae Provinciae erat allatura, absque ullo dissidio, sed summa animorum consensione, singulari prorsus Dei beneficio hac ipsa die perfecta fuit, atque absoluta. In Congregatione nona Februarii ante ultimam Sessionem habita constituta erat pecuniae summa à Curia Ecclesiastica pro singulis caussis in posterum exigenda. Subscripsere Concilio cum Antonio de Iardina eiusdem à Secretis tres Praesules memorati; eodemque anno à Ioanne Mey nitidissime in lucem editum est. De eo autem optime promerere magnifici Valentinae Civitatis Rectores, qui Praesulibus omni ope et officiis adfuerunt, quo illud tuto ac libere posset expediri, quemadmodum à Rege litteris suis decima quarta Septembris ad ipsos datis fuerat iniunctum. Igitur Concilium iam promulgatum veluti oraculum ambabus ulnis iure meritoque amplexati sunt Valentini, omniumque ore ac manibus per universam Hispaniam ferebatur ob eius Canones sanctissimis documentis cumulatatos, ac beata Apostolorum tempora referentes. Interim Romae Martini detractores, qui gesta eius omnia quantumvis innocentissima dedecorare audebant, nullum

lapidem in ipsum non movent, suspiciones creant, Synodum ipsam ad Cardinales Concilii Tridentini Interpretes deferunt, qui in Congregatione quarta Novembris sequenti anno sexagesimo septimo ea verba * *Sancta Synodus*, quibus frequenter ea utitur, expungenda decrevere. Hac tempestate inter domesticos Aialae familiares degebat Ioannes Perezus ex Canonico Toletano mox Episcopus Segobricensis, qui cum à Secretis foret Concilii Toletani anno 1582. sub Cardinali Quiroga celebrati summa sua qua inter egregias animi dotes pollebat eruditione, Titulum eundem Toletanae Synodo appositum, et eadem nota Romae iniustum, in integrum restitui impetravit.

§. XXVI.

Concilium Diaecesanum celebrat.

VERUM Archiepiscopus indefessus Christi Athleta, vix expleto Provinciali Concilio, ad habendam Synodum Diaecesanam sese accinxit, quam in iisdem Metropolitanis aedibus inchoavit sollemnitate Marci Evangelistae eo anno recurrente. Duabusque Actionibus quinta et nona Maii totum illud gravissimum opus Christiano succo ac sanguine plenum, Ecclesiaeque suae carissimae cum primis

* Vide Perezii notas ad hoc Concil. apud Aguirre Conc. Hispan. Tom. VI. p. 17. et litteras ips. Perez. ad Dionys. Lopez datas. Quocirca posteriora Concilia Provincialia uti Mediolanense, Mexicanum, Limanum et alia eodem titulo fuere decorata.

mis salutare feliciter absolvit. Earum prima sex et viginti Capitibus distincta de vita et honestate Ecclesiasticorum utilissima praescripsit: habentur ad calcem huius actionis litterae Pii V. Pontificis Maximi Archiepiscopo valde honorificae. Altera autem, quae de officiis et rebus sacris decernit, in Capita triginta et unum distributa laudatur. Synodo eidem adiiciuntur ordinationes pro Choro, casus reservati, atque Constitutiones Synodales ab Archiepiscopo Thoma de Villanova editae, quaeque in pristinum vigorem ibidem restituuntur. Taxatio item pecuniae in funerum sollemniis Parochis tribuendae describitur, ac designatur. Tandem habentur, et probantur Institutiones pro Neophitis ab Archiepiscopo Iordane de Austria, et Antonio Ramirez de Haro Quaesitore Valentino olim iam editae ac promulgatae. Inter has aliasque curas, assiduosque labores pro Apostolico Ministerio sancte obeundo susceptos, consuetis doloribus corripitur, et acerbe torquetur, queis sedandis cum nullum medicamen praesens haberetur, balneum minerale non longe ab eius Patrio solo, quod pluribus valedudinariis saluberrimum dicebatur, adire constituit. Ubi aquis illis medicis octiduum perfusus, natalique solo, ac popularium adspectu, et alloquio paullulum recreatus, vires ac sanitatem recuperare visus est.

Extremo corripitur morbo. Obitus ac parentalia.

Quare Diaecesim suam rediens, Ontinentum cum pervenisset in medio aestatis ardore, tractum illum invisurus, nephritide subito tactus, ibidem decubuit. Sed eo morbo ob urinae difficultatem ingravescente, confecto ibidem Testamento ante Iacobum Ioannem Molina, res à se gestas scribere desiit verbis illis insigniter usus = :
 „ Sic igitur dego sub potenti manu Dei absque super-
 „ bia, aut ulla animi perturbatione, sed in Dei volun-
 „ tatem omnino acquiescens, ad quam implendam para-
 „ tum me sentio hodie vii. Calendas Augusti millesimi
 „ quingentesimi sexagesimi sexti die Veneris, Deumque
 „ propitium mihi fore de sua clementia confidens: quo
 „ quidem laetus finem aspicio, nam sive moriamur, si-
 „ ve vivamus Domini sumus =. Itaque post octavum
 diem Valentiam deductus, acerbissimis doloribus animi constantia toleratis, ac Ecclesiae Sacramentis reffectus, inter heroicis virtutum Christianarum actus animam placidissime reddidit Creatori Nonis Augusti, anno memorato, aetatis suae anno LXI. cum mensibus viii. ac diebus xxiv. Honorificentissime ac funebri, qua tantum Praesulem decebat pompa, cadaver elatum fuit, iacetque in templo suo Metropolitano ad Sacellum tum D. Petro, modo Ludovico Tolosano Episcopo sacrum sub hoc Epitaphio.

IN. SPE. RESVRRECTIONIS. MORIOR
 HIC. SITVS. EST. MARTINVS. DE. AIALA
 ARCHIEPISCOPVS. VALENTINVS
 QVI. LICET
 TRES. ECCLESIAS. REXERIT
 GVADIXIENSEM. SEGOVIENSEM
 ET. HANC. POSTREMO. VALENTINAM
 IN. QVA. DECESSIT
 NIHIL. TAMEN. SEMPER. TVLIT. AEGRIVS
 QVAM. PRAEESSE
 OBIIT. NONIS. AVGVSTI
 MDLXVI.

Haeredem ex asse testamento reliquit Uclesianam sui Ordinis Domum; at qui in pauperes fuerat liberalissimus, pauperrime obiit, adeo ut Equites illi, haereditatem repudiantes, quasdam sacras vestes, quibus hodie etiam utuntur, ac manuscriptos Codices veluti quaedam Legata memoriae causa unice susceperint.

§. XXVIII.

Eius Scripta.

Atque hic tantus vir, tantisque negotiis gerendis districtus litteris plurimum temporis tribuit, ac plura reliquit doctrinae suae monumenta Sole clariora. Princeps ab eo elaboratum opus hoc ipsum est quod in praesen-

tiarum recudimus: *DE DIVINIS, APOSTOLICIS, ATQUE ECCLESIASTICIS TRADITIONIBUS, DEQUE AUCTORITATE AC VI EARUM SACROSANCTA ASSERTIONES, SEU LIBRI DECEM AD PHILIPPUM HISPANIARUM PRINCEPEM NUNCUPATI*; cuius operis quatuor extant editiones, Coloniensis anno 1549. Parisiensis prima eodem anno; Veneta anni 1551. et secunda Parisiensis anno 1562. Quo de opere Michael Medina vir ex Franciscanorum familia pereruditus tale iudicium protulit de recta in Deum fide Lib. I. c. IV. = Martinus Aiala Segoviensis Episcopus Vir praeter integrum animum et excellens ingenium veteris Ecclesiasticae lectionis consultissimus, quibus dotibus sic urget Haereticos opere illo de Ecclesiasticis Traditionibus, ut nisi Diabolo obsidente oculis animi capti essent, aperte visuri sint, quantum impiae istae novationes à Veteris Ecclesiae moribus distent.

Item Granatae iunior ediderat commentaria in universalia Porphyrii anno 1537.

Concilium Provinciale Valentinum; itemque Synodus Diaecesana Valentina ibidem apud Ioannem Mey 1566. anno eius emortuali.

Ea autem latina sunt, quae autem inferius sequuntur Hispana; quaeque omnia ad pietatem promovendam conscripta.

Compendio, i declaracion de lo que son obligados à
guar-

guardar los Cavalleros de la Orden de Santiago , asi por los Votos , fin de su Orden , i disposicion de su Regla; como por los Estatutos i loables usos i costumbres de ella : = Mediolani 1552. cui adiicitur = Un breve tratado para bien confesar.

Compendio para examinar la conciencia , alias Confesonario : Valentiae 1542. Pinciae 1604. et Pampeloniae 1612.

El Cathecumeno, ò Christiano instruido: Mediolani 1552.

Avisos de bien morir : Mediolani 1552.

Doctrina Christiana para los que entienden ya algo mas que à los Niños se les suele enseñar comunmente por modo de Dialogo: Mediolani 1554.

Fortassis id ipsum est opus quasi antea ineditum , et in Schedis Martini repertum , quod postea curante Magno Archiepiscopo Valentino Ioanne de Ribera , Valentiae apud Petrum Patricium Mey 1599. forma et ipsum dialogistica sub hoc titulo : *Cathecismo* , vulgatum est.

Doctrina Christiana en Lengua Arabiga i Castellana para instruccion de los nuevamente convertidos del Reyno de Valencia: Ibidem 1566. apud Ioannem Mey.

Haec sunt quae Typis edita lucem publicam aspexerunt.

Inter manuscriptos Codices , qui ad nos pervenere omni auro cariorem aestimamus eum, quem *Vitae suae Commentaria* diximus; quaeque et nos in texenda superiori re-

rum à se gestarum narratione praecipue usi sumus. As-
servaturque in eius Uclesiana Domo.

Extat quoque ibidem Vita Petri Alphonsi Sodalis, qui
Praefectus fuit Domorum Sancti Marci, et Uclesii, mo-
rum integritate venerabilis.

Leguntur similiter in memorata Bibliotheca quidam
ipsius manuscripti Codices Graeci. Atque in omnibus his
operibus multa industria et diligentia comparet, doctri-
na multa; praecipue vero summa in Deum pietas.

§. XXIX.

Eius Encomia.

DESCRIPSIMUS brevi hoc libello clarissimi viri vitam, res-
que ab eo gestas, ea qua par est fide, ex manuscripto à se
Codice quasi per summa Capita delibavimus. Quo de
Pontifice plures meminere; sed exteri ii praecipue, qui Con-
cilii Tridentini Historias edidere, nescio quo animo infecti
plurimum ei detraxere; nostrates incuria quadam parce ad-
modum nec pro merito laudes eius celebravere. Inter alios
illustriores habendi Nicolaus Antonius in sua Bibliotheca,
Magister Egidius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesia-
stico, ac Didacus Colmenares in Segoviensi Historia, qui
duo posteriores manuscriptum nostrum manibus versa-
runt. Iuvat tamen heic adnectere Benedicti Ariae Monta-
ni eiusdem Ordinis Sodalis, et ad Concilium carissimi

Comitis, à quo postquam doctissimus ac piissimus simul
fuit appellatus, haec elegantissime decantantur Rhetor.

Libr. IV. :: :: ::

Martine egregium nostri decus Ordinis, et quem
Pontificem felix sortita Segovia, cui iam
Invidet ipsa prius felix Guadixa, doletque
Praeceptore suo privata, et Praesule tanto,
Praesule cui ingenio nuper Mahumetus acuto
Cessit, et indoluit, nullasque erroris iniqui
Reliquias superesse animis, ac gentibus illis;
Quas prius ipse suas habuit, quas numine dulci
In nostrum pridem Christus revocarat ovile;
Non bene dimissis tamen has erroribus ipse
Conspicis, et primos queis sunt imbuta liquores
Pectoribus purgas teneris, sacrumque probatae
Relligionis opus, documentaque certa reponis.
Te quantum pietas, quantum sapientia, quantum
Doctrina, atque usus rerum, et prudentia diva
Exornet, quantis cumulent tua pectora semper
Dotibus, et quantum exemplo, sermoneque possis
Publica res testatur enim, quam multaque rerum
Eventa atque viri innumeri, quibus ipse probari
Saepe soles, magnis celebratus laudibus usque.
Te Latiae gentes pridem, te Gallica turba
Mirata est; te laudavit Germania, quando

Concilio intereras sacro, quod prisca Tridentum
 Christicolum populo, rebusque petentibus ipsis
 Romano dictante etiam Pastore coegit.
 Hæc tua laudata est cunctis sapientia, et altum
 Consilium, et magnæ doctrinæ munera tanta
 Quis vix sufficerent multi, seu pondere rerum
 Iusta perpendas trutina, seu verba, modosque
 Explicuisse pares, quibus hæc mysteria Divum
 Observata latent, Syria vel voce sonandum
 Hebraeo aut sermone foret, superumque loquelis.
 Attica seu quando petitur facundia libros
 Expositura novos, leges, monumentaque Christi
 Unus eras cui cuncta simul præstare da retur.

Huius de laudibus vita et virtutibus satis pro loco
 dictum arbitrabimur, si hoc unum adiunxerimus, eum
 ingenio, doctrina, litteris, et Religione nemini eo sæ-
 culo Heroibus fecundissimo fuisse secundum; integritate
 autem Sacerdotali cum Ambrosio, aut Athanasio com-
 parandum.

EXPLICIT VITAE MARTINI PEREZII DE AIALA

NARRATIO.

Valentiae Idibus Oct. anno MDCCLXXVI. scribebat Benedi-
 ctus à S. Petro Schol. Piarum.

IN NOVAM HANC VALENTINAM
 EDITIONEM ET OPUS IPSUM
 PRAEFATIO.

Opus hoc auro gemmisque pretiosius, quod tibi modo, Lector, exhibemus, simul ac ab Auctore Clarissimo in lucem editum est, tanta veneratione et aviditate à viris doctis et verae Religionis ac Theologiae amatoribus susceptum intelligimus, ut tredecim annorum spatio quatuor editionibus Coloniensi, Veneta, et gemina Parisiensi decoraretur; quum hi de Traditionibus Libri veluti Catholica Summa inter Gallos, Italos, Germanos nobiliter in dies inclarescerent, omniumque Theologorum manibus feliciter contra Haereticos omnes versarentur. Tamen ea est rerum humanarum vicissitudo, ea profunda Dei iudicia, ut quod cedro et re ipsa dignissimum erat, et ubique etiam apud omnes summis laudibus celebrabatur, fere repente in oblivionem devenerit, ac per duo et amplius saecula sepultum in tenebris iacuerit: Quasi invidia quae Auctorem viventem acerbe vexaverat, multo etiam acerbius in ipsum vel mortuum desaevierit. Quae quidem res

tan-

tandiu ita se habuere , donec Deus nostris hisce diebus felicissimis *FRANCISCO FABIANO ET FUERO* Archiepiscopo Valentino eam indidit mentem , qua novam hanc editionem magnifice ac emendate beneficio suo immortalis suaque auctoritate adornaret , unaque simul et Patriae , et Religioni , et litteris , non minus ac tanti Pontificis Decessoris sui memoriae luculenter consuleret , ac sapienter provideret. Quo certe factum videmus , ut Martinus Aiala , qui Sedem hanc Valentinae magno magnarum virtutum cumulo , rerumque gestarum gloria illustraverat , ab eo quasi è mortuis excitaretur , qui pari pietate , eruditione , ingenio , morum integritate , ac Pastoralis sollicitudine eandem illam Ecclesiam et exornare pergat et amplificare. Quo autem in pretio munus hoc aestimandum sit , ii omnes facile intelligent , qui oculos animumque in Libros ipsos coniiciant. Intuebuntur ibi prudentes quique Catholicum quoddam aedificium , quo nihil commodius aut elegantius poterat inveniri et ad fidei veritates quasi compendio adserendas , et ad haereses omnes una simul debellandas. Principio enim ibi firmissimis argumentis stabilitur Verbi Divini auctoritas , non eius

solum quod nobis in Sacris Codicibus expressum indicitur, sed eius quoque quod à Christo et Apostolis Ecclesiae traditum ad nos usque per Patres atque Doctores iugi eiusdem Ecclesiae Magisterio incorruptum pervenit, et ad finem saeculi commendabitur. Hinc certissimum ab Auctore exponitur Criterium, quo tamquam Lydio lapide Libri Canonici ab incertis tuto dissecnantur, verusque ipsarum Scripturarum sensus possit internosci, quum ille non in atramento mortuo, aut cortice litterarum fluxo inhaereat, sed in perenni ac vivo Ecclesiae Magisterio, perpetuo Christi eius Sponsi Spiritu informato, vigeat et conquiescat. Quibus in hunc modum constitutis progreditur Aiala ad ea dogmata fulcienda et enumeranda, quae quamvis in Sacris Bibliis expressa non habeantur, ex hac tamen divina Traditione descendunt, eademque pollent auctoritate et certitudine, ac si ab Auctore Theopnusto literis forent consignata. Hinc uberrime fluit tamquam ex purissimo fonte universa Sacramentorum doctrina, quam Catholica veneratur Ecclesia, pieque adhibet in fidelium salutem et perfectionem. Discrimen deinde affert Traditiones inter Apostolicas et Ecclesiasticas, unde

de ingeniose ac erudite deducit ea omnia, quae ad universam Christi Ecclesiae politiam et constitutionem pertinent, quaeque ad Sacrorum Antistitum potestatem et iura facere videbantur. His principiis inhaerens Ecclesiasticos ritus observandos demonstrat, sacras etiam caeremonias, ac pias Ecclesiarum illustrat consuetudines; quibus quidem Christiana et Apostolica disciplina integra conservetur et perpetuo refloreat. Huc redit totius Operis summa.

Arduam autem hanc provinciam, quam nemo hactenus subierat, primus omnium adversus Protestantes suscepit doctissimus Theologus gravissima urgente necessitate, eo scilicet tempore, quo divinitus tradita negligebantur, Traditiones Apostolicae impugnabantur, Ecclesiastici ritus irridebantur, atque universa demum Ecclesiae Politia misere ab Haereticis perversa erat. Sed Catholicus Athleta, quo graviores vidit difficultates, eo acrius in illud Opus incubuit, illudque tanta doctrina, rationum pondere, ingenii acumine ac verborum copia prosequutus est, ut perfectum omnibusque numeris absolutum posteris commendaverit. Quod etsi mirum omnibus videri poterit, tamen qui animadvertat, qualis

lis quantusque vir fuerit Martinus noster, haud difficulter tantum Opus ab eo praestitum intelliget. Quae de re unius Nicolai Antonii iudicium pro omnibus hic attulisse sufficiat: *Vir erat, inquit ille ex Michaeli Medina de Franciscanorum Familia, praeter integrum animum et excellens ingenium veteris ecclesiasticae lectionis consultissimus; quibus dotibus sic urget haereticos Opere illo de Ecclesiasticis Traditionibus, ut nisi Diabolo obsidente oculis animi capti essent, aperte visuri sint quantum impiae istae novationes à veteris Ecclesiae moribus distent.* Nec solum homo ille multae lectionis et antiquitatis Ecclesiasticae doctissimus praeter exquisitam linguarum Latinae, Graecae, ac Hebraicae, universae etiam Theologiae eruditionem, sed et quod caput fere est, in Haereticorum concertationibus versatissimus; quippe qui ex Congressu Wormatiensi, Ratisbonensi, et Augustano Protestantium artes et latebras omnes acute ac sollerter exploraverat: sicque promeruerit sexies Concilio Tridentino interesse. Propria ergo planeque singularis Aialae laus fuerit, quod ille suo de Traditionibus Opere Catholicos uberrime instruxerit, vacillantes

valide confirmarit, atque Haereticos vel nolentes ad veritatem coegerit.

In eo autem pertractando argumento, ut erat multiplici doctrinarum genere ornatus, testimonia interdum adhibet ad suas adsertiones confirmandas tum quidem omnibus probata, at modo aut suspecta aut penitus reiicienda. Eius generis à Criticis recensentur Epistolae illae Decretales Romanorum Pontificum, qui ante Siricium vixere, uti Anacleti, Evaristi, Alexandri, Xisti, aliorumque numero viginti septem. Ad eandem classem referenda quaedam D. Clementis, Petri Discipuli, Scripta, libri nempe Recognitionum, Constitutiones Apostolicae, Epistolae de eius ordinatione, quae aut adulterina, aut dubia sunt, quemadmodum etiam S. Martialis Epistolae, Liber Pastoris Hermae Paulli Discipulo tributus, et Bartholomaei Apostoli Historia. Eadem quoque censura comprehenduntur hodie Opuscula quaedam priscis Patribus falso adscripta, uti Dionysii Areopagitae Opera, Ignatii Epistolae (si septem priores excipias) quaedam etiam Cypriani, sex Homiliae Chrysostomi in Genesim, Hieronymi Commentaria in Psalmos, Threnos et Paulli Epistolas, quidam

dam Tractatus Augustini uti de utilitate ieiunii, de bono disciplinae; de Obedientia et Humilitate. Idem iudicium ferendum de Apostolorum Canonibus, quos tam quinquaginta priores, quam posteriores triginta quinque suppositos eruditi cum Gelasio Romano Pontifice existimant, quamvis Baronius, Bellarminus, Turrianus probaverint, Auctorque ipse eos vindicare conatus sit. * At ne aurei huius Operis meritum hac ex parte imminueretur, quasi emunctissimae naris Theologus aliquid admixtum in eiusmodi Auctoribus fuerit odoratus, quamquam alioqui ea Scripta venerandam priscamque Ecclesiae disciplinam ut plurimum referant, tamen nullam suam adsertionem recensitis dumtaxat testimoniis firmavit, sed et incorruptis semper atque omnino indubiis, reliquis insuper et veluti eruditionis gratia quandoque adiectis. Quo ita suus honos nedum Auctori, qui Saeculi conditioni subiacere videri poterat, sed et Operi integer maneret, perpetuoque tribueretur. Nec supervacaneum erit hic admonuisse, quasdam Patrum Auctoritates non

* Vide Annatum Apparatu T.II. Lib.II. et IV. Sixtum Senens. T.IV. in Biblioth. Bernardum Everardum ad Canon. Gratian. Patres Maurin. in notis ad Opera PP. et Cotelerium de Scriptis Patrum Apostolicorum.

penes sonum aut verba , sed quoad sententiam et sensum ab eo interdum esse adductas ; uti leviores quasdam varietates in Bibliorum textibus quandoque deprehendi , quippe ante Correctionem Sixtinam et Clementinam prolatae. Atque haec sunt , quae te , Lector, in paucis monitum volebamus. Interim fruiere elegantia hac , nitida , atque in pluribus non sine magno labore emendata Editione , eamque tamquam pretiosissimum Valentini Praesulis donum ab altero parique Praesule Valentino grato animo excipias , Opusque ipsum qua decet veneratione in Catholicae Ecclesiae decorem , verae doctrinae incrementum , Hispaniaeque nostrae gloriam perpetuo complectaris.

SERENISSIMO

HISPANIARUM PRINCIPI

PHILIPPO

MARTINUS PEREZIUS AIALA

GUADIXIENSIVM EPISCOPVS,

SALUTEM ET IESU CHRISTI PACEM.



ESI video, PRINCEPS SERENISSIME, laborem hunc meum, quem magnum diuque suscepi, de doctrina Divinarum et Apostolicarum Traditionum, non posse numeris omnibus absolutum esse: Tum propter rei ipsius novitatem, quam nemo (quantum suspicor) perfecte hactenus tractavit: Tum etiam propter doctrinae meae tenuitatem, quam ipse agnosco: Optarim tamen, ut tantum utilitatis Ecclesiae Dei afferret hic meus Tractatus, quanta mihi constitit diligentia, vigiliis, perpetuo magnoque labore. Neque enim potuit non esse laboriosissimum, tot Sanctorum Patrum et Antiquissimorum Scripta diligenter legisse, et ex iis apta huic novo ac raro argumento collegisse: Tum collecta ordine disposuisse, testimoniis

sacrarum litterarum confirmasse, et variis rationibus illustrasse. Sed plurimum tamen (ut dixi) me consolaretur, si quem fructum in Ecclesia meus labor consequeretur. Consequetur autem non parvum (ut spero) si homines pravo sensu non affecti, haec studiose et Christiano animo legerint, atque rem ipsam de qua agitur praecipue spectantes, connixerint interim ad humile et inornatum orationis genus quo sum usus, et ad alia quae mea doctrina praestare forte non potuit. Scio enim hoc opus maiori eruditione et ingenio egere, quam quibus ego sim praeditus. Verum aliis tacentibus in hoc tam necessario argumento, videbatur mihi omnino loquendum, et Ecclesiae necessitati pro mea mediocritate inserviendum, hoc praesertim maligno tempore, quo divinitus tradita negliguntur, Traditiones Apostolicae impugnantur, Ecclesiastici Ritus et Ceremoniae irridentur, denique universa Ecclesiae Christi politia ab Haereticis turpissime perversa est. Hunc autem Tractatum ad Te mitto, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, non solum ut sub amplissimo nomine auctoritatis tuae (quo protegi ac defendi posse, contra morsus pravorum et morosorum hominum satis confido) in publicum prodeat, sed ut qui has septentrionales plagas, haereseos et apostasiae labe misere infectas, nunc primo invisis, penes Te habeas antidotum praesentissimum, quo possis fidem Apostolicam, et Sanctorum Patrum antiquam Religionem, quam à Catholicis et invictissimis Progenitoribus tuis, quasi iure quodam haereditario possides, illibatam servare, et huiusmodi pestilentibus doctrinis, cum ad pias aures tuas pervenerint, facile obviare. Vale, INCLITE PRINCEPS, et generosam indolem tuam, tanta nobis promittentem, cum Iesu Christi favore in melius semper evehe. Augustae Vindelicorum sexto Calendas Septembris. Anno salutis nostrae MDXLVIII.

AD CHRISTI STUDIOSOS
 ECCLESIASTICA PACE GAUDENTES
 AUCTORIS PRAEFATIO.

INTER pernitiōsa zizania , quae in agro Dominico hac nostra turbulenta tempestate veterator ille Christiani nominis hostis implacabilis , nobis in caligine vitiorum alte dormientibus , per suos pseudoapostolos abunde disseminavit , fratres in Christo dilectissimi , unus hic in primis est fons et origo omnium errorum , quod nihil sit pro certo et indubitato in iis , quae ad Christianam attinent pietatem , à quoque fidei recipiendum , nisi atramento mortuo in sacris codicibus expressum inveniatur. Hinc illa falsa novatorum nostri temporis de Christi Evangelio gloriatio , qua se apud simplices et ignorantes homines venditant , verosque Evangelii vindices se vocant , occupantes primas cathedras inter suos , et ambitu diabolico affectantes ab omnibus hominibus nuncupari Rabbi : quo nomine sibi solis falso tribuunt Symbolum illud : *Verbum Domini manet in aeternum*. Quoniam nullam scilicet aliam doctrinam , quantumvis Apostolicam , ac à tota veteri Ecclesia receptam admittunt , et Scripturae intellectum pro suo arbitratu moderantur : quasi Evangelium non teneant ii , qui cum eo Ecclesiastica dogmata à primordiis fidei per Christum Dominum , et Sanctos Apostolos , aliosque Ecclesiae venerandos Patres , et totius Orbis Magistros tradita atque evulgata recipiunt : aut quasi Evangelio non consentiant , qui Ecclesiam sanctam Iesu Christi sponsam iuxta eiusdem sponsi praescriptum audiunt , et tamquam veri filii sub eius disciplina se continent : aut denique quasi Evangelium non intel-

telligent ii, qui Ecclesiasticae, et Apostolicae Traditioni et interpretationi sanctorum virorum inhaerentes, non ingenio suo fidentes Evangelium intelligunt: sed potius ii, qui Lutheri, Wicleffi, Hussii, Pikardorum, Waldensium, et aliorum huius farinae hominum novas *φαιτασιας* sequuntur et admirantur. Huius tanti mali causa est, quod ponentes in coelum os suum, perfricta fronte affirmare audeant, Ecclesiam Sanctam, Catholicam, et Apostolicam per multas annorum aetates in erroribus horribilibus (sic enim isti sesquipedalibus verbis tumentes deblaterant) et in abominanda idolomania versari, ac nunc tandem illam de iis (si Diis placet) per ipsos admoveri. Sed res bene habet. Confidimus in Domino Iesu, cuius fidem profiteamur, et Ecclesiam à Spiritu eius directam veneramur, quod non dimovebit nos à firma hac petra, in qua fundati sumus, neque ab Apostolicis dogmatibus, in quibus enutriti sumus, non tantum Lutherus ille impius, et reliqui nugatores sequaces eius, qui nihil habent in scriptis suis praeter fumum et vana verba; sed ne Angelus quidem, etiamsi de coelo signa et prodigia faciat, ac coelum terrae nunquam visis portentis misceat. Ecclesiam enim novimus, et certo scimus à Christo sponso suo, iuxta eius pollicitationem desertam nunquam fuisse, imo ipsam (ut Paullus docet) columnam et firmamentum veritatis in hoc mundo caduco et infirmo constitutam esse: tantum abest, ut errare illam aut labi posse credamus. Laborarunt in hoc argumento fallacissimo novi isti Pseudo-Evangelistae editis in vulgus infinitis pene Libris; nihil tamen aliud, quam praecedentium haereticorum camarinam moverunt. *ὅστις γὰρ παρ' ἐχιδνῆς φάρμακον δαρείζεται?* de iis autem in quibus nulla controversia est, prolixè scribunt: in iis vero in quibus urgentur, tergiyersantur, et in varias nugas diffugiunt, neque in uno loco pedem sistunt. Cumque ab eis vi

argumentorum extorquetur fides de aliquo dogmate ab universali Ecclesia recepto, et per testes omni exceptione maiores probato non recipimus (inquiunt) nisi quod in Divinis Scripturis invenimus. Quasi vero ipsorum dogma corruptissimum, quod mordicus tenent, in aliquo Libro Canonico reperiri possit. Similes sane videntur in hac re isti Satanae apostoli, ubi magis ac magis ingenium illorum contempler, refractariis quibusdam et male fidei debitoribus, qui cum ab eis legitimi creditores debita per testes fidedignos plene probata exigunt, soluturos, imo debitores se esse negant, nisi syngrapha cautionis convincantur: contra Dei Omnipotentis videlicet placitum, qui in ore duorum aut trium iussit stare omne verbum. At isti, *Traditiones hominum* (inquiunt) *sunt*: et, *Omnis homo mendax*: et *Verbum Domini dumtaxat recipiendum est*, et id quidem scriptum: quae quidem usque ad nauseam in suis scriptis saepe clamitant et iterant. In eo enim cardine volvitur tota Lutheranorum caeca et insa doctrina. Hinc audent negare sacrosanctam Missam esse et debere dici Sacrificium. Ordines Ecclesiasticos tollunt, atque confundunt. Ieiunia sacra, Coelibatum, innovationes Sanctorum, Purgatorium, Orationes pro mortuis, et id genus multa alia explodere ac abolere tentaverunt: quae à Christo et Apostolis eius accepit, et usque in hodiernum diem tenet Ecclesia. Quod si isti dogma hoc tam pestiferum persuasissent omnibus, ut conati sunt persuadere, actum iam esset de Christiana Religione et politia Ecclesiastica. Itaque qui adulterinum hoc fundamentum à primis eius lapidibus eruerit, universas paleas et nugas Protestantium super aedificatas funditus evertet, et Ecclesiae causam atque doctrinam veracem esse monstravit. Faciet autem hoc, qui firmis argumentis constituit (quod isti perversi nugatores negant) esse scilicet in Ecclesia Dei, praeter Canonicam Scripturam aliud genus doctrinae,

nae, in ipsa tamen fundatum et observatum, necessarium, et reverentia perquam dignum: quod Divina Scriptura et Apostolici Patres Traditionem vocant. In quo argumento non minus gravi quam necessario, nostra in praesenti, Deo duce, sudabit industria: non quod de me altiora promittam, quam quae multi docti et sapientes viri, quos nostrum hoc saeculum habet, zelo Dei, et sacra eruditione pollentes, praestare possent, si velent: Sed quod nemo eorum sit, quos mihi contigit videre, qui in decisione controversiarum huius temporis, plene hoc argumentum fuerit persequutus, caput alioqui et seminarium omnium fere controversiarum, quae hodie agitantur: et in quo uno si Ecclesiae adversarii nobiscum vellet consentire, facile omnia quae nunc vexant Ecclesiam dissidia sopirentur. Ostendam autem id succinto et didascalico modo tam Scripturae testimoniis, quam irrefragabilium antiquissimorum Patrum placitis, totiusque Ecclesiae Orientis et Occidentis consensu: adiunctis etiam rationibus efficacibus Ecclesiasticam causam pro mea mediocritate defendens ac confirmans, praesenti et necessario argumento conabor, favente Iesu Christo, aliquo modo satisfacere. Neque vero ignoro, me difficillimam provinciam sumpsisse, tum ob difficultatem singularem rei, tum etiam ob quorundam carnalium et sciolorum hominum ingenium. Sunt enim quidam, qui nihil vel audire vel legere velint, etiam si ad pietatem maxime pertineat, nisi quod ornatum, elegans, et expoliturum sit: imo plane fastidiunt, quaecumque aures ipsorum blandiori sono non permulcent. Alios item invenias labe apostasiae infectos, qui vel solo titulo libri lecto, doctrinam et auctorem execrabuntur: Quoniam Ecclesiae antiquitatem, et Apostolicarum Traditionum reverendam maiestatem ob oculos omnium ponamus, in magnam scilicet suorum errorum confusionem: à quibus, quando ad

meliozem mentem eos revocare non datur (quod tamen summis votis desideramus) illud solum iure humanitatis postulatum volumus; ne priusquam haec nostra perlegerint, et sine ullo affectu mature perpenderit, damnent: Sed potius iudicium suum interim suspendant. Certo enim scimus, quod causa cognita, aut non damnabunt: Aut si forte damnarint, non nos, sed Apostolicam et veterem Ecclesiam se damnare cognoscent. Sunt postremo alii parvuli fluctuantes variae doctrinae ventis hinc inde agitati, in perniciosum quemdam statum neutrum inclinantes: qui quales quales sunt, Ecclesiae filii sunt: Quibus spero, per Dei adiutorium, et sanctae Ecclesiae preces, hoc nostro labore me non nihil profuturum: et quidem eos qui tenaciter Ecclesiae radicibus adhaerent, non parum confirmaturum. Habetis, Fratres dilectissimi, instituti nostri rationem. Superest nunc precemur pietissimum Iesum, ut laborem hunc nostrum, et aliorum, qui pro Ecclesia pugnant, ad utilitatem animarum, et suam ipsius gloriam bene promoveat atque fortunet: utque destructis perniciosis erroribus, et sublatis Ecclesiae nefandis abusibus, ad res christianas ut coepit, respiciat. Valet in Domino Fratres. Augustae Windelicorum pridie Nonas Maii. Anno MDXLVIII.

Divisio tractandorum.

Quadripartitus erit noster processus. Primum enim adversariorum doctrinam de Traditionibus afferemus. Tum causam nostram nonnullis assertionibus et probatissimis rationibus statuemus. Tum Divinas et Apostolicas Traditiones, et earum vigorem corroborabimus. Et postremo adversariorum argumenta dissolvemus.

SUMMA PRAECIPUORUM CAPITUM
quae in hocce Tractatu continentur.

I. designat Tomum primum, II. secundum, Num. Arab. paginam.

PARS PRIMA.

- | | |
|---|--|
| A dsertio adversariorum de Traditionibus. I. 1. | Scripturae Divinae Traditiones cuiusmodi. I. 144. |
| Traditiones an sint. I. 5. | Sacramentorum Traditiones quales. I. 146. |
| Traditiones diverso modo accipi. I. 6. | <i>Consideratio prima Catholica.</i> |
| Traditio quidnam proprie sit. I. 7. | Baptismi ritus cuiusmodi. I. 152. |
| Traditionum partitio cuiusmodi. I. 9. | <i>Consideratio secunda.</i> |
| <i>Adsertio prima Catholica.</i> | Confirmationis sacrae Traditio Catholica quae. I. 154. |
| Traditionis antiquitas. I. 11. | <i>Consideratio tertia.</i> |
| <i>Adsertio secunda.</i> | Confessionis auricularis, poenitentialisque satisfactionis Traditio qualis. I. 161. |
| Scripturas sacras non posse seipsas in omnibus interpretari. I. 36. | <i>Consideratio quarta.</i> |
| <i>Adsertio tertia.</i> | Ordinis sacri Traditio et ritus cuiusmodi. I. 187. |
| Scripturae sacrae ut omnibus non debeant esse communes. I. 48. | Auctoris Epistola nuncupatoria Fr. Petro de Soto. I. 216. |
| <i>Adsertio quarta.</i> | <i>Consideratio quinta.</i> |
| Spiritus privatus ut non sufficiat ad tollendas Fidei controversias. I. 81. | De tremendo Altaris Sacrificio. I. 217. |
| <i>Adsertio quinta.</i> | Corpus Christi ut maneat in consecrata hostia etiam sine usu communionis vere et realiter. I. 227. |
| Magisterium Ecclesiae publicum quodnam sit. I. 106. | Ut non sit necessarium, quod fideles communicent dum Missa celebratur. I. 236. |
| PARS SECUNDA. | Suffragia an prosint defunctis, Traditio. I. 253. |
| <i>Adsertio sexta.</i> | Communio an fiat sub altera vel utraque specie. I. 256. |
| Traditionum sanctarum diversos esse fontes. I. 143. | Pur- |

Purgatorium an sit , Traditio
Catholica quae. I. 292.

Consideratio sexta.

Uctionis extremae Traditio Ca-
tholica quae. I. 298.

De veneratione Sanctorum Au-
ctoris Praefatio ad Ioannem
de Figueroa. II. 1.

De cultu, veneratione et inter-
cessione Sanctorum. II. 3.

Spiritus Sanctorum ut agnoscant
vota vivorum. II. 15.

Spiritus Sanctorum ut pro vi-
vis orent etiam in particulari:
et ut invocari debeant. II. 24.

De veneratione Reliquiarum,
Sepulchrorum, et Basilica-
rum Sanctorum. II. 45.

Imagines Sanctorum ut hono-
rentur Traditio. II. 66.

Imaginum Antiquitas cuiusmo-
di. II. 71.

Imagines quo honore sint véné-
randae. II. 82.

Baptismus parvulorum quid ha-
beat Traditionis. II. 92.

Exorcismus quid habeat Tradi-
tionis Patrum. II. 100.

De unitate Episcopatus in Ec-
clesia. II. 100.

PARS TERTIA.

De secundo fonte Traditio-
num, Apostolico Magiste-
rio. II. 102.

Canonum Sanctorum Aposto-
lorum auctoritas quanta. II.
113.

Ieiuniorum Quadragesimae et

aliorum Traditio. II. 117.

Ieiunii duplicis Traditionis Con-
sideratio. II. 120.

Ieiunii Ecclesiastici necessitas,
et utilitas quae. II. 122.

Ieiuniorum temporis et ciba-
riorum praescriptio cuiusmo-
di. II. 150.

Ciborum delectus cuiusmodi.
II. 157.

De sacri Coelibatus Traditione
Consideratio. II. 179.

Coelibatus ut non repugnet na-
turae, nec rationi. II. 180.

Coelibatus ut non sit contra
verbum Dei, sed divinitus
introducitur. II. 183.

Coelibatus ut sit laudabilis, et
Deo gratus. II. 189.

Continentia salutari Sancta Ec-
clesia ut necessario gaudeat.
II. 199.

Voto firmare Coelibatum, ut
sit laudabile et Apostoli-
cum. II. 204.

Coelibatus ut Episcopali et Sa-
cerdotali statui sit convenien-
tissime annexus, eisque ex-
pedientissimus. II. 231.

Coelibatus legem non licere re-
laxari in Sacerdotali statu.
II. 254.

De Traditionibus Apostolicis,
quarum Sancti Doctores me-
minerunt. II. 260.

De tertio fonte Traditionum,
Episcopali auctoritate. II. 263

De Anabaptistarum sensu circa
Potestates publicas. II. 265.

Potestati Ecclesiasticae quid-
nam

- nam tribuant Lutherani. II. 266.
- Libertas Evangelica ut non excludat obedientiam. II. 268.
- Libertas Christiana in quibus consistat. II. 271.
- Episcopi propria ut sint superintendere primum. II. 286.
- Episcopi proprium ut sit esse Pastorem. II. 287.
- Episcopi ut sint Rectores Ecclesiae, et Praesidentes. II. 288.
- Episcopi ut sint Medici animarum. II. 292.
- Episcopi ut sint Parentes spirituales suorum subditorum. II. 294.
- Episcopi ut vices agant ipsius Christi in Ecclesiis. II. 295.
- Episcoporum auctoritas quid possit. II. 296.
- Episcopi ut possint excommunicare. II. 298.
- Excommunicationis causae quae sint? II. 301.
- Episcopalis potestas ut extendat se ad condendas leges. II. 308.
- Praelati Ecclesiarum ut ultra excommunicandi habeant et coactivam potestatem. II. 334.
- Obediendum uti sit etiam malis Praelatis. II. 340.

- Episcoporum et Praelatorum Ecclesiarum, ad quos pertineat electio et reiectio. II. 346.
- Adsertio septima Catholica.*
- Traditiones omnes non esse aequalis ponderis. II. 358.
- Auctoritas tradentium ut considerata simul cum qualitate traditorum. II. 359.
- Adsertio Catholica octava.*
- Traditiones quae pietatem nec promovent, nec ad retinendum Ecclesiasticae politiae ordinem conducunt, quomodo retinendae sint. II. 365.
- Adsertio Catholica nona.*
- De particularibus Adsertionibus, et vi earum. II. 376.
- Adsertio Catholica decima.*
- De universalibus et Apostolicis Traditionibus, et vi earum. II. 380.

PARS QUARTA.

- Diluuntur Obiectiones Adversariorum. II. 410.
- Prima Obiectio. II. 411.
- Secunda Obiectio. II. 415.
- Corollarium de symbolo Lutheranorum, Verbum Domini manet in aeternum. II. 443.

DOCTORES SANCTI, ET PATRES ANTIQUISSIMI
 qui in hoc Tractatu citantur, et quibus Novatores huius tempo-
 ris contradicunt, nunc in uno dogmate, nunc in alio.

Ex Schola Apostolorum.

DIvus Clemens Martyr, Sancti Petri Discipulus.

Sanctus Martialis Martyr, circa annum Domini 73

D. Dionysius Areopagita Martyr, circa annum Domini 65

Hermas Pauli Discipulus, Episcopus Philippoleos.

Ignatius Martyr an. Domini 100

Polycarpus Mart. an. Dom. 100

Papias Hierapoleos Episcopus, anno Domini 160

Anacletus Martyr, an. Dom. 100

Evaristus Martyr, an. Dom. 111

Alexander Primus, Martyr, anno Domini 115

Ex sequenti aetate Martyrum.

Xistus I. Martyr, an. Dom. 123

Thelesphorus Mart. an. Dom. 136

Pius I. Martyr, an. Domini 149

Anicetus Martyr, an. Dom. 164

Eleutherius Mart. an. Dom. 183

Victor Martyr, an. Domini 199

Zepherinus Mart. an. Dom. 210

Calixtus I. Martyr, an. Dom. 228

Irenaeus, anno Domini 175

Tertullianus, anno Domini 160

Clemens Alexandrinus, anno Domini 200

Origenes, anno Domini 261

Serapion Antiochenus, anno Domini 193

Urbanus Martyr, an. Dom. 241

Pontianus Martyr, an. Dom. 241

Anterius Martyr, an. Dom. 246

Fabianus Martyr, an. Dom. 246

Cornelius Martyr, an. Dom. 260

Stephanus Martyr, an. Dom. 268

Cyprianus Mart. an. Dom. 260

Xistus Secundus, Martyr, anno Domini 271

Dyonisius Pontifex, Martyr, anno Domini 272

Felix Primus, Pontifex, Martyr, anno Domini 283

Eutichianus Pontifex et Martyr, anno Domini 283

Caius Martyr, an. Domini 294

Marcellinus Martyr, anno Domini 307

Marcellus Martyr, an. Dom. 313

Eusebius Pontifex, an. Dom. 319

Melchiades Pontifex, anno Domini 319

Ex tertia aetate, Sanctorum Confessorum à tempore Constantini Magni.

Sylvester Pontifex, an. Dom. 315

D. Antonius, anno Domini 330

Eusebius Caesariensis, anno Domini 320

S. Athanasius, an. Domini 334

Hilarius, anno Domini 371

Magnus Basilius, an. Dom. 380

Gregorius Nazianzenus, anno Domini 390

Gregorius Nysenus, anno Domini 380

Eusebius Emysenus, anno Domini 350

Venerabilis Ephrem , anno Do- mini	380
Theophilus Alexandrinus, anno Domini	390
Epiphanius , anno Domini	390
Iohannes Chrysostomus , anno Domini	411
Ambrosius , anno Domini	380
Hieronymus , an. Domini	422
Damasus , anno Domini	370
Rufinus , anno Domini	400
Syritius , anno Domini	418
Augustinus , anno Domini	430
Primasius , anno Domini	440
Innocentius I. an. Domini	417
Prudentius , anno Domini	380
Zozimus , anno Domini	419
Cyrillus , anno Domini	432

Leo I. anno Domini	441
Gregorius Magnus , anno Do- mini	605
Genadius , anno Domini	460
Iohannes Damascenus, anno Do- mini	390
Hadrianus I. an. Domini	774
Paschalis , anno Domini	1104
Beda , anno Domini	732
Isidorus , anno Domini	603
Fulgentius , anno Domini	500
Bernardus, anno Domini	1140
Innocentius II. an. Dom.	1134
Haymo, anno Domini.	834
Anselmus , anno Domini	1080
Innocentius III. an. Dom.	1200
Thomas Aquinas, an. Dom.	1274
Gratianus , anno Domini	1120

Synodi Sanctae quae hic etiam citantur.

Antiochena Synodus I. ubi Ca-
nones Apostolorum sunt ae-
diti.

Antiochena Synodus II.

Fabiani Papae Synodus.

Gangrensis Synodus.

Laodicensis Synodus.

Ancyrana Synodus.

Nicaena I. Synodus.

Sylvestri Papae Synodus.

Sardicensis Synodus.

Arelatensis I. et II. et III. Sy-
nodus.

Illiberitana I. Synodus.

Constantinopolitana I. Synodus.

Antiochena III. Synodus.

Ephesiana Catholica Synodus.

Milevitana Synodus.

Carthaginensis II. et III. et IV.
et V. Synodus.

Calcedonensis generalis Synodus.

Sexta Synodus.

Septima Synodus.

Toletana I. II. III. IV. VIII.

XI. Synodus.

Bracharensis Synodus.

Hispalensis Synodus.

Gerundensis Synodus.

Vallensis Synodus.

Triburiensis Synodus.

Wormatiensis Synodus.

Wercellensis Synodus.

Arausicana Synodus.

Lateranensis generalis Synodus.

Constantiensis Synodus.

Florentina Synodus.

ASSERTIO ADVERSARIORUM DE TRADITIONIBUS.



UAMVIS nihil frequentius fere in scriptis eorum comperias, qui sanctam Ecclesiam impugnarunt, quam quod adversus Apostolicas Traditiones latent, iisque detrahant, ac vulgo suo easdem Papistica & commentitia hominum instituta vocantes, ludibrio exponant: nè tamen aliquibus videamur antago-

nistas fictos nostris argumentis impetere, afferemus fideliter in medium ipsa adversariorum expressa verba, per quae omnes intelligant, male sanam eorum mentem, quantum ad praesentem causae statum attinet, et efficaciter a nobis impugnari, et a sancta Ecclesia merito damnari.

Non est hoc novum Protestantium institutum, neque ab illis primo inventum (ne gloriam reportent de mendacio, quod magis renovarunt quam invenerunt) scilicet pro certo non habere, nisi quod in divinis scripturis expressum invenitur. Nam Eunomiani haeretici manifesti, et in Spiritum Sanctum olim blasfemi, teste Divo Basilio ad Amphiloichium, (a) conglorificationis Spiritus Sancti cum Patre et Filio dogma non recipiebant, quia in scripturis minime contineri videbatur, nihil de traditionum auctoritate

A

cu-

(a) Basilius ad Amphiloichium.

curantes. Aeriani etiam ieiuniorum et sacrorum ordinum institutum reiiciebant, quia videbatur ipsis quod ex scripturis non haberent testimonia, ut testis est Divus Epiphanius, (a) cum adversus eos disputat et traditione convincit.

Item B. Bernardus (b) de quibusdam suae tempestatis haereticis (puto esse Petrobusianos) loquens, eos solum admittere Evangelium affirmat, et ob id negari ab eis Purgatorium, orationes pro defunctis, et multa alia quae scripturis clare comprobari non possunt. Pygardi insuper Valdenses invocationem Virginis Intemeratae et aliorum Sanctorum Idololatricam esse perperam asserebant, quia e scripturis auctoritatem non habebant: omni prorsus Ecclesiastica traditione contempta.

Post quos Martinus Luther, pestilentium et iam damnatorum errorum insignis suscitator, novorumque nostri seculi dogmatistarum antesignanus, nullam fere habet in scriptis suis periodum, in qua dicteriis et blasphemis de more suo non respergat doctrinam per traditionem in Ecclesia vigentem, nunc illam vocans Pharisaeicam, nunc superstitiosam, et mere humanam adinventionem, et cum sacrosancto Dei verbo pugnantem. Quae res quo fiat dilucidior, non erit inutile, si locos aliquot insigniores in medium proferamus, quibus ille passim scripta sua visus est velut exornasse. Primum, in libro illo blasphemo (c) de captivitate Babylonica venerabilia Confirmationis et Ordinis, et Uctionis extremae Sacramenta, a ratione et numero Sacramentorum excludit, nimirum quod non sit (ut ille inquit) pro illis verbum Dei, nec ullam gratiae promissionem in se habeant. Verum de traditionibus expressius in Deuteronomii Commentariis cap.III., exponens illud Moysi: *Ut servetis praecepta Dei.* Hoc dicto (inquit) ostendit hominum

Tra-

(a) Epiphanius adversus Aerianos.

(b) Bernardus Serm. LXV.

(c) Luther. de Captivit. Babylo-
nica.

Traditiones pugnare in re sacra cum verbis Dei, ut quae obstant et scandalo sint. Et paulo post, tractans illud, *Oculi vestri viderunt*. Hic dat (inquit) causam, quare debeant reiici mandata et inventa hominum, exemplo Moabitarum, qui colebant Deum, et non per verbum Dei. Ubi vides in una re duo manifesta mendacia, alterum, quod Traditiones humanas vocat istud caput perditissimum, quicquid in verbis scripturae non reperitur (hocce non ipse vocat verbum Dei): alterum, quod eas verbis Dei pugnare affirmat, et id quidem sine aliquo scripturae testimonio. Et infra cum declarat illud, *Vocem verborum eius audistis, et nullam similitudinem vidistis*. Hic locus (ait) non solum damnat imagines externas Dei, sed multo magis internas opiniones, et cogitationes de Deo ex nobis extra verbum Dei fictas, hic certe sola vox verborum eius commendatur, et quicquid de Deo dicitur aut cogitatur, quod non sit ista vox, prorsus impium et damnatum est, nam suo verbo solo voluit suam voluntatem, sua consilia deformari. Haec ibi.

Non te praetereat, sed obiter considera lector optime, quanta dexteritate hic protestantium Esdras exponat sacras litteras, quam sapienter et acute arcanam intelligentiam teneat, et sua dogmata corrupta ex ea trahat. Bone Deus, ecquid obsecro commune habet, nullam vidisse similitudinem Dei Iudaeos cum legem acciperent, cum hoc, quod nulla Traditio, nullaque doctrina extra Dei verbum acceptanda est? an non hoc est, quaeso, in media luce caligare, levissima et prorsus inepta allegoria, tam arduum dogma, quod ne ipsa quidem littera sonat velle statuere? Ad hunc gustum reliquos fere errores suos omnes ex sacris oraculis deducit hic totius Ecclesiae censor. Quis dicat hunc scripturae divinae vindicem et reparatorem, ac non potius depravatorem esse? Ut mihi quidem videtur, hic est immanissima illa fera, et aper singularis de sylva,

de quo conqueritur David (a) tamquam de vineae Domini vastatore et exterminatore. Sed videamus quid per Dei verbum in praefatis verbis intelligat, quod dicit solum debere regnare. In Commentariis enim Epist. ad Galatas, ipse se explicat, exponens illum locum, *Licet nos aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus, anathema sit.* Neque alia (inquit) doctrina in Ecclesia tradi et audiri debet, quam purum verbum Dei, hoc est, sancta scriptura. Doctores vel auditores alii cum sua doctrina, anathema sunt. Ubi se ipsum cum aliis anathemate ferit hic furiosus gladiator. Hactenus Lutheri sensus de Traditionibus.

In Augustana vero Confessione, consensu omnium Protestantium invictissimo Caesari nostro Carolo exhibita, Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo, etsi temperatius de Traditionibus agatur, indigne tamen, ne dicam mendaciter hoc argumentum etiam tractatum est: Primo coarctarunt Traditiones ad quaedam hominum instituta, ex quibus (inquiunt) quaedam sunt contra Evangelium, ut coelibatus traditio, et aliae nonnullae; et tunc servanda regula est, quod oportet Deo obedire magis quam hominibus: aliae (inquiunt) loquuntur de rebus suapte natura adiaphoris, de cibis et vestitu, et similibus, quas dicunt fieri impias, si proponantur cum opinione quod delent peccata, et quoniam habentur pro iustitia: caeterum si pro ordine Ecclesiastico retinendo proponantur, tunc observandae sunt. Haec ibi. Quae mitius fortasse dixerunt gratia ineundae concordiae. Philippus tamen longe aliter docet in libello de Ecclesia, plane cum magistro suo consentiens, ubi manifestans causas quibus moti Protestantes discessionem ab Ecclesia fecerunt, expresse reprehendit cultus Dei sine ipsius verbo introductos, quod reputat tantum flagitium, quan-

(a) Psalm. LXXVIII. 14.

quantum colere deos alienos. Buccerus etiam in deformatione Coloniensi nil certum esse affirmat praeter Scripturam, cui soli Ecclesia debet inniti, nec aliud debet populo proponi, et omne aliud tamquam incertum, inutile, noxium, et pure humanum, etiam si ab eis tradatur qui spiritu Christi multa cognoverunt, reputari debet, quia caro et sanguis (inquit) Dei sapientiam non percipit, imo Deo ipsi repugnat. Hucusque ineptit ille. Denique in hoc sunt generaliter omnes tam Lutherani, quam Sacramentarii et Anabaptistae, ut in eorum scriptis videre est, ubi tertio quoque verbo hanc inculcant sententiam: quorum levia fundamenta in fine huius nostrae considerationis, ubi ipsa solvere destinavimus, afferemus. Contenti semel illa adduxisse, ne crambe putida saepius repetita pios lectores offendat, et stomachum moveat. Nunc ad impugnationem huius pestilentis dogmatis Deo auspice accingamur, positis primo postulatis, deinde assertis.

PRIMUM POSTULATUM:

Traditiones esse.

IN confesso est apud omnes nemine refragante, doctrinae genus per Traditiones in Ecclesia derivatum, esse semper, et fuisse: maxime cum Divina Scriptura passim de iis faciat mentionem, nunc has reprehendendo, ut Christus Redemptor noster (a): nunc illas commendando, ut Apostolus (b): quae sane res, ipsa per se notior est, quam ut probatione egeat, praesertim quando in ea cum adversariis ipsis sine ulla differentia convenimus. Nam si non essent, absurda nimis esset controversia, an essent necessario observandae, nec ne.

SE-

(a) Marc. VII. 7. et 8. Matth. XV. 3. (b) II. Ad Thessal. II. 14.

SECUNDUM POSTULATUM:

Traditionis nomen non uno modo accipi in Scripturis, neque apud antiquos Patres.

Accipitur Tradere aliquanto largius pro doctrina quovis modo primitus tradita, sive ore tenus, sive per scripturam. Apostolus namque (a) doctrinam *per epistolam*, et *per sermonem acceptam* generali nomine *Traditiones* vocat. Item (b) Lex scripta Moysi *Traditio* nuncupatur: *Homo iste* (dicunt illi qui Stephanum Protomartyrem accusabant) *non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem, audivimus enim eum dicentem quoniam Iesus Nazareus destruet locum istum; et mutabit Traditiones quas tradidit nobis Moyses.* Divus (c) Cyprianus frequenter vocat *Dominicam Traditionem*, quam in *Scripturis Divinis Dominus* commendavit.

Paulo tamen contractius sumi solet, pro doctrina ore tenus primitus accepta, sive postea scripturis authenticis fuerit deman- data, sive non. Apostolus (d): *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur &c.* Et: (e) *rogamus vos et obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic etiam ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quae praecepta dederim vobis per Dominum Iesum &c.* ubi nonnulla quae prius tradiderat, scripto recenset. Rursus Matthaei ultimo, Christus Redemptor no- ter Apostolis praecipit, ut doceant gentes, ad quas mittebantur, observare quaecumque ipse mandavit et tradidit illis, quorum multa postea *Scripturis Canonicis* commendarunt nonnulli ex Apo- stolis et *Discipulis Domini.* Denique totum *Evangelium* dici po- test hoc modo *Traditio*, eo quod per vivam Iesu Christi et Apo-

sto-

(a) II. Thessal. II. 14.

(b) Actor. VI. 14.

(c) Cyprianus pluribus in locis.

(d) I. Cor. XI. 25. (e) I. Thes. IV. 1.

stolorum vocem, primitus in cordibus hominum disseminatum est, licet postea per sacros Evangelistas in Scripturas fuerit digestum.

Quid proprie Traditio.

PRoprie magis tamen ac nostro huic proposito pertinentius, sumitur pro doctrina primorum et maiorum in politia fidelium viva voce accepta, et continua successione a patribus ad filios derivata, et consuetudine pervetusta firmata, et in libris authenticis illius politiae minime contenta: ac licet in aliis instrumentis vel libris fide dignis scripta fuerit, non ob id Traditionis nomen amittit: tandem sic accipitur ut distinguatur a doctrina, quae in libris Canonicis reperitur. Hoc modo accepit Christus, quando (a) opposuit frivolas et superstitiosas Traditiones et legi Dei repugnantibus mandatis Decalogi in Scriptura contentis. Hoc modo accepit Paullus (b) cum Timotheum monet, ut servet mandatum sine macula et irreprehensibile: et non multo post dicit: (c) *O Timothæe depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae.* Quod verbum Tertullianus auctor pervetustus libro de Praescriptione haereticorum, de doctrina viva voce tradita intellexit. Nec circumstantia verborum Apostoli hunc locum aliter intelligere sinit, si oculate perspexeris. Dicit igitur (d) Tertullianus: *Traditiones per vivam vocem doctrinae Ecclesiasticae appellabat Apostolus depositum.* Libro etiam de Corona militis, postquam idem auctor multas Ecclesiasticas Traditiones recensisset, utpote de ritu Baptismi et Eucharistiae, antelucanis precibus, oblationibus pro defunctis, et Martyrum natalitiis, dicit: *Harum et aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem postules, scripturam nullam invenies. Traditio tibi perpendetur auctrix, et consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* Et paulo superius dixerat, quod ad Traditionis

ob-

(a) Marc VII. 8.

(b) I. Timoth. VI. 14.

(c) I. Timoth. VI. 20.

(d) Tertull. de Praescription.

obtentum non est exigenda auctoritas scripturae, ubi satis clare patet, qualis erat in antiqua Ecclesia huius nominis usurpatio. Nec Cyprianus cum Novatianos urget, nec Irenaeus cum Valentinianos, nec Basilius cum Eunomianos, nec Hieronymus cum Helvidium et Vigilantium, nec Augustinus cum Donatistas impetit, aliter accipiunt huius nominis significationem, prout sequens processus indicabit. Esto igitur, ut fixa esse possit nostra disputatio, haec Traditionis definitio.

Traditio (*) est *arcana doctrina consuetudine fidelium roborata, ex animo in animum a maioribus in posteros medio incurrente verbo transfusa*. Cuius definitionis omnes fere partes ex D. Dionysio Apostolorum discipulo desumptae sunt, qui partes has sacrosanctae Traditioni tribuit, cuius verba ad aliud propositum, in sequentibus pertinentius adhuc allegabuntur. Nec permittendi sunt adversarii contra omnium Sanctorum Patrum in hac significatione consensum, ut ad humanas constitutiones Traditiones sanctas maligne coarctent, cum generalior sit vocabuli significatio, ita ut divinam etiam doctrinam minime despicabilem contineat: nomina enim iuxta receptam sapientum sententiam accipienda sunt ab iis qui recte de doctrinis volunt disserere, alias non magis cum illis congregiendum quam cum rusticis et illitteratis hominibus, utpote qui principia negant vel destruunt, in quibus disputantes oportet convenire. Ex his igitur acceptionibus, quamquam secunda nonnumquam utemur, tertia tamen erit nobis in processu magis familiaris, eo quod de Traditionibus sic acceptis est potissimum controversia.

TER-

(*) Definitio Traditionis.

SECUNDA PARS.

TERTIUM POSTULATUM.

*Non quicquid generali Traditionis nomine commendatur, statim
applausibile est et acceptabile.*

EX Divinis Scripturis duplex Traditionum genus omnibus facile innotescit, non bonarum scilicet et bonarum. Magister enim veritatis Christus Iesus (a) frivolas et Dei legi repugnantes Iudaeorum Traditiones reprehendit: *Irritum (inquit) fecistis praeceptum Dei, ut Traditionem vestram servetis. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam &c. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri vel matri Corban, quod est donum, quodcumque ex me, tibi profuerit, et ultra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri, rescindentes Verbum Dei propter Traditionem vestram. Et paullo superius (b) dixit idem Evangelista: Pharisei enim et Iudaei nisi crebro laverint manus suas, non manducant, tenentes Traditionem seniorum, et a foro nisi baptizentur non comedunt; et alia multa sunt, quae tradita sunt illis servare. Divus etiam Paullus Iudaicarum Ceremoniarum Traditionem reiicere iubet, utpote quae luce evangelica coruscante, vanae et infatuatae erant, Christoque iam adglutinatis, nihil utilitatis pariebant; quinimo perniciosae erant iis, qui post iustitiam Christi manifestatam spem salutis in illis collocabant; dicit enim (b): *Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis? ne tingeris, neque gustaveris, neque contrectaveris, quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta et doctrinas hominum: quae sunt, rationem quidem habentia in superstitione, et ταπεινοφροσύνη, id est, animi abiectio?* Ubi observanda obiter est apostolica prudentia: licet enim haec quae censet non observari iam debere, antiqua lege divina cauta erant, tamen quia iam per Iesu Christi iustitiam,*

Tom. I.

B

quae

(a) Marc. VII. 8. (b) Ibid. v. 3 (c) Apost. ad Coloss. II. 20.

quae praesens erat, et Dei voluntatem nullum robur habebant, sed sola hominum (qui videbantur Apostolici) auctoritate, tamquam necessaria commendabantur, hominum praecepta appellat; utpote quae iam desierant esse divina. Unde habes triplici nomine Traditiones non bonas esse: aut quia legi Dei repugnant, et proximae sunt occasiones peccandi; aut quia Christi gloriae derogant; aut quia frivolae, onerosae, et nullius frugis sunt. De primis loquitur Irenaeus (a) libro quarto, dicens: *Traditiones falsas corrumpentes legem miscebant Iudaei, de quibus Isaias: (b) Caupones tui miscentes vinum.* Et Cyprianus contra Stephanum (c), Traditionem contra veritatem non debere servari affirmat. Augustinus libro tertio contra Donatistas (d) primum hoc genus respuit. In Epistola vero ad Casulanum Divo Hieronymo in hoc assentiens, alias illas inutiles et onerosas, ubi sine scandalo dabitur, iubet rescindi. Alio vero genere bonarum Traditionum nihil est in Paulo (e) frequentius: Epistola secunda ad Thessalonicenses, et prima Corinthiorum primo, et prima et secunda ad Timotheum, quod retinere optime censet Cyprianus, Irenaeus, Tertullianus, Augustinus ad inquisitiones Ianuarii, et Epistola ad Casulanum, quorum sententias hic non proferimus, quia in processu dabitur opportunior locus. In summa: Qui non vult Paullum nec secum, nec cum Christo pugnare, et alias Ecclesiae sacrosanctas columnas a se ipsis dissentire, necesse est, ut hoc duplex membrum Traditionum admittat. Atque ita stat firmum in veritate nostrum postulatum, quo uno eluduntur facile omnes adversariorum in cuneum Ecclesiasticum libratae machinae; usque adeo est robusta in hac parte horum Gigantum manus.

Ha-

(a) Irenaeus, Lib. III. advers. haeres.

(b) Isai. I. 22.

(c) Cyprian. adv. Steph.

(d) Augustin. adv. Donatist. Lib. III.

(e) Apostol. II. ad Thessal. et I. ad Corinth.

Habes ex hac Doctrina Traditiones non bonas, partim esse per se malas, partim gloriae Dei ex occasione derogantes, partim vero inutiles et onerosas. Quibus omissis, ad legitimas Traditiones accedendum.

A S S E R T I O P R I M A.

Doctrina fidei, et divini cultus disciplina, sine scripto verbo per multa tempora fuit, et prius Traditione constitit fidelibus, quam scriptura: nec adveniente scriptura abrogata est omnino Traditio, quin potius simul cum ipsa scriptura commendata est, et per Traditionem auctoritatem obtinuit.

Quantum ad veterem statum fidelium tam naturae, quam legis attinet, satis hoc constat. Nam antequam Moyses legem Israelitis traderet, pervetusti illius saeculi patres, ab Abel usque ad ipsum Moysen veri cultus Dei doctrinam habuerunt, nulla Canonica adhuc stante scriptura, sed per iugem successionem a patribus in filios, a filiis in nepotes derivatam. Sacrificabat (a) enim Abel: Invocabat (b) nomen domini Enoch: Colebat (c) Deum pater iustorum Seth: Placebat (d) Deo, et holocausta offerebat Noe: Erigebant (e) altaria, et sacrificia devovebant Abraham et Isaac: Sacrificabat etiam, et vota Deo faciebat Iacob: Sanctificabat se, et filios suos Iob, et holocaustis Deum placabat. De quibus omnibus, cum nulla scriptura constaret, ecquis dicat Traditione paterna hos sanctos Patres ductos non fuisse, cum haec et similia faciebant? Quis rursus est tam perfrictae frontis homo, ut audeat hos patres venerandos, Deo valde charos atque coniunctos, super huiusmodi institutis damnare, quod sine scri-

B 2

pto

(a) Genes. III. 4.
 (b) Genes. III. 26.
 (c) Genes. V. 3.

(d) Genes. VI. 8.
 (e) Genes. XV. 10.

pto verbo Dei huiusmodi cultus excogitabant? Hos vero cultus si-
 ne expresso verbo Dei fuisse introductos, palam docet (a) Chry-
 sostomus cum incidit in oblationem Cain: *Considera* (inquit)
quomodo naturae conditor scientiam animae indidit: quis enim illum, dic
oro, ad hanc cogitationem (oblationis videlicet) perduxisset? Nullus
alius, quam quae in animo conscio scientia. Tulit (inquit) *de fru-*
ctibus terrae sacrificium Domino; sciebat enim, et clare sciebat, quod
congruum esset ex possessionibus aliquid Deo offerendum, non quod eo
dominus indigeat: sed ut suam gratitudinem declaret, qui tali beneficio
fruitur. Vidisti hunc beatum affirmantem ex solo rationis dicta-
 mine, sanctos Patres oblationem et cultum introduxisse, quae
 non modo non damnat, sed congrue facta esse dicit. Audi et al-
 terum Patrem non minoris nominis, Chrysostomo coevum, qui
 universum illum cultum patrum, eorum qui ante legem vixerunt,
 mire complectitur, venerabilem scilicet Epiphanium, cum hae-
 resin Manichaeorum insectatur (b): *Iustitia* (inquit) *tempore fuit*
Abel et Enoch, quibus non erat lex scripta, sed naturalis tantum in-
telligentia et Traditio per successionem ex patribus ad filios. Haec ille.
 Quod si verbo scripto ductos contenderint adversarii sanctos Pa-
 tres ista fecisse, ostendant hoc ex ipsis scripturis, qui tam sunt
 stomachi nauseabundi, ut nihil nisi verbum scriptum admittant.
 Sin autem id nequeunt ostendere, ut nullo pacto valent, de si-
 nant per viscera Iesu Christi usque adeo levi ratione adducti, in-
 terturbare Ecclesiae Catholicae ordinem, a Christo et Apos tolis
 institutum, et suscitare in Ecclesia tam turbulentas tragoedias in
 magnum animarum detrimentum. Non ergo sufficit in scripturis ali-
 qua non contineri ad hoc ut continuo reiici debeant, et a coetu
 fidelium prorsus explodi: alioqui sancti illi Patriarchae reiicere de-
 buissent omnia illa quibus certo sciebant Deum optimum placari,

(a) Chrysost. Homil. XVIII. in Gen.

(b) Epiphan. loc. cit.

ri, et venerari: ac subinde impii fuissent, qui cultus Dei sine scripto verbo excogitarunt, et excogitatos instituerunt.

Putabit forte aliquis, quod adveniente scripta lege huiusmodi doctrina per Traditionem abrogata fuerit et prorsus cessaverit, sed non ita est. Nam ipsa circumcisio, et Sabbati sanctificatio, et animalium mundorum et immundorum discretio, pariter et sacrificandi ritus, et multa etiam alia, quae Traditione tantum, plus quam per bis mille annos penes fideles vigeabant, scripturae postea demandata sunt: nec ob id maiorem auctoritatem acquisierunt scripta, quam antea habebant verbotenus a Deo tradita. Adde quod primarii Hebraeorum hoc doctrinae genus unum cum ipsa lege scripta sancto Moysi a Domino oretenus traditum fuisse attestantur, quo reconditi scripturae sensus aperiebantur; quod ipse postmodum successori suo Iosue commendavit, qui rursus septuaginta illis senioribus, a quibus Prophetae acceperunt, a Prophetis primores Sinagogae receptum servaverunt. Hunc Traditionis ordinem assignat Rabbi Moyses (a) super Deuteronomium post multos alios antiquos Rabbinos: cuius disciplinae nonnulla vestigia quamque corrupta apparent in antiquorum Talmudistarum sententiis, et maxime in libro eorum qui dicitur *Cabala*: ubi licet multa fabulosa contineantur et falsa dogmata, quae in odium Iesu Christi Redemptoris nostri novi recutitque Rabbini commenti sunt; tamen sunt alia ex Rabbinis quae Christum praecesserunt desumpta, quae Christianam religionem confirmant, et scripturarum intelligentiae inserviunt: quod satis ipsum nomen קבלה indicat, receptionem enim, si recte interpreteris sonat: a verbo קבל quod est accipere, seu recipere, quia scilicet in huiusmodi libro reconditus quidam legis veteris intellectus per Traditionem (ut ipsi dicunt) acceptus continebatur.

Nec

(a) Rabbi Moyses.

Nec hoc genus doctrinae in renovationem legis Mosaicae, tempore Esdrae praetermittit Deus, cum illi dicit (a) : *Praepara tibi buxos multas, et accipe tecum Sariam, Dabriam, Selemiam, Echanum, et Asiel, quinque hos qui sunt ad scribendum velociter parati, et venias huc, et ego incendam in corde tuo lucernam intellectus, quae non extinguetur quousque finiantur quae incipias scribere : et tunc perfectis, quaedam palam facies, quaedam sapientibus absconse trades. Vides scripturae declarationem occultam, seorsum sapientibus, non per publicam scripturam, sed oretenus traditam? Propter quod (b) D. Petrus libro primo Recognitionum dixit, maiores appellasse clavem verbi Dei Traditionem Moysi et seniorum, quam Pharisaei ex industria a populo abscondebant, et de qua Christus (c) Scribis legis dicebat : *Vae vobis legis peritis, quia tulistis clavem scientiae, et ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis. Haec Petrus. Ad hanc arcanam doctrinam a veteribus mutuata et mutuandam, minores populi sui remittebat idem sanctus Moyses (d). Interroga patrem tuum et annunciabit tibi, maiores tuos, et dicent tibi : Quando dividebat altissimus gentes, &c. Quod constat ante invulgatam scripturam cognitum primis patribus fuisse. Hac etiam Traditione a senioribus suis se esse edoctum sanctus David gloriabatur, cum dicebat : (e) *Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annunciaverunt nobis. Hi sunt termini, quos transgredi prohibuit Salomon, filium suum erudiens, ne transgrediarius (f) (ait) terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Haec sunt viae antiquae, per quas Hieremias populum Dei incedere volebat, quando dicebat (g) : State super vias et videte, et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis***

(a) III. Esdr. XIII. 24.

(b) Petrus I. Recogn.

(c) Luc. XI. 52.

(d) Deut. XXXII. 7.

(e) Psalm. XXXIII. 1.

(f) Prov. XXII. 28.

(g) Hierem. VI. 16.

tis refrigerium animabus vestris. Hae sunt denique propter quas dicebat Ecclesiasticus (a) : *Non te praetereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis : quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsionem.* Plura adhuc possem ad hoc propositum testimonia coacervare, sed in gratiam vetustatis sufficiat haec adduxisse.

In novo etiam Testamento minime obscurum est, quod asseruimus. Christus enim Redemptor noster toto vitae suae tempore nihil scripsit quod Canonicum esse sciamus, nec aliquis ipso superstite ex eius schola discipulus. Sed nec quando ipse ascensus ad Patrem Discipulos suos ad praedicandum Evangelium misit, eis mandavit ut scriberent, sed (b) *euntes praedicate Evangelium omni creaturae.* Hanc enim legem Spiritus non in materialibus aut lapideis tabulis, dum primo inciperet, conveniebat exarari, sed intra cordium secessus digito Dei debebat scribi (c) iuxta Hieremiae vaticinium. Ideoque non tanti fecit Dominus Iesus externam scripturam, quanti vivae vocis energiam Spiritus Sancti magisterio eam concomitante, et intus corda hominum illuminante : id quod et Divus Irenaeus (d) optime animadvertit libro tertio adversus Valentinum : *Non per alios (inquit) Discipulos evangelium cognovimus, quam per eos, per quos evangelium venit ad nos, quod quidem tunc praeconiarunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis tradiderunt.* Venerabilis etiam (e) Eusebius idem omnino in haec verba testatur, loquens de Evangelii pacis invulgatione : *Venerabiles et Deo digni Apostoli Christi, cum essent in omnibus puritate vitae et animi virtutibus clari, non magni pendebant sermonis ornatum, quippe in quibus anima erat divinitus ornata virtutibus, simul et signorum gratia, quae eis a Domi-*

no

(a) Eccles. VIII. 11. 12.
 (b) Marc. ult.
 (c) Hierem. XXXII. 40.

(d) Irenaeus adv. Valent. Lib. III.
 (e) Eusebius Lib. III. cap. 34.

no nostro Iesu Christo concessa fuerat, qua confidentes non in suasoriis humanae sapientiae verbis, summam praedicationis Dominicae collocabant, sed in ostensione spiritus et virtute perquam mirabilibus consummatis et verborum suorum fide facta, universo orbi regni coelorum scientiam tradiderunt, parvipendentes plures libros scribere. Haec Eusebius. Insuper si tempus et ordinem scriptorum evangelicorum inspicias, invenies sine scripto verbo evangelico, sed sola Traditione Ecclesiam in suis primordiis floruisse, et in ea doctrinam fidei magnopere viguisse. Quid igitur tunc de Ecclesia erat sine scripto verbo? an propterea credere non debebant fideles, quia verbum scriptum non videbant? Absit a cordibus nostris tam impia cogitatio. Age, tamen expendamus tempus, per quod Ecclesia fuit sine his, quas modo habet, evangelicis scripturis. Primum scriptorum in lege gratiae teste Hieronymo in Prologo super quatuor Evangelia, et libro de Viris Illustribus, cui etiam suffragantur Eusebius et Irenaeus locis supra citatis, Matthaeus Apostolus fuit, qui Hebraeis suis, Hebraicis etiam literis suum evangelium conscripsit: qua vero occasione ductus, Eusebius loco iam citato explicat: *Matthaeus (inquit) primo Hebraeis praedicaverat, verum cum pararet transitum ad gentes, patria lingua scripturam composuit: et ea quae praedicaverat comprehendens, dereliquit iis ad memoriam, a quibus proficiscebatur, ut gentibus praedicaret.* Quando autem Matthaeus id fecerit, idem (a) Eusebius ex III. Irenaei libro adducens testimonium, declarat his verbis: *Matthaeus quidem Hebraeis propria eorum lingua conscriptum edidit evangelium, cum Petrus et Paulus in urbe Roma evangelizarent, atque Ecclesiae inibi fundamenta solidarent.* Cum igitur ex Actis Apostolorum Paullum sub Neronis imperio Romam adventasse constet, quamvis Petrus antea tempore Claudii Romam venerit, Hieronymo teste, compertum est

plus-

(a) Eusebius Libr. V. cap. 8.

plusquam viginti annos Ecclesiam sine scripto evangelio fuisse : ne tunc quidem omnibus divulgatum fuit , sed soli genti Hebraeorum , quod ipsum statim Divus Bartholomaeus , ut testatur eius historia , Indico sermone transtulit , et Indis ad quos penetraverat , tradidit : postea vero, ut Hieronymus libro de Viris Illustribus ait , graecis literis , a nescio quo fuit interpretatum , et Ecclesiae plenarie invulgatum.

Marcus autem circa idem tempus suum Evangelium scripsit, inductus ad hoc , ut Eusebio et (a) Hieronymo in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum placet, Romanorum fidelium intercessione. Inquit enim Eusebius (b), cum Petri praedicationis meminit : *Sermo veritatis et lucis , qui per Petrum praedicabatur , universorum mentes placido illustravit auditu : ita ut quotidie audientibus illum , nulla unquam satiety fieret , unde neque auditio eis solum suffecit , sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exorant , uti ea , quae ille verbo praedicabat , ad perpetuam eorum commonitionem habendum , scripturae traderet , quo domi forisque in huiusmodi meditationibus permanerent : nec prius ab obsecrando desistunt , quam quod oraverant , impetrarent , et haec fuit causa scribendi quod secundum Marcum dicitur Evangelium.* Ex quo plane datur intelligi , Marcum Evangelistam post adventum Petri in urbem , nec statim postquam Romam appulit , scripsisse , (c) sed ut ipsemet Eusebius loco allegato refert , postquam per Petrum Simonis impostoris tenebrae simul cum earum auctore restinctae sunt. Quando vero in Ecclesia publicatum fuerit , (d) Irenaeus manifestat , dicens : *Post Apostolorum exitum Marcus discipulus et interpret Petri evangelium , quod ille praedicaverat , digessit in librum , quod de digestionem ad plenam divulgationem intelligendum est.* Et in hac sententia est

C

Di-

(a) Hieronym. in Catal.

(b) Euseb. citat. loc.

(c) Euseb. citat.

(d) Irenaeus , Libr. III.

Divus Epiphanius (a) cum tractat haeresim Alogorum, et tempora Evangelistarum: *Post Matthaeum (inquit) insequutus est Marcus, iussus a sancto Petro Thomae evangelium edere, qui ubi scripsisset, mittitur a sancto Petro in Aegyptiorum regionem. Igitur superstite Petro, ut diximus, id scripserat. Quare si recte supputaverimus, constat Evangelium Marci post xxxvii. annos a Christi ascensione publicatum, et receptum in omnibus Ecclesiis fuisse.*

Tertius scriptor recensetur fere ab omnibus Lucas, cuius praefatus Eusebius (b) post Marcum meminit in haec verba: *Lucas in initio Evangelii sui, causam cur scriberet, indicavit. Quoniam (inquit) multi alii temere praesumpserunt enarrare, quae sibi magis ad liquidum fuerant comperta. Sed qua tempestate scripserit, incertum est: nam licet in II. Corinthiorum (c) ante adventum Pauli in urbem, Divo Lucae ex evangelio laudem tribuerit idem Apostolus, non satis tamen compertum est, an ex Evangelio praedicato, an literis iam demandato, laus illi in Ecclesia contigerit. Sed neque Irenaeus loco praefato cum Evangelistarum aliorum meminisset, mentionem facit. Verum est, quod ibi nonnihil de Luca refert, sed tempus quando scripserit, omnino silet. Adde quod Eusebius, qui diligentissimus fuit antiquitatis investigator Papias verba de scriptoribus evangelicis recensens, tempus in quo Lucas suum evangelium scripsit, omittere videtur. Unum illud certum est, et ex Lucae prooemio constat, eundem Lucam ad scribendum evangelium fuisse compulsam ea aetate, qua multi iam ex aliorum relatu Iesu Christi historiam nitebantur contexere: quod minime in ipsis Ecclesiae primordiis fuisse verisimile videtur. Epiphanius (d) tamen, cum in Alogorum haeresim incidit, Lu-*
cam

(a) Epiphan. loc. cit. Tom. II.

(b) Euseb. Lib. III. cap. 14.

(c) II. Corinth. VIII. 18.

(d) Epiphan. loc. cit.

cam scripsisse novem mensibus ante Matthaeum affirmat : quem forte insequutus Theophilactus (a) super Matthaeum asserit eum decimoquinto anno a Christo in coelos sublato , suum evangelium edidisse : quod testimonio aliquo antiquitatis non probant ; ita ut libere liceat oppositum opinari , illum scilicet post Marcum et Matthaeum ad scribendum animum appulisse : tum quia multa videtur supplere , quae illi omiserunt , tum etiam quia ab Hieronymo , Eusebio , et Gregorio Nazianzeno , et a tota Ecclesia , post Matthaeum et Marcum eius scriptura recensetur. Dicit enim (b) Gregorius ille magnus in Canone , quem edidit de divinis scripturis : *Matthaeus scripsit Hebraeis , Marcus Italis , Lucas Graecis , Ioannes omnibus , praeco maxime vocalis atque coelestis*. Ubi tertium facit scriptorem Lucam : quod sive sit , quia suum evangelium Lucas post illos scripserit , sive quia primitus scriptum tertio loco receptum ab Ecclesia fuerit , nihil refert , utrumque enim pro nostra assertione facit : hoc liquet et exploratum est , quindecim annis Ecclesiam sine scripto verbo fuisse , in quo omnes Sancti concordant.

Ioannem vero quartum in ordine scriptorum evangelicorum fuisse , nemo dubitavit , de quo idem (c) Eusebius libro saepe iam citato huiusmodi profert testimonium : *Tradunt Ioannem usque ad ultimum pene vitae suae tempus , absque ullius scripturae indiciis evangelium praedicasse , sed cum horum evangeliorum etiam ad ipsum notitia pervenisset , probasse quidem dicitur fidem et veritatem doctorum , deesse tamen vidit aliqua , et ea maxime , quae primo praedicationis suae tempore Dominus gesserat*. Aliam causam addit Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum (d) : *Ioannes (inquit) Apostolus , quem Iesus amavit plurimum , novissimus omnium scripsit evangelium,*

C 2

lium,

(a) Theophil. super Matth.
 (b) Gregorius Nazian. in Canon.

(c) Eusebius cit. loc.
 (d) Hieronym. in Catal.

lium, rogatus ab Asiae Episcopis adversus Cherinthum aliosque haereticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Haec Hieronymus. Et licet Apocalypsim antea in Pathmos Insulam relagatus, tempore Domitiani scripserit, ut Irenaeus et Eusebius auctores sunt, liquido tamen constat, Ioannem Apostolum plusquam per quadraginta annos absque ullis scripturis verbum Dei annunciasse, et ecclesias Asianas rexisse. Quanto vero tempore post passionem literis evangelium mandaverit, Epiphanius loco dudum citato testatur his verbis (a): *Spiritus Sanctus cogit Ioannem recusantem evangelium annuntiare ob metum et humilitatem in senecta ipsius, post nonaginta annos vitae eius, post reversionem eius a Pathmos, quae facta est sub Nerva, postquam multos annos in Asia transegisset, evangelium exposuit.* Hactenus ille. Vixit autem ipse annis nonaginta novem, obiitque anno sexagesimo octavo post Domini passionem, cum Traianus iam summa rerum potiretur, ut Hieronymus auctor est: quare ante sexaginta annos a morte Christi Ioannes evangelium nullo modo potuit scribere iuxta Epiphanium. Exactius tamen rationem temporis tenens Venerabilis Beda, (b) post LXV. annos a Christi ascensione ipsum edidisse suum evangelium affirmat.

Iam ut ad Canonicas epistolas veniamus, si primus, qui Epistolas scripsit, ut ipse ordo Bibliorum habet, fuit Paullus Apostolus, et inter eius epistolas, prout videtur sentire (c) Chrysostomus, fuit prima Thessalonicensis: quam constat ex Athenis scriptam fuisse: Iam Paullus tradiderat evangelium Atheniensibus, antequam ad illos scriberet. Et cum in illa epistola expresse faciat mentionem de praeceptis et doctrina ante epistolam traditis, certissimum est argumentum, prius illis oretenus doctrinam tradi-

(a) Epiphan. Lib. II.

(b) Beda ult. cap. super Ioannem.

(c) Chrysost. in Epist. ad Rom.

disse, quam aliquid ad eos scriberet. Et sive sit haec prima, sive non, clare constat ex epistola (a) ad Galatas continuo post conversionem suam Paullum Arabiam penetrasse, deinde in Syria et in Cilicia praedicasse, et per multum temporis nullam scripturam edidisse. Adde quod quando ipse scripsit ad Romanos, iam Corinthiis praedicaverat: nam a Corintho missa est epistola illa. Quando vero scripsit Corinthiis, iam praedicaverat Philippensibus: utraque autem epistola ad Thessalonicenses missa fuit ex Athenis. Ad Galatas vero et Philippenses, et Colossenses, et Philemonem, et secundam ad Timotheum scripsit ex urbe Roma: primam ad Timotheum a Laodicea metropoli Phrygiae Capatiana: Epistolam ad Titum e Nicopoli Macedoniae; ultimam vero, quae est ad Hebraeos, ex Italia constat missam fuisse: quare longo tempore doctrina per Traditionem, quantum ad ea quae ex Paulo habet Ecclesia, praecessit eiusdem Paulli scripturas.

Petri vero Apostoli epistolas constat etiam in urbe Roma fuisse conscriptas, ut ipse de se testatur. In prima illarum apertum est testimonium, cum dicit: *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone*, ubi per Babylonem Romam intelligunt omnes Sancti, maxime Papias Ioannis Apostoli auditor, quem super hoc citat (b) Eusebius. In secunda autem Petrus clare manifestat quod post Paulli epistolas illam scripserit, cum cavere iubeat fideles a Paullinarum epistolarum offendiculis. Constat autem ante Petri adventum in urbem, ipsum Petrum diu in Iudaea egisse, et per totam Syriam praedicasse, et Antiochiae sedem per septem annos tenuisse. Insuper antequam epistolas scriberet, Pontum, Galatiam, Bithyniam, ad quos priorem epistolam dirigit, ut Epiphanius auctor est, invisisse. Et quicquid sit de epistolis omnibus, cum particularibus personis, et Ecclesiis scriptae fuerint (excepta

epi-

(a) Galat. I. 17.

(b) Eusebius Lib. I. cap. 15.

epistola II. Petri , et prima Ioannis et Iudae) et specialia argumenta contineant , non videtur verisimile , particularium argumentorum tractatus , ad speciales ecclesias directos , in tota Ecclesia statim fuisse divulgatos , atque receptos : quae tamen sine illis credebant , ordinemque ab Apostolis ex Traditione praefixum servabant. Antequam enim scriptura integre omni Ecclesiae traderetur , confessionem vocalem , ordinationem Episcoporum et Presbyterorum , sacras unctiones , ex D. Petri Traditione commendat Clemens in ordinatione sua , quam ante mortem Ioannis et evangelium eius constat fuisse a Petro factam , ex legitima temporum computatione. Sed quod non cessaverit Traditio , imo multa sibi reservaverit , quae in scripturis non erant , et simul cum ipsa scriptura ab Apostolis et eorum discipulis commendata fuerunt , et aliqua etiam noviter introduxerit , Paullus Apostolus palam facit , quando Timotheo praeter ea quae illi scribit (a) , praecipit , ut depositum custodiat , et iterum doctrinam a se per testes auditam illi commendat dicens (b) : *Tu ergo fili mi confortare in gratia quae est in Christo Iesu , et quae audisti a me per multos testes , haec commenda fidelibus hominibus , qui idonei erunt et alios docere : ubi vides arcanam doctrinam solis Ecclesiae praesidentibus et doctoribus obviam , non in scripto , sed oretenus traditam et ab eis custoditam.*

Sed et Dionysius Paulli Apostoli discipulus , (c) praeter ipsas scripturas , doctrinam per Traditionem ab Apostolis mutuatam commemorat : quam ipse etiam suo Timotheo magnopere commendat in fine capituli : *Sanctum (inquit) est profecto admonere te earum (rationum scilicet pontificii muneris) meminisse , ut eminentissimam pontificalis muneris rationem nemini tradas , praeterquam aequalibus tuis , Reverendissimis*
prae-

(a) II. Timoth. VI. 20.

(b) II. Timoth. II. 1. 2.

(c) Dionys. Eccles. Hierar. cap. 1.

praesulibus, quibus sacra tractare institutum est, ipsosque illos pontificio iure monebis, mundi ut munda contingant, solisque communicent divina divinis, perfecta perficientibus, sanctisque sanctissima. Ego enim tibi ut reliquorum sacrorum, ita huius quoque divini muneris consortium tradidi. Petrus etiam in ordinatione Clementis unam ex caussis potissimis quam pro eius electione ad pontificatum assignat, est scientia ecclesiasticarum Traditionum: dicit enim praefato Clementi onus pontificium recusanti, quod si esset alius melior, si quis mihi alius adiutor tam sedulus astitisset, si quis tam plene doctrinae meae rationem coepisset, et ecclesiasticas dispositiones tam plene didicisset, habens alium talem, non te cogere, opus bonum suscipere nolentem. Ubi praeter sacrae doctrinae eruditionem, eum commendat a scientia Apostolicarum Traditionum, tamquam a re multum necessaria ad regendum populum sanctum Dei. Epiphanius insuper Librum Traditionum contra Melchisedechianos allegat super parentibus Melchisedech, et in tribus vel quatuor aliis locis. Divus Ignatius Librum Traditionum a se confectum memorat teste Eusebio Libro tertio. Item Dionysius bis sacerdotalium Traditionum meminit Libro de Coelesti Hierarchia cap. quarto, et cap. quinto eiusdem volumina Traditionum in distributione hierarchiarum citat. Non est ergo quod dubitemus in re quam Apostolorum discipuli et viri sanctissimi testificantur, scilicet ante evangelium scriptum et simul cum eo, Traditiones sanctas non solum fuisse, sed et vigorem habuisse: de quo latior erit nobis in sequentibus sermo.

Accedit ad haec, quod huius scripturae quam habemus auctoritas, non per aliud Ecclesiae innotuit quam per Traditionem: nam unde discrevit Ecclesia haec quatuor evangelia, quae modo habet et merito reveretur, ab aliis evangelis, quae sub nomine Petri, Andreae, vel Thomae, aut Nicodemi, vel cuiusvis al-

terius Apostoli commendabantur, nisi Traditione duce per Spiritus Sancti magisterium in ipsis Ecclesiae primoribus servata? Non enim erat contentum in hac scriptura quod omnia quae ibi scripta erant, divinitus erant revelata, neque si esset ob id statim, quando primitus recipiebatur, fides indubitata ei adhibenda erat: cum quaelibet scriptura humanitus adinventata huiusmodi titulis potuisset condecorari. Creditum ergo est, contenta in illa scriptura a Deo esse revelata, quia Traditioni Iesu Christi et Apostolorum omnino conformabantur, cuius rei iudicium ad Apostolos et viros Apostolicos Ecclesiae proceres spectabat. Non quidem testificando solum, sed tamquam iudices sententiam ferendo, utpote qui plene spirituales erant, et Christum et doctrinam eius ad plenum retinebant, et per Spiritum Sanctum quem habebant, et eius Traditionem de omnibus spiritualibus iudicabant: confirmante sermonem suum eodem spiritu, signis et numquam visis in natura mirabilibus. Nec istud est, ut multi autumant, dicere, divina auctoritatem habere ab humanis, aliud enim est quod veritas huius scripturae, quae divina est, pendeat a iudicio Ecclesiae, aliud, quod haec scriptura habeatur pro divina, de iudicio Ecclesiae descenderit: qui primum asseruisset, non longe esset a blasphemia: secundum autem vero verius mihi videtur. Veritas enim enuntiatorum simpliciter pendet ab obiectis de quibus enuntiant (a): *ab eo enim, quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa*: sed quod habeatur pro vera et indubitata iis, qui de contentis in ea nihil viderunt, ex auctoritate et testimonio primorum fide dignorum quodam modo pendet. Prius tamen quam hoc probemus obiter advertite, quod aliter fuit nota Apostolis, et iis qui Iesum vel Apostolos audierunt, auctoritas horum evangeliorum, quam nobis. Oblata enim scriptura Lucae vel Marci,

(a) Arist. I. Periherm.

verbi gratia, quos credo Christum nunquam audisse, Petro vel Paulo eorum magistris, vel aliis Ecclesiae primoribus, factoque hoc syllogismo: Quicquid a Deo revelatum est, indubitato verum est, hoc evangelium est de iis quae revelata per Deum sunt: ergo est indubitato verum, ac subinde acceptandum. Prima enunciatio et syllogismi connexio, omnibus aequaliter patet, et quibus in hac Ecclesia sumus, et quibus in illa in lumine naturali. Secunda tamen propositio Apostolis non ob aliud nota erat quam quia magisterio Spiritus Sancti cognoscebant illam doctrinam spiritualem esse, et cum sua Traditione plane convenire, quod evidenter verum esse sciebant: ideoque sententiam tulerunt, ut in Ecclesia reciperetur, et pro divina in Ecclesia haberetur. Traditio vero eorum, per lumen fidei a Deo et filio eius erat iis nota: Ipsum vero lumen ex se ipso notum erat. Non quod assensu evidentiae ei lumini Apostoli acquiescerent, sed quod non per aliud, quam per ipsum lumen Dei agnoscerent illud verum esse, et vere sibi revelatum, nec in eo decipi. Sicut enim sensus visus non eget alio lumine ad videndum lumen, per quod videt, sed per ipsummet lumen videt ipsum et alia, ita etiam contingit in cognitione supernaturali per lumen divinum, alias abeundum esset in infinitum, in huiusmodi fidei assensibus. Quocirca datur aliqua fides, quae ex terminorum cognitione solum pendet, sicut fatentur Dialectici, ex simplici terminorum apprehensione aliquam opinionem dependere. Nobis vero (*), qui Christum et Apostolos non vidimus, nec ulla miracula in huius fidei confirmationem conspeximus, aliter nota est secunda propositio illius syllogismi, quia scilicet Ecclesia illa sanctorum posteritati suae, tamquam Traditioni conformem declaravit, et ut talem debere acceptari, aliis scripturis reiectis, per Spiritum

Tom. I.

D

San-

(*) Qualiter nobis nota auctoritas scripturae.

Sanctum iudicavit. Quod fide etiam credimus, non enim recurrendum est in hoc ad ipsam scripturam, ne circularem probationem faciamus: sed si velimus illam primam propositionem quodam modo resolvere, assensus eius partim pendet tamquam ab obiecto motivo, ex iis, quae vidimus in Ecclesia et legimus in omnibus scriptoribus antiquis ecclesiasticis, nemine contradicente, illam scilicet congregationem discipulorum Domini, et Apostolicorum virorum fuisse sacrosanctam, et Deo valde acceptam, quae hanc scripturam recepit tamquam suae Traditioni conformem, quam rursus Traditionem miraculorum claritate eximiaque et plusquam humana qua pollebant virtute, magisterio spiritus in auditorum cordibus operante, firmiter comprobant: partim vero quod haec, quae sic legimus et audivimus, quae ecclesiastici scriptores nobis proponunt, per ipsum lumen fidei absque ulla formidine agnoscimus, et certo credimus vera esse. Dices, ergo fidem scripturarum resolvit in mera humana testimonia? Absit, sed in cognitionem ex lumine fidei divinitus infuso subortam: terminatam tamen ad ea, quae humanitus scripta sunt; vel relata tamquam ab obiecta quae licet in se mere humana sint testimonia, mihi tamen, qui lumen fidei habeo intus animam illustrans, ea quae ab aliis, qui isto lumine carent, veluti humana testificatione dicta accipiuntur, indubitato vera sunt, sicuti ea quae simpliciter revelata sunt. Nec in hoc extendimus lumen fidei prorsus ad non revelata, quia eo ipso quod per lumen fidei certitudo talium innotescit mihi, firmiter absque ulla formidine assentior. Et licet quantum ad substantiam eorum, quae enuntiant non sint revelata, tamen quantum ad apprehensionem certitudinis sunt mihi revelata, nec opus est ad hoc alio lumine, sed ipsum lumen fidei certitudinem sui et obiectorum, in quae me facit tendere, quae ad fidem adgenerant

objectio

dam

dam conducunt, secum defert: sicut lumen sensibile sui et obiectorum, in quae visus pertingit, parit certitudinem. Hoc modo facile declinatur circulus, quo nonnulli a scriptura ad auctoritatem Ecclesiae provocant, et e diverso. Evitantur etiam profanae aliae imaginationes, et importunae distinctiones a multis ut sua placita defendant adinventae, quae magis intellectum obtundunt, quam illustrent, divinam fidei motionem angustis peripateticae sectae repagulis concludentes: quorum confusionem non est quod in praesentia palam faciamus, eo quod in nostris scholasticis exercitamentis abunde credo praestitimus. Nunc eundem quo nos vocat res. Quod vero nonnulli dicunt, Ecclesiam tantum testem fuisse auctoritatis scripturarum, et non potius per ipsius declaratorium iudicium, Traditione Spiritus Sancti scripturas istas auctoritatem in Ecclesia obtinuisse, vix possunt (iudicio meo) declinare circulum, aut sponte sua redigunt se in periculosas angustias. Esto igitur huic propositioni, haec scriptura revelata est a Deo, quae minor erat confecti iam syllogismi, assentiamur ex testimonio primae Ecclesiae testificante, et non per iudicium auctoritatis approbante. Quaero, vel illud testimonium est mere humanum, vel a Spiritu Sancto per vocem Ecclesiae mutuatum: si humanum est, iam assensus conclusionis, quod haec scriptura est indubitato vera, non est fidei, sed opinionis, aut moralis cuiusdam coniecturae, quod nemo fidelis dicet. Sin autem testimonium est divinum, per Spiritum Sanctum acceptum, quid periculi inveniunt isti, quod Ecclesia magisterio publico Spiritus Sancti quo pollet, auctoritative (ut ita loquar) discernat has scripturas ab illis: has (inquam) quas habemus approbando, et alias reiiciendo? An forte quod illa, quae haec scriptura continet per Spiritum Sanctum sunt scriptoribus sanctis revelata, ob idque non congruere putant, quod divinitus revelata

approbentur ullo modo per homines? Ista obiectio nullius est momenti. Primo, quia iudicium et sententia Ecclesiae super acceptance harum scripturarum non terminatur ad veritatem scripturae, ut diximus, ita ut veritas eius ab hac probatione dependeat: sed ut habeatur pro tali a fidelibus, et ut divinitus tradita, et ut talia continens ab omnibus revereatur. Secundo, quia si multis antiquis auctoribus credimus, non est necessarium concedere omnes Evangelistas per novam revelationem Spiritus Sancti conscripsisse evangelia quae scripserunt: praeter eam dico, quae primitus Apostolis per Christum facta est, et aliis per ipsos. Licet credendum sit, non defuisse illis Spiritum Sanctum, cuius impulsu munus scribendi susceperunt, et cuius adiutorio ea, quae a Christo vel Apostolis audierant, memoria firmiter retinuerunt, et per eundem Spiritum Sanctum fideliter scriptis mandaverunt. Dicit enim Lucas (a) in prooemio sui evangelii testimonium de sua scriptura nostrae assertioni et huic proposito valde pertinens: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis: Visum est et mihi assecuto omnia a principio, diligenter et ordine tibi scribere optime Theophile.* Ex quo patet Traditione eorum qui Christum viderant, vel ab eo immediate acceperant (uti Paullus) Lucam evangelium accepisse, nec Christi discipulum ipsum Lucam fuisse, aut per revelationem sibi immediate factam scripsisse. Quorsum enim ponenda sunt sine necessitate miracula, maxime ubi ipse sacer auctor rem ipsam aperit? Quod Tertullianus (b) libro quarto adversus Marcionem insinuat de evangelio Lucae (quod corruperant Marcionitae) dicens, *non sufficere posse ex se ad auctoritatem obtinendam, si patrocinio destitueretur antecessorum.*

Sub-

(a) Lucae I. 1.

(b) Tertull. Lib. III. adv. Marcion.

Subscribit huic nostrae sententiae Eusebius (a) de scriptura Lucae, et causae, quare animum ad scribendum appulerit, faciens mentionem: *Lucas (inquit) volens abstinere nos a ceterorum narrationibus, fidem facit per se conscriptae veritatis, certus quod eam, vel Paulo exponente, vel aliis Apostolis, qui ab initio ipsi viderant, ac sibi tradiderunt, consecutus sit.* Quod non assereient isti graves et pervetusti viri, si revelatum fuisse Lucae immediate suum Evangelium antiqua sensisset Ecclesia. De Marci autem Evangelio Irenaeus recensens verba Papiæ Hierapolitæ, per Traditionem ab Apostolis accepisse Marcum Evangelium quod scripsit: *Marcus (inquit) Interpres Petri fuit, et conscripsit quaecumque meminerat ab eo dicta: non tamen per ordinem cuncta digressit, sed novissime Petro adhaesit, ad usum et ministerium prædicandi, non ad Domini conscribendos sermones. Nihil itaque peccavit in eo quod ita scripsit, quasi quæ passim audita recordari videatur, et hoc solum satis egit, ne aut quid ex auditis omitteret, aut falsum scriberet.* Nil clarius dici potuit, quod nos prætendimus. Esto tamen rei veritas, quod dictante illis immediate Spiritu Sancto substantiam eorum quæ scribebant, suum Evangelium litteris mandarent, quod non recuso: numquid spiritus iste non fuit privatis hominibus communicatus, nec per miracula in editione suarum scripturarum Ecclesiae manifestatus? Quis hoc negabit? Si ergo res ita se habet, quaenam obsecro irrogatur Divino Spiritui iniuria, si quæ privatim ipse revelat membris Ecclesiae, per se ipsum qui toti Ecclesiae et abundantius et communius et manifestius praesidet, manifesta et accepta faciat? Certe si non fallor nihil divinae revelationi derogatur, immo si verum oculate perpendere volumus, rationi valde consentaneum est, ut idem spiritus in prima illa Ecclesia tam communis et ma-

ni-

(a) Eusebius Hist. Libr. III. C. XXIV.

nifestus, se ipsum in privatis Ecclesiae membris, et a se seorsum et private revelata, per eandem Ecclesiam prodatur, et palam faciat, quaeque ab ipso in scripturis revelata sunt manifesto sua esse declaret: id quod in demonstrationibus scientificis (prout Dialectici tradunt) etiam contingit. Nam definitum et definitio eandem rem omnino important. Attamen quia definitio clarius et per magis communia substantiam rei, de qua passio propria debet demonstrari, distinguit atque significat, optime per eam sumptam pro medio in Syllogismo demonstrativo, demonstratur passio de definito: Dicit enim (a) Aristoteles prooemio Physicorum: definitum quoddam confusum est, definitio vero in partes singulas dividit; hanc solam ponens differentiam inter definitum et definitionem, quod definitum confusius, definitio clarius eandem rem important.

Rursus si capita illa Ecclesiae per Spiritum Sanctum testimonia reddebant de hac scriptura, erat ne hoc per novam revelationem, quae illos certos reddebat scripturas hasce a Deo revelatas, an per traditionem suae doctrinae hoc agnoverunt? Si primum dixerint, revelationes sine causa multiplicant, nam iterum de illa revelatione posset esse quaestio, an sit per aliam nota, et sic erit in infinitum abitio: vel in circulationem incidendum. Quare nisi ad traditionem recurrant, et ad consonantiam cum his quae ipsi tradiderunt, quod nostra assertio praetendit, non videtur quod congrue dici possit. Age tamen utrumque et traditione probatas scripturas, et ab adulterinis aliis discretas per iudicium primorum Ecclesiae, non tantum testificantium et proponentium, sed veluti approbantium, antiquorum Patrum testimoniis oculatis, quibus refragari minime licet, demonstremus. Primo Eusebius (b) loco citato ubi de Evangelio Marci mentio-

nem

(a) Arist. in Prooem. Physic.

(b) Eusebius loc. cit.

nem fecit, ipsum dicit continuo ut scriptum fuit, Petro allatum fuisse a fidelibus, ut Lydio quasi lapide examinaretur, et probaretur. Haec sunt eius verba: *Petrus autem ut per Spiritum Sanctum religioso se spoliatum reperit furto, delectatus est, fidem eorum per haec devotionemque considerans, factumque confirmavit, et in perpetuo legendam scripturam Ecclesiis tradidit.* Haec sunt Eusebii verba, qui non ex se istud comminisci ostendit, sed allegat Papiam Hierapoliten Ioannis Apostoli discipulum, et Clementem sexto disputationum libro, auctores nempe irrefragabiles, viros Apostolicos, et quibus fidem non facere temerarium et sacrilegum est: ubi manifesto apparet, non testimonio dumtaxat primorum capitum, sed eorum auctoritate confirmatam scripturam Marci, atque in Ecclesia fuisse receptam. Idem etiam Eusebius libro tertio reddens causam quare alii codices qui nomine aliorum Apostolorum a quibusdam circumferebantur, recepti in Ecclesia non sunt, ait, postquam Canonicos Scriptores novae legis recensuit: *De aliis sciendum, qui sub nomine Apostolorum ab haereticis proferuntur, velut Petri, Thomae, Mathiae, & ceterorum Apostolorum, quae appellantur Evangelia, Andreae & Ioannis actus, quia numquam prorsus in scripturis veterum illorum dumtaxat, qui Apostolis successerunt, aliqua mentio eorum, aut commemoratio habetur, in quibus ipse stylus multum ab ipsa Ecclesiastica consuetudine apprehenditur diversus, sensus quoque ipse, et omnia quae iis inserunt longe ab Apostolica dissonat fide, ex hoc figmenta esse pravitatis haereticae comprobantur.* Unde ne inter illa quidem de quibus dubitari diximus, collocanda sunt: ubi etiam Evangelium quod secundum Hebraeos dicebatur, nullius auctoritatis esse affirmat, quia ab Ecclesia ei contradicitur. Tria vides in verbis istis quae concurrunt ad iudicium de scripturis, Ecclesiae consuetudinem, Apostolicorum virorum auctoritatem, et fidem Apostolicam in Ecclesiis tradi-

ditam, et ab omnibus per traditionem receptam: quam iudicem ipsius scripturae facit hic pater venerandus. Est et (a) Serapionis venerabilis Antiocheni Patriarchae, qui tempore Severi floruit, percelebris de hac re testificatio: cuius idem Eusebius (b) meminit: qui scribens ad Pontium et Carecum viros Ecclesiasticos super Evangelio Petri, per quod ipsi a Montanis in errorem ducebantur: *Nos (inquit) fratres et Petrum, et alios Apostolos sicut Christum recipimus; quae autem sub eorum nomine falso ab aliis conscripta sunt, velut gnari eorum sensus et scientiae, declinamus: scientes quod talia nobis non sunt tradita.* Quid clarius dici potuit ad nostrum propositum? Sed nec D. Irenaeus per aliud quam per vivam Apostolorum traditionem reiicit corrupta Marcionitarum Evangelia. Mire tamen super omnium testimonia huic doctrinae (c) Tertulliani verba adversus Marcionem quadrant, ubi corruptum Marcionitarum Evangelium, non alia via convincit adulterinum esse, quam traditione, et Ecclesiae divino magisterio. Nam si id tentaret efficere comparando Marcionis Evangelium ad veram ipsius Lucae scripturam, qua Ecclesia tunc temporis utebatur, nihil adversus eos concluderet, eo quod illi procaciter contendebant, nostrum Evangelium esse corruptum, contra vero, suum veracissimum esse: dicit igitur Tertullianus: *Porro Lucas non Apostolus, sed Apostolicus: non Magister, sed Discipulus: utique Magistro minor, et certe tanto posterior, quanto posterioris Apostoli sectator, Paulli sine dubio. Sed etsi sub ipsius Paulli nomine Evangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas instrumenti, destituta patrociniis antecessorum, exigeretur enim id quoque Evangelium, quod Paullus invenit, cui fidem dedit, cui mox suum Evangelium congruere agnovit: siquidem propterea Hierosolymam*

as-

(u) Serapio.

(b) Eusebius Hist. Libr. VI.

(c) Tertullianus adversus Marc. Libr. IV.

*ascendit ad cognoscendos Apostolos, et consulendos, ne forte in vacuum cucurrisset, id est ne non secundum illos credidisset, et evangelizasset: denique ut cum auctoribus contulit de regula fidei, dexteras miscuere. Et adiicit: Igitur si ipse illuminator Lucae auctoritatem antecessorum et fidei et praedicationis suae optavit, quanto magis ea ab Evangelio Lucae postulabo, quae Evangelio Magistri eius fuerunt necessaria? Quibus verbis apertissime demonstratur, veluti epilogo quodam, quae paulo ante affirmabamus. Primo, quod Lucas ex traditione et magisterio Pauli accepit Evangelium, et non per revelationem sibi noviter et immediate factam. Secundo quod Evangelium Pauli licet acceptum erat per revelationem sibi immediate a Christo factam (ut ipse frequenter inculcat, non ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum esse se Apostolum manifestans) tamen quia in principio occultus et veluti privatus spiritus eius erat, necessaria fuit illi, collatio et communicatio cum Ecclesiae columnis. Non ut veritas praedicationis eius penderet ex illa collatione, sed ad hoc ut pro Apostolica haberetur et revereretur, et (ut ipse dicit) (a) *ne in vanum cucurrisset*. Quod et (b) Hieronymus super hoc loco sentit. Tertio, quod non solum traditio est antiquior scriptura, sed et notior fuit primitus atque communior. Quid igitur prohibet, ut minus notum, atque posterius probari possit et ostendi per magis notum atque communius? nihil sane. Confirmat hoc ipsum iudicium D. Clementis in ultimo Institutorum Apostolicorum appositum, quod sic habet: *Sunto omnibus vobis Clericis simul et laicis venerandi et sacri libri, &c.* Ubi numerat haec quatuor Evangelia. Confirmat et iudicium (c) Concilii sacrosancti Nicaeni, Laodicensis, Tertii Carthaginensis, quod sic habet: (d) *Placuit ut praeter Scripturas Ca-**

Tom. I.

E

no-

(a) Ad Galat. II. 2.

(b) Hieronym. in hunc loc.

(c) Nicaena Synodus.

(d) Synodus Carthag.

nonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine Divinarum Scripturarum &c. Item Concilii Toletani primi (a) : *Si quis (inquit) dixerit vel crediderit alias scripturas praeter quas Ecclesia Catholica recipit in auctoritate habendas, vel esse venerandas, anathema sit.* Confirmat hanc nostram sententiam magnus ille Athanasius (b) in quadam paschali epistola, cuius copia cum quibusdam aliis Graecae Ecclesiae antiquis monumentis nuper mihi e Bibliotheca Romana cum Romae agerem facta est. Ubi discernere volens hic beatus libros Canonicos a non Canonicis haec verba praefatur : *Quoniam nonnulli aggressi sunt, et sibi scribere quae Apocrypha dicuntur, deinde eadem cum libris divino afflatu compositis miscere, atque confundere, de quibus certum habemus, sicut maioribus nostris traditum est, ab iis, qui oculis suis initio res ipsas viderunt, ipsiusque verbi ministri fuerunt, quoniam hoc illi facere tentarunt, decreto et hortatu fratrum &c.* Deinde libros Canonicos recenset. Quibus verbis vel ipsa luce clarius constat nostrae assertionis veritas. Nam Sanctus hic Pater, librorum Canonicorum auctoritatem a veterum Patrum Traditione pendere dicit, Traditione inquam ab eis accepta, qui scripturas rebus ipsis, quas viderant, et palpaverant, consonantes esse viderunt. Ruffinus etiam in expositione symboli ad Laurentium, catalogum scripturarum faciens, ex Traditione maiorum, scripturas quas in eo recenset, fidelibus commendat, his verbis : (c) *Quae sint novi et veteris Testamenti volumina, quae secundum maiorum Traditionem per Spiritum Sanctum inspirata creduntur, et Ecclesiae Christi tradita, competens videtur in hoc loco evidenti numero, sicut ex Patrum monumentis accepimus, designare.* Ecce ex veterum Traditione et monumentis eorum fidem tribuit Ruffinus, quod haec volumina sunt a Deo inspirata, et pro divinis retenta. Liquet igitur ex

men-

(a) Synodus Toletana.

(b) Athanasius cit. loc.

(c) Ruffinus cit. loc.

mente Sanctorum, primam et veterem Ecclesiam, non tantum testimonium hisce scripturis exhibuisse, quo testificata est illas esse divinas, sed declarasse, et per modum auctoritatis iudicasse, has debere recipi: falsas vero et adulterinas reiici per Traditionem et magisterium spiritus, quo pollebat. Hoc enim verba Sanctorum prae se ferunt. Quaeris quale fuit iudicium et Ecclesiae sententia circa hoc? Dixi; et nunc, si vis exemplo scripturae, iterum accipe. Quale fuit Regis Salomonis super infante illo (a), de quo contendebant duae illae mulieres meretrices, utrius esset filius; quod non effecit, ut puer ille filius esset matris suae, cui ex sententia Regis controversiam dirimente datus est: sed declaravit, et auctoritate iudiciali decrevit, ut haberetur pro eius filio, et non amplius super ea re contenderetur. Sic iudicium primae Ecclesiae Divinis Scripturis non praestitit, ut verae essent atque divinae: sed declaravit illas esse divinas, et auctoritate, et magisterio spiritus, quo potens est, iuxta Paulli sententiam, de huiusmodi spiritualibus iudicare, recipi eas fecit, et revereri coegit. Quare qui auctoritatem hanc ab Ecclesia tollunt, multum meo iudicio magisterio Spiritus Sancti, in ea praesidentis derogant, per quod creditum est illi lumen divinum (ut Scriptura et omnes Sancti antiqui fatentur) quo potest de doctrinis omnibus iudicare: de qua re in fine latior nobis erit sermo. Est ergo resolutio, quod credimus hanc scripturam evangelicam esse divinam, quia primi Patres, Apostoli, et Apostolici viri eam recipendam esse iudicaverunt, et receperunt, quod per Ecclesiam nobis proponitur, et per lumen fidei certi de hac re sumus absque alio medio: ipsi vero hanc scripturam admiserunt, quia suae Traditioni, et iis, quae viderant (vel ab iis, qui viderunt, audierunt) conformem viderunt. Et hoc volebat Augustinus dicere (b),

E 2

cum

(a) III. Reg. III. a v. 16.

(b) Aug. contra Epist. Man. C.V.

cum dicit : *Ego vero Evangelio non crederem , nisi me Ecclesiae Catholicae commoneret auctoritas.* Quibus verbis non tantum tribuit Augustinus primae Ecclesiae officium testis , qui cogere non potest , sed iudiciale auctoritatem erga receptionem harum scripturarum.

Ex iis habes magnam esse vim , et dignitatem divinae traditionis. Ab ea namque Scriptura Divina originem habuit. Per hanc etiam a primoribus Ecclesiae comprobata est , et a falsis scripturis per Spiritus Sancti magisterium discreta. Denique hac ipsa eadem intelligi desiderat , id quod magis in sequentibus palam fiet.

SECUNDA ASSERTIO.

Non omnia quae Christus et Apostoli dixerunt , fecerunt , instituerunt , pro erigenda Ecclesia , et disseminanda fide Catholica , continentur , immo nec potuerunt , nec debuerunt contineri in aliquo librorum novi Testamenti , nec in omnibus simul.

TRia Evangelia Matthaei , Marci , et Lucae clarissime ostendunt hanc veritatem , cum in illis multa suppleat Ioannes , tam quae attinent ad Christi divinitatem , quam ad ipsius opera. Nihil enim narrant de initiis praedicationis Christi , sed post ieiunium et tentationem transeunt ad miracula , quae Christus fecit postquam Ioannes in carcere fuerat coniectus. Dicit enim Matthaeus post ieiunii Christi narrationem (a) : *Audiens autem quia Ioannes traditus esset , discessit de Iudaea &c.* Eodem modo Lucas et Marcus. In signum huius rei cum narrat Ioannes Christi miraculum , quo aquam convertit in vinum , ait (b) : *Hoc fuit initium signorum Iesu.* Et iterum in alio loco (c) : *Nondum enim Ioannes*

(a) Matth. III. 12.

(b) Ioann. II. 11.

(c) Idem , ibid. v. 24.

nes missus fuerat in carcerem. Sed neque ipse Ioannes, cum aliis Evangelistis omnia potuit comprehendere, ut ipse de se perhibet testimonium vicesimo capite sui Evangelii: ubi postquam Thomae reprehensionem posuit, subiunxit (a): *Multa quidem, et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc, et assignans causam, quare haec scripta fuerint, ait: Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei.* Ex quo dicto habes ea solum esse ab Evangelistis narrata, quae sufficere eis visa sunt ad faciendum fidem de Christo, et beneficio redemptionis, et divinitate eius. Quum autem sint multa quae ad ipsum Christum solum non pertineant, partim ad alia credibilia, partim ad ecclesiasticum ordinem attinentia necessario tenenda et credenda, manifesto concluditur, non omnia in evangeliiis scripta fuisse. Id quod in ultimo evangelii cap. apertius affirmat: *Sunt (inquit) (b) et alia multa quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* Insuper Lucas (c) dicit, quod Christus per dies quadraginta apparuit Apostolis et discipulis, *in multis argumentis loquens de regno Dei;* et tamen vix Evangelistae quinque vel sex verba referunt tam frequentium et percelebrium sermonum. Atque haec de Christo et doctrina eius per ipsius vocem accepta sufficiat retulisse.

Alia vero Apostolica dogmata et instituta non omnia posse complecti scripto, nemo dubitare potest, nisi prorsus sensus et rationis sit expers. Nam cum omnes Apostoli orbem terrarum sua praedicatione impleverint, et multas Ecclesias erexerint, Episcopos, Presbyteros, Diaconos ordinaverint, quis dubitat illos sanctae Ecclesiae patres multa instituisse, et ore tenus

do-

(a) Ioann. XX. v. 30. 34.

(b) Ioann. ult. v. 25.

(c) Actor. I. 3.

docuisse eos, quos in locum suum subrogabant, et summopere perfectos esse cupiebant? Quippe qui superni Architecti, et propagatores Ecclesiae Christi erant, quorum omnium cum septem solum scripta monumenta extent, quomodo putandum est illis solis posse omnia comprehendere? maxime cum epistolae particularia argumenta tractent, et ad particulares ecclesias sint directae? quibus, si totam Christianismi summam voluissent comprehendere, a destinato et peculiari scopo excederent, et insuper nihil conficerent. Paullus enim qui plures epistolas scripsit, centies in illis significat se tradidisse multa quae scripta non constabant. Dicit enim (a) Corinth. I. *Notum vobis facio fratres, evangelium quod praedicavi vobis, quod et accepistis, in quo statis, per quod et salvamini, qua ratione praedicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis: tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quod Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die, et quia visus est Cephae, et post haec undecim, deinde visus est plus quam quingentis fratribus, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, &c.* Quaeso quis evangelistarum narravit nobis illas duas apparitiones Iacobo et quingentis fratribus factas? Et ubi est dictum illud quod Apostolus in Actis (b) allegat, quod *beatius est dare quam accipere*? Nec propter haec credas Paillum supplere velle, quae ab aliis narratoribus omissa sunt: stat enim firmum Ioannis verbum iam allegatum, innumeris codicibus concludi non posse acta, instituta, et edocta per Christum. Clarum de hac re praebet testimonium Eusebius (c), cum de scriptis Paulli facit mentionem. *Denique (inquit) Paullus qui inter omnes Apostolos eruditior etiam in verbis videtur, et in sensibus*

(a) I. ad Corinth. XV. a v. 1.

(b) Actor. XX. 35.

(c) Eusebius, Libr. III. cap. supra cit.

*bus praepotens non amplius quam parvum epistolarum suarum corpus reliquit, qui utique contineret intra se innumera sacramenta, utpote qui ad tertium coelum raptus. Haec Eusebius. Quid si innumera sacramenta intra illud pectus sanctissimum recondebantur, et pauca folia scripsit, minima pars illorum in illis contineri potuit. Cum igitur constet, Paullum sapientiam locutum fuisse inter perfectos, et epistolas plerumque misisse parvulis et imperfectis, inter quos dissensiones erant, ut ex eorum argumentis palam est: consequitur multa ipsum dixisse, tradidisse et instituisse, quae in suis Epistolis ad particulares ecclesias missis specialibusque argumentis deservientibus minime contineantur. At quid in re clara moror, cum ipse hoc centies fateatur? I. Corinthiorum (a): *Laudo vos (inquit) fratres quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis praecepta mea tenetis, et tamen quae praecepta fuerint ista, non constat ex scriptura: nam haec fuit prima epistola ad eos missa. Et paullo post cum institueret, mulierem velatam debere esse in Ecclesia, quod nullibi scriptum erat, ait: (b) Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Ecce urget eos sola Ecclesiae consuetudine non scripta, ut obediant, et non contendant in re non magni momenti, et paucis interpositis (c): Ego (inquit) accepi a Domino quod et tradidi vobis: non quidem scripto, nam numquam ad ipsos antea scripserat: quae autem tradiderit ipse manifestat (quamquam non omnia) scilicet, ut probet seipsum homo, qui corpus et sanguinem Christi vult sacramentaliter participare, et pauca alia quae ibi continentur. Et in calce epistolae promittit se viva voce traditurum, quae ad communionis modum, et illorum Ecclesiae statum attinebant, dicens (d): Cetera cum vene-**

(a) I. Corinth. XI. 2.

(b) Ibid. v. 16.

(c) Vers. 23.

(d) Vers. 34.

ro disponam, cuius dispositionis neque ullum verbum extat in scripturis. Dicere autem Apostolum non implere promissum, est manifeste illum mendacii coarguere, aut illi levitatis notam impingere. Quarto vero cap. primae Thessalonicensium (a) expresse meminit multorum praeceptorum, quae illis non per scripturam, sed oretenus tradiderat: *Rogamus (inquit) vos et obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.* (b) *Scitis enim quae praecepta dederim vobis per Dominum Iesum, &c.* Secunda autem epistola ad eosdem manifesto commendat eis Traditiones per sermonem acceptas, non minori observantia tenendas, quam ea quae in epistolis scripserat. Et I. ad Timoth. (c) depositum Traditionum ei summopere commendat, et II. epistola doctrinam ei traditam coram multis testibus iubet ut tradat aliis, qui in doctrina sana potentes erant populum exhortari, quam constat non omnibus fuisse communem, nec per epistolas ei traditam fuisse: quare praeter scripturas volebat aliqua per Traditionem teneri et observari, quae noluit scripturae mandare. Sed et Ioannes cum per sexaginta quinque annos (ut diximus) Asianas ecclesias rexisset, antequam evangelium scriberet, manifestum est, omnia, quae illic fecit et instituit, Traditione sola suis Ecclesiis potuisse constare; dicit enim in secunda epistola sua (d): *Plura habeo vobis scribere, sed nolui per chartam et atramentum. Spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui. Vidisti quomodo plura reservat hoc sacratum pectus, quae os ad os fidelibus tradat, quam sunt ea quae ad illos per epistolas scripsit. Itidem Beatus Petrus cum per breves scripserit epistolas, et has quidem paulo ante mortem suam, post erectas multas Ec-*

cle-

(a) I. ad Thessal. III. 1.

(b) II. Thessal. II. 14.

(c) I. ad Timoth. VI. 20.

(d) II. Ioann. I. 12.

clesias, multosque ibi ordinatos Episcopos, quis non credet illis non relictis esse dogmata et salubria instituta, quibus suos populos regerent, et in viam salutis dirigerent, quae non minori reverentia recepta fuerunt quam ipsius scripta? quorum aliqua in libris recognitionum recenset Clemens testis oculatus factorum Petri, eaque postmodum in Ecclesia Romana instituit. Et ipse Clemens, Anacletus, et Evaristus et Alexander martyres et Pontifices sanctissimi epistolis suis postea ecclesiis commendarunt; prout iam videbimus, quod de aliis Apostolis multo magis credendum est, de quorum scriptis nulla extat in Ecclesia canonica memoria. Gaudent enim Aethiopes Traditionibus Matthaei, sicut Indi olim Bartholomei: Medii et Mesopotamii, Thomae: Palestini Iacobi: Scythae Moscovitae, Traditionibus Andreae: orientales vero Scythae, Philippi; sicut Roma Traditionibus Petri et Pauli; et Asiatici, Ioannis Evangelistae sacris monumentis. Unde Papias ille Hierapolites eiusdem Ioannis auditor, in prooemio quinque librorum quos de explicationibus sermonum Domini scripsit, merito de doctrinis Apostolorum viva sibi voce traditis gloriatur (a): *Considerabam* (inquit) *quid Andreas, quid Petrus dixissent, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes, quid Matthaeus vel alii quilibet discipulorum Domini, quid etiam Aristion et senior Ioannes discipuli Domini loquebantur, non enim tantum mihi libri ad legendum prosunt, quantum viva vox usque hodie in suis auctoribus personans.* Quam doctrinam praeter scripturas merito etiam magnificat Clemens ille Alexandrinus, vir scientia et morum integritate praeclarus, magnaque antiquitate reverendus, qui floruit tempore Marci Antonini Veri: primo enim suorum stromatum libro haec

(a) Pap. loc. cit.

verba habet (a) : *Mihi quidem commentarii huius operis , non ad ostentationem scribuntur , sed ad commendationem senectae , et ad oblivionis remedium , quo scilicet in iis sit mihi adumbratio rerum magnificarum , divinorumque verborum , quae audire merui a viris Sanctis et Beatis , quorum ab alio apud Achaïam , ab alio apud Syrias , ab alio in Oriente , et maxime apud Palaestinam institutus sum , ex Hebraeorum origine veniente , ad ultimum autem ipso magisterio usus sum viri veritatis et scientiae merito maxime deferendi : post quem velut thesauro in absconditis reperto , aliud quaerere ultra cessavi. Et illi quidem divinae doctrinae veritatem mihi quae sibi ab ipsis statim primis auctoribus , Petro , Iacobo , et Ioanne et Paulo Sanctis Apostolis tradita fuere , tamquam patres filio commendarunt. Ubi vides pretiosissimis thesauris hunc sanctum virum comparasse apostolicas Traditiones : quibus se dicit in doctrina fidei fuisse imbutum , quietum , et confirmatum. Dilucidius tamen D. Innocentius III. in illo capite vulgato *cum Marthae* , loquens de illis tribus verbis in consecratione tremendorum mysteriorum contentis , scilicet , *Elevatis oculis in coelum , Mysterium fidei , Aeterni Testamenti* , hoc idem confirmat , dicens (b) : *Non est dubitandum , quin Ecclesia ab Apostolis haec susceperit ; nec obstat , quod in evangelio non habeantur , nam multa sunt in evangeliiis omissa , quae per Apostolos suppleta sunt , scripto et verbo. Et ne putet aliquis , hoc quod e verbis consecrationis Innocentius dixit , sui temporis esse commentum , audiat D. Basilium ante mille et centum annos ad Amphiloichium de hac re loquentem , qui cum in multa incidat , quae Ecclesia Catholica tenet , in Scripturis Divinis minime contenta , de praefatis verbis huiusmodi fert iudicium (c) : Quis (inquit) e sanctis viris reliquit nobis**

scri-

(a) Clemens Alexandrinus , *Stromat. I.*

(b) Innoc. III. dist. 4. cap. cit.

(c) Basilus loc. cit.

scripta verba invocationis illius, quae fit in designatione panis Eucharistiae, et calicis benedictionis? Neque enim contenti sumus his verbis, quae Apostoli et Evangelistae meminere, sed alia praefamur, quae plurimum valent ad mysterium, quae tradita et percepta sine scripto sunt. Haec ille vere magnus de verbis consecrationis Eucharistiae in scriptura minime expressis praesensit, non minorem illis honorem tribuens, quam si ea scripta Apostoli reliquissent. Item Foelix I. et Xistus I. martyres et pontifices Dei sanctissimi, ante mille et trecentos annos aequalitatem divinarum personarum ex viva Traditione in suis epistolis commendant et probant. Adde quod multa sunt in Ecclesia universalis recepta, et ea quidem ad salutem necessaria, quae ex scriptura Canonica dilucide constare minime possunt, sed per Christi Apostolorum Traditionem illi innotuerunt. Nam quod Christi anima benedicta post mortem ad inferos descenderit, nullus Evangelista sic expresse narravit, sed ex solo apostolico Symbolo clare constat. Item quod filius sit consubstantialis patri, Spiritus Sancti divinitas et aequalitas cum aliis personis; quod duae sint in Christo naturae in unitate divini suppositi adunatae; quod sint duae voluntates in eodem; quod secundum quod homo ab initio conceptionis et semper patrem viderit; quod beatorum animae statim a corpore exutae clara visione divinitatem conspiciant; quod Virgo Maria non amiserit virginitatem in partu, neque post partum; quod sit, et dici debeat mater Dei; quod in parvulis sit efficax Baptismus Christi; quod ab haereticis baptizati in forma Ecclesiae per solam manuum impositionem ab Episcopo recipiantur; quod Catechumeni exorcizentur ante Baptismum; quod oleo Balsamo mixto ungantur baptizati, confirmandi, et ordinandi; quod vinum debeat misceri aquae in tremendis mysteriis: praeterea crucis signatio; sacramentorum numerus; ritus et formae; diei Do-

minicae sanctificatio, et plura id genus alia, de quibus vel sub-obscura, aut nulla mentio in evangelicis codicibus habetur: et tamen tota Ecclesiae successio tam in Oriente, quam in Occidente, a Spiritu Sancto edocta, a temporibus Apostolorum usque in praesens ea tanti fecit, ac si scriptura ipsa continerentur, solius primorum et maiorum Traditionis auctoritati innixa, quam qui non recipit nec veneratur, non est etiam, quod recipiat (ut probavimus) scripturas istas sanctas, quas habemus; quippe quarum auctoritas, non per aliud quam per Traditionem maiorum Ecclesiae nobis nota est; ac subinde, qui Traditionem negat, totam Christianam religionem pene subvertit. Nam si omnia scripta esse debebant, quae ad Ecclesiae salutem et regimen animarum pertinebant, ut contendunt factiosi, superflueret prorsus Spiritus Sancti magisterium, infallibili pollicitatione ei promissum: non ad horam tantum, sed quod usque in finem seculi esset eam comitaturum, et cum ea permansurum. Nec ullo modo est verisimile sanctos illos Apostolos, et primos patres (si omnia necessario scripturis forent demandanda) tam parcos in scribendis voluminibus fuisse. Accedit ad haec, quod qui omnia ad salutem necessaria in scripturis contineri improbe volunt, et quidquid extra illas est, minime pro vero acceptandum affirmant, praeter hoc, quod Patriarchas illos primos (ut paullo superius monstravimus) damnat, qui multa fecerunt, et instituerunt sine ulla scripti verbi auctoritate, Apostolos etiam sanctos temeritatis arguit, et de impietate notat, qui multos ex veteribus ritibus abrogarunt, et quosdam ad tempus permiserunt: ut est Sabbati sanctificatio, circumcisio, abstinencia a sanguine, suffocato, et idolothito. Rursus aliqua noviter introduxerunt, ut Baptismum in nomine Domini Iesu, cuius alia forma a Chri-

sto

sto erat praescripta , ut patet Matthaei ultimo (a) , et celebrationem Dominicae diei : et haec quidem sine manifesto legis testimonio. Aut igitur haec damnari oportet , quae sine ulla scriptura statuta sunt : Aut si acceptari debent , ut vere acceptanda sunt , luce clarius manifestum evadit , non omnia quae tenenda sunt , a scriptura petenda esse , ac proinde non omnia divinitus tradita in scripturis contineri : qui est totius Lutheranismi fons. Nec video certe , qua ratione ducti Ecclesiae subversores , aliqua ex apostolicis traditis damnent , et aliqua recipiant , quando contra nos vel alios agunt , cum in decretis sanctorum Patrum , apostolicorum virorum , et aliorum utriusque Ecclesiae sanctorum monumentis (prout iam iam videbimus) aequaliter de omnibus honorificentissima fiat mentio , nisi quod suo lubito conventicula et coitiones adversus sanctam Ecclesiam matrem omnium fidelium , volunt superbi isti facere , et apostolicis Patribus et sanctis omnibus sathanica se temeritate conantur praeferre : asserentes perfricta fronte Ecclesiam sanctam per duodecim annorum centenarios turpiter errasse , contra Iesu Christi sponsi sui infallibiles promissiones , qui iugem sui spiritus assistentiam eidem sponsae promisit , et a patre cumulatissime impetravit.

Colligitur ex dictis Ecclesiam sanctam cum adhuc virgo erat , cum sanguis sponsi eius in ea caleret , antequam haereticos novisset , nullas habuisse fere scripturas novi Testamenti : Omnia enim Christi monita , verba et opera , cordibus fidelibus erant insculpta , omnia in ore , omnia in opere. Cum vero divina lex coepit in cordibus hominum languere , et pullulabant iam haereses , et incipiebat regnare iam in homines mundanus amor , et propria affectio , divino consilio introductae sunt in Ecclesia scri-
ptu-

(a) Matth. XXVIII. 19.

pturae, quae bonam partem dogmatum et institutorum divinarum continerent: quibus haereses convincerentur, fides conservaretur, peccata corripere, et fideles instruerentur et consolarentur, et quibus denique Traditiones approbarentur, essentque tanquam norma et irreformabilis regula, ad quam cetera non scripta, sed per manus tradita, dirigi possent. Fuit autem cum ea servata (*) *Traditio*, eodem Spiritu Sancto procurante, non sine magna etiam ratione; vidit enim spiritus inverecundos haereticos affuturos, ut fuerunt Marcionitae, qui omnes novi Testamenti scripturas tentarunt corrumpere; insuper affuturos multos alios superbos et pertinaces, qui cognitione syllabarum et corticis scripturae duntaxat ducti, intellectum scripturarum sibi arrogarent, et ex falso intellectu eius, spreto maiorum Ecclesiae iudicio, perniciosam dogmata in eadem disseminarent (id quod omnibus haereticis peculiare semper fuit) quam ob causam potissimum, credo Traditionem in Ecclesia simul cum scriptura a maioribus fuisse relictam, qua et scriptura a corruptoribus posset conservari, atque ab adulterinis secerni: prout tempore Irenaei, et Tertulliani factum cernimus, et iuxta veram intelligentiam spiritus intelligi: nec ullo pacto permetteretur, alienis et profanis hominum commentis doctrinam fidei conspurcari.

Est et alia ratio servatae sanctae Traditionis, una cum ipsa scriptura, propter quam primi illi patres noluerunt omnia mysteria scriptis mandare, et quam Dionysius et Basilius orientalis Ecclesiae lumina nobis aperiunt: alter in I. capite Ecclesiasticae Hierarchiae; alter vero ad Amphilochium scribens, cum quorundam meminit Traditorum. Docet ergo Dionysius Timotheum, ad quem librum praefatum destinat, in hunc modum (a): *Observa diligentius, ne sancta sanctorum efferas, neu profanis*

lu-

(*) Quare fuerit servata Traditio.

(b) Dionys. loc. cit.

luminibus violanda permittas : Verum revereberis magis , occultaque Dei mysteria spiritualibus , invisibilibus notionibus honorabis , atque intemperate servabis , nequaquam ea passim rudibus tradens , sed sanctis solis sanctarum rerum intelligentias sacratius pandes. Audisti Dionysium Pauli Apostoli discipulum. Audi nunc magnum Basilium eandem causam clarius adhuc et fusius assignantem (a) : Sicut Moyses (inquit) multa instituit quae scripto non accepit : ut quod Sacerdos magnus solus in sancta sanctorum intrasset , et hoc semel in anno , et certa quadam hora , et solos Levitas dignos mysterio iudicaret , et multa alia quae contemptum parerent , si communia essent , instituit : Ad eundem modum Apostoli et patres in occulto silentio , mysteriis auctoritatem conservarunt : neque enim omnino mysterium est , quod ad populares et vulgares aures effertur. Haec est ratio (inquit) cur aliqua tradita sint citra scripturam , ut ne dogmatum cognitio neglecta fieret , et in contemptum apud vulgus veniret propter consuetudinem : aliud enim est dogma , aliud praedicatio. Dogmata enim silentur , praedicationes vero publicantur. Hactenus Basilus. Qui satis clare docuit servatae Traditionis praecipuam rationem , ne scilicet , vilescat quod traditur , sed in pretio sit. Nec hoc solum patres primos , sed antiquissimos philosophos , ut Mercurium Trimegistum , Pythagoram , et complures alios sapientes factitasse legimus : qui parum vel nihil scripserunt , sed oretenus auditores suos instruebant , ne philosophia vilesceret et contemptibilis apud vulgus hominum fieret. Valeant ergo ecclesiasticae disciplinae dissipatores , et contra tam veneranda capita omniumque sanctorum consensum rudibus suis admiratoribus inculcent , omnia dogmata Ecclesiae ad salutem necessaria in scriptura exprimi et contineri debere : cum non solum reverendae antiquitatis , et sanctorum assensus , sed et ipsa scriptura et ratio aliter sese habere rem

cla-

(a) Basil. loc. cit.

clara voce reclamet: id quod nostra assertio proposuit. Quo fit, ut non sit illa unica Traditionis introductae ratio, scilicet, ut secundum ordinem omnia in ecclesia fiant, quam in suis scriptis praetendunt adversarii. Haec enim solis ceremoniis et nonnullis institutis adaptari potest, non tamen sanctis Traditionibus in universum. Sed mirum non est eos toto quod aiunt coelo in hac re aberrare, qui ceremonias cum Traditionibus ignoranter et maligne confundunt: id quod postea a nobis ex ipsorum verbis demonstrabitur et aperte confutabitur.

TER TIA A S S E R T I O.

Divina Sctiptura non in omnibus adeo clara est, ut seipsam possit exponere, et per seipsam possit intelligi.

Vetus Testamentum satis in hoc se prodit, cuius neque historiae, quae minus videntur reconditae, plane se sinunt intelligi. Nam ut de aliis taceamus, liber Geneseos multis in locis tam est profundus in sensu, quam humilis in verbis. Quot felicia ingenia sudarunt in expositione opificii Dei in sex illos dies digesti? quam varie illud nobis exposuere? Quis unquam satis intellexit, quid sit principium illud, in quo Moyses dicit Deum fecisse coelum et terram? Quid tenebrae quae erant super faciem abyssi? quid ipsa abyssus? quid ille Domini spiritus, qui ferebatur super aquas? quid agebat? quid illis praestabat cum super eas movebatur? quid per lignum vitae et scientiae boni et mali? quaeve istorum lignorum propria? Quis unquam satis explicuit fontem illum Paradysi, a quo quatuor illa flumina orta esse scriptura dicit, quae totam terram irrigabant? quis abunde discussit statum primi hominis ante peccatum? Romphaeam illam flammeam, qua protoplasto post peccatum interd-

ctus est ad Paradysum introitus? Poenam Cain et signum quod in eo posuit Dominus, ne occideretur, simul et mulctam occisoris eius? homicidium Lamech, et punitionem quae subsequutura erat eum qui ipsum occideret? Benedictiones illas reconditissimas, Iacob Patriarchae, paulo ante mortem suam spiritu prophético filiis collatas, et alia id genus multa? tam sunt haec sensu grandia, et mysteriis profunda, ut multi antiquissimorum Patrum, et viri sanctissimi et doctissimi, de assecutione sensus litteralis quasi desperati, ad mysticas intelligentias recurrerent. Praetereo illam ceremoniarum, vasorum, instrumentorum tabernaculi foederis congeriem, colloquia illa Dei cum sancto Moyse, favores et populi Israelitici flagella, multitudinem rituum, onus praeciunctularum: quae omnia umbra erant futurorum, ut Apostolus docet, e quibus pauca, quamvis praecipua quae ad Christum et Ecclesiae statum attinent, Paullus et alii Apostoli per Spiritum Sanctum, veluti per transennam nobis exposuerunt.

Ad Prophetas venio quorum sensus abstrusissimus omnes Sanctos, et Hebraeos Auctores perterrit. Quot sunt in eis parabolae? quot aenigmata? quot amphibologiae? quot figuratae locutiones? quot visionum differentiae et circumstantiae? quot tropi? quot similitudines ad res naturales? quot latent in numeris, instrumentis, animalibus, mysteria? quot sunt in eis sensus invicem submissi? quot reclusi? quae diversitas prophetandi? Iam prophetant verbis, iam factis, iam futuris, iam praeteritis. Nunc dirigunt sermonem ad statum sui populi, nunc demonstrant futurum Ecclesiae Christi statum, et Messiae adventum. Nunc mores instituunt, et vitia carpunt, nunc gloriam inculcant supernae patriae, adventus Messiae miscent, frequenter trans-eunt a littera ad spiritum, et id quidem insensibiliter et latentissime. Quot sunt in eis schemata et phrases difficiles? quae o-

omnia minime accipi debent, prout prima facie videntur sonare, nisi carnaliter et iudaice velimus sapere, ut sunt illa: spiritu labiorum suorum interficiet impium: habitabit lupus cum agno, pardus cum hoedo accubabit, vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos, delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in cavernam reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet, et multa alia his similia. Omitto Danielis hebdomadas, monarchiarum conquassationes, constructionem templi in Ezechiele, eiusque reconditissimas visiones, cuius in primo capite tanta est maiestas atque profunditas, ut Hebraeorum sapientes, paucis et his quidem grandaevis et eruditis velint solum esse commune. Quid de Psalterio et Iob dicam? quae mysteria suo sermone non complectuntur? quam est varius stylus eorum, atque difficilis? Iob prosa incipit, et pedestri sermone finitur, singula verba eius tropis scatent, et sensibus abundant: tandem in iis divinis oraculis tam est commixta cum rudi simplicitate profundae veritatis maiestas, ut si diligenter et humiliter nonnulla eorum excutias, statim pariant tibi latentem intelligentiam, quam in manifestis sermonibus occultabant: quaedam apertis sermonibus, ita produnt, ut nihil praeter id quod sonat amplius sit quaerendum. Quaedam autem sic describunt, ut pariter litteram et mysticum intellectum exposcant; alia vero mystice tantum intelligenda proponunt, quae spiritualis solus discernit, qui iudicat de omnibus, et ipse a nemine iudicatur. Recte Hieronymus epistola ad Algasium vetus testamentum orientalem portam appellat (a), per quam solus Pontifex ingreditur, et egreditur, et semper clausa est, et soli patet Christo, qui habet clavem David, et aperit, et nemo claudit. Idem Homilia secunda super Cantica, exponens illud: *Meliora sunt ube-*

(a) Hieron. loc. cit.

ra tua vino ; cum varias illius loci lectiones recenseat , cum septuaginta Interpretibus sentiens , qui ubera illic transtulerunt , non loquelae (ut alii) ait : *Spiritus Sanctus mysteriorum formas obiectas esse voluit in Scripturis Divinis , et non palam , et in propatulo haberi.*

Quo fit ut ad hanc difficultatem in veteri testamento superandam , minime sufficiat Hebraici Idiomatis eruditio , quae tantum de Grammaticali sensu certos reddere potest lectores. Nec istud adhuc semper praestat , etiam in locis omnibus : Nam cum Hebraica lingua admodum angusta sit , et vocabulorum inops , longeque plures sint res quam vocabula , necesse est , ut una et eadem vox , idque in eodem contextu , varias res significet. Quis igitur poterit tantum de ingenii sui dexteritate confidere , ut putet se assecutum fuisse germanam vocabuli significationem , pro quo scilicet ibi accipi debeat ? Maxime cum periodi circumstantia , unum et aliud significatum sine offensione sensus consequentiae admittat , ut multis in locis Scripturae veteris contingit : id quod in causa fuit tantae diversitatis translationum , et punctationum , quae inextricabilem difficultatem pariunt in sacris codicibus. Locupletissimi testes horum sunt ipsi Rabbini : qui cum eis Hebraica lingua sit propria et nativa : tanta est tamen inter eos interpretandi et legendi diversitas , ut facile eos possis dicere , non unam legem genuino suo idiomate tradere , sed diversis linguis diversas leges conscriptas interpretari. Antiqui Thalmudistae pugnant cum neotericis , et fere omnes cum Cabalisticis super sensus Scripturae intelligentia contendunt. Testatur hoc Iesus ille filius Syrach (a) , qui in prooemio libri sui , qui Ecclesiasticus inscribitur , loquens de opere avi sui , quod ipse concinnaverat , ait : *Hortor itaque venire vos cum benevolentia et attentiori studio le-*

(a) Eccles. cit. Prooem.

ctionem facere, et veniam habere in illis, in quibus videntur sequentes imaginem sapientiae deficere in verborum compositione, nam deficiunt et verba Hebraica, cum fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solum haec, sed et ipsa lex et Prophetae, ceteraque aliorum librorum non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur. Hieronymus etiam in hoc negotio artifex exercitissimus, epistola ad Pammachium, non decem aut triginta vocabula, sed magnam silvam nominum et verborum huiusmodi apud Hebraeos esse dicit (a): *Quae res (inquit) diversis interpretationibus materiam praebet, dum unusquisque inter dubia, quod sibi consequentius videtur, hoc transfert.*

In novo Testamento, et Evangeliorum scripturis, etsi lux ipsa Christus Deus noster, in tota lege veteri adumbratus nobis loquatur, non desunt tamen magna et profunda mysteria, quae excutiantur, magnumque negotium faciant hominibus piis et eruditis, et de quorum interpretatione non satis inter eos convenit. Ut de I. Cap. Evangelii Ioannis, ubi Divini Verbi qualitas explicatur: de Christi generatione carnali, quam Matthaeus contextit, qualiter ad Christum pertineat. Quomodo ve ab illa, quam Lucas recenset, differat, eorumque diversitas conciliabitur: de Mariae virginitate post partum, de Magorum adventu; octo beatitudinibus, de Evangelicis consiliis, de relinquendo pallio violentis hominibus; de altera maxilla percutientibus praebenda, de non resistendis adversariis, de iuramento, de divortio, de correctione fraterna, de sermone facto ad Capernaitas (b), de gladiis emendis; de tollendo saculo et pera; de esu et potu in regno Dei promisso; de abscisione scandali; de die qua Christus celebravit phase; de resurrectione mortuorum in passione, et intelligentia τῶν παραβολῶν. Paulinas vero epistolas nemo non dicet es-

se

(c) Hieron. loc. cit.

(b) Ioann. VI. v. 25.

se in sensibus profundissimas, nisi ille, qui sensu careat, expersque omnis difficultatis sit, aut eas a limine dumtaxat salutaverit quippe quarum immensa obscuritas non parum negotii Haereticis exhibuit a principio nascentis Ecclesiae usque in praesens saeculum. Quot sunt in eis tropi? quot voragines? quot concisiones? quot hyperbata? quanta vocabulorum multiplicitas, et sententiarum libertas! Quam est Paullus reconditus in epistola ad Romanos: quam liber in epistola ad Galatas: quam redundans eruditione et pietate in epistola ad Ephesios? quam durus in ea, quae est ad Hebraeos? quam denique varius et profundus in aliis? Loquatur Hieronymus: *Quoties (inquit) Paulli epistolas lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua, maxime ad Romanos, ad Galatas, et Ephesios, in quibus totus in certamine positus, quam dexterrimum agit artificem? quam prudens? quam dissimulator illius quod agit? Videntur in eo quaedam verba simplicia, et quasi innocentis hominis, ac rustici, et qui nec facere, nec declinare noverit insidias, et quocumque respexeris fulmina sunt, haeret aliquando in caussa, capit omne quod tetigerit, tergum vertit, ut superet, fugam simulat, ut occidat.* Sed de epistola ad Romanos, et eius recondito sensu in explicatione quaestionum Damasi epist. XV. ad eundem specialius loquitur his verbis: *Tota quidem ad Romanos epistola interpretatione indiget, et tantis obscuritatibus involuta est ut in intelligenda ea, Spiritus Sancti indigeamus auxilio.* Sufficiat pro earum difficultate ponderanda unicum Principis Apostolorum testimonium adduxisse (a). *In quibus (inquit) sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras scripturas, ad suam ipsorum perniciem, quod nostro magno malo hodie in his perturbatoribus religionis experitur Ecclesia.* Quam ob causam, si (b) Augustino libro de fide et operibus credimus, idem Petrus Apostolus alteram suarum epistolarum, et Iacobus etiam suam conscripsere: ne

sci-

(a) II. Petr. III. 16.

(b) August. loc. cit.

scilicet simplices difficultate et obscuritate verborum Pauli (maxime in iis, quae de fide sola construit) offenderentur. De Petri vero et aliorum Apostolorum scriptis, sic disserit idem Hieronymus: Iacobus, Ioannes, Petrus, et Iudas, septem epistolas scripserunt, succinctas et breves in verbis, sed longas in sententiis, ut rarus sit qui in earum lectione non coecutiat. Apocalypsis Ioannis tot habet Sacramenta quod verba. Accedit ad haec varietas codicum, diversitas distinctionum, difficultas vocabulorum confuse significantium, unde etiam emersit, sicut in Hebraeis, translationum diversitas, et lectionum differentia, hebraismi simul cum graecitate commixti, quibus abunde scatet novum testamentum. Quo igitur se vertet merus Grammaticus, et idiotamatum quantumvis callentissimus? Quid hic agat sciolus et superciliosus linguatarius? Addat etiam si volet suae litteraturae investigandi solertiam, acre iudicium, et doctrinarum peritiam, et iuge exercitium, quo conferat locos locis, coniungat antecedentia consequentibus, adhuc tamen longa ei via terenda restabit: multa enim sunt quae semel dicuntur in scriptura, quae conferre non possunt cum sibi similibus. Et quamvis alio loco inveniatur phrasis orationis, vel dictio similis, cum haec varie nonnumquam soleant accipi; quis decernet, utrum eadem significatione utrobique capiatur, an in diversa? maxime quando hoc vel illo modo exponere, ordini litterae non repugnat; id quod saepenumero contingit. Non sufficit ergo litteras solum nosse, quae saepissime legentes et nimium illis inhaerentes occiderunt. Verba sunt semper visionis, verba libri signati, qui cum litteratoribus offeratur, ingenue fateri possunt (si sobrie sapiunt) se illum plane non intelligere; signatus enim est, septemque sigillis clausus. Et nisi liber aperiatur ab eo qui clavem David habet, Agnus occisus ab origine mundi, qui solus inventus est, qui li-

brum aperiret, et spiritus eius assiduis orationibus et gemitibus inenarrabilibus advocetur, et Ecclesiae sensus teneatur, non est quod de sua privata industria gloriari possit carnalis et animalis homo. Hunc sensum quia non receperunt, nec hodie recipiunt perfidi et caeci Iudaei, crasissimum habent velamen in oculis cordium, ut legentes Scripturam non videant, et audientes non intelligant; iuxta D. Esaiiae vaticinium: quamquam (si Deo placeat) de mortuae litterae cognitione super omnem Ecclesiam gloriantur, et nos omnes quasi non intelligentes et stupidos truncos despiciant. Si enim idiomatum peritia non distingueretur a dono intelligentiae et prophetiae, numquam haec poneret Apostolus, tamquam Spiritus Sancti munera distincta, dicit enim (a) loquens de Spiritus Sancti donis: *Quod alii datur prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem (inquit) operatur omnia, unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Nec si aliquid arcani et hominibus carnalibus intellectu valde difficile non contineret Scriptura, numquam sic orasset Psalmographus (b): *Revela oculos meos et considerabo mirabilia de lege tua*, quasi dicat: amove ab oculis meis velamen litterae, ut spirituali sensu legis tuae, videam aliud agi, aliud significari. Et in eodem (c): *Da mihi intellectum Domine, et scrutabor legem tuam.* (d) *Mirabilia testimonia tua Domine, ideo scrutata est anima mea; Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* Non abs re nobilis ille Eunuchus Evangelicus, cum in manibus haberet Esaiam Prophetam, et Philippus Domini discipulus ab eo sciscitaretur utrum intelligeret, quod legebat, respondit (e): *Et quo modo possum intelligere, si*
non

(a) I. Corinth. XII. 10.

(b) Psalm. CXVIII. 18.

(c) Ibid. v. 34.

(d) Ibid. v. 129.

(e) Actor. VIII. 31.

non aliquis ostenderet mihi? Rogavitque Philippum, ut currum secum conscenderet: qui per Spiritum Sanctum interpretatus est ei locum Isaiae de Christo. Cuius Eunuchi personam Christiane satis non veritus est in se transferre (a) D. Hieronymus in epistola ad Ambrosium: *Ego (inquit) ut de me loquar, neque sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior*: ostendens ibi neminem per seipsum posse arcana scripturae rimari. Constans est Paulli sententia (b): *animalis homo (quantumvis sit humanis adminiculis, et naturae et artis dotibus ornatus) non percipit ea quae sunt spiritus Dei*. Nam cum iuxta Petri sententiam, Spiritu Sancto inspirati locuti fuerint sancti Dei homines, fieri non potest ut sine Dei spiritu intelligantur, quae spiritualia sunt. Sunt enim sermonis interpretatio et prophetia (ut diximus) peculiaris et distincta Spiritus Sancti dona: quae natura nec arte constare possunt. Unde Beatus Bernardus ad fratres de monte Dei (c): *Quo spiritu (inquit) factae sunt scripturae, eo legi debent, et ipso etiam intelligendae sunt. Numquam ingredieris in sensum Paulli, donec usu bonae intentionis in lectione eius et studio assiduae meditationis, spiritum eius imbiberis. Numquam David intelliges, donec experientia ipsorum Psalmorum affectu induaris*. Hactenus Bernardus.

Item si obscurae non essent scripturae, non dixisset Christus, scrutamini scripturas. Res enim quae scrutinio eget, non est obvia, nec clara omnibus. Etsi sine spiritu Dei intelligi possent, non aperuisset ipse sensum Apostolorum (d), ut scripturas intelligerent. Nec dixisset Malachias: (e) *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius*. Non est haec obscuritas in scripturis, eventu aut casu aliquo, sed divino procu-

ra-

(a) Hieronym. loc. cit.

(b) I. Corinth. II. 14.

(c) Bernard. loc. cit.

(d) Luc. XXIII. 32.

(e) Malach. II. 7.

rata consilio : ea enim nostra exercetur ignavia , humiliatur superbia , et augetur diligentia : suavius capimus quae venamur , et magis haerent quae cum labore cognoscuntur : et ex scripturae difficultate multas intelligentias pro morum institutione nanciscimur. Hinc singultus illi assidui, frequentes lachrymae, orationes continuae, secessus, mortificatio, et diligentia sanctorum, qui in enodandis Sacris Scripturis egregiam operam navaverunt: hoc ipsum sapienter intelligentes, frustra scilicet laborare humanam industriam, nisi spiritus ille coelestis advocetur, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei. Inter quos sic auspicatur Origenes, seu Hieronymus seu quisquis ille fuit auctor quatuor homiliarum super Cantica, quae in III. epistolarum eiusdem Hieronymi continentur, expositurus illud; *Similis est dilectus meus Capreae*: Invocemus patrem verbi, qui nobis verbi sui manifestet arcana, sensumque nostrum removeat a doctrina humanae sapientiae, et exaltet atque elevet doctrinam spiritus: ut non ea quae sentit carnalis auditus, sed ea quae continet voluntas Spiritus Sancti loquamur. Idcirco sancti viri praeter eximios duces quos sibi sequendos deligebant, ut Timotheus, Titus et Lucas, Paullum: Dionysius, Clemens, Linus et Anacletus, Petrum: Ignatius, Policarpus, Papias, Ioannem: Papiam, Tertullianus: Pantenum, Origenes: Dionysius Alexandrinus, Originem: Timotheus, Dionysium Atheniensem: D. Cyprianus, Tertullianum: Eusebius Dorotheum Antiochiae antistitem: Hieronymus Dydimum et Gregorium Nazianzenum: Cyrillus, Theophilum: Augustinus, Ambrosium: Orosius et Primasius Augustinum: terras insuper longinquas lustrabant, purgationi vitae et orationi sedulo instabant, adhibita praeter haec diligentia et studio minime vulgari, quatenus pretiosissimam hanc Margaritam sibi compararent, et ad coelestem disciplinam in dies habiliores redderentur. De Gregorio Nazianzeno le-

gimus, quod remotis omnibus secularibus libris, et mundialibus curis, soli Scripturae Divinae et orationi vacaverit: neque hoc ex propria praesumptione, sed maiorum scriptis fretus, et auctoritate ductus. Nota est omnibus D. Hieronymi diligentia, qui ut alter Pythagoras maiorem fere mundi partem peragravit, ut hanc possessionem cum fructu acquireret. Neminem etiam latent, quae de recta Theologizandi ratione praefatus Gregorius scripsit, gradusque illi praeparatorii, quos Augustinus in libris de Doctrina Christiana ad conscendendum divinae sapientiae culmen digressit. Is libro de moribus Ecclesiae, qualis esse debeat divinae sapientiae sectator, his verbis aperuit (a): *Sacrae scripturae expositio petenda est ab iis, qui doctores se profitentur; et infra: Diligentia et pietas ab inquirente adhibenda est: altero fiet, ut scientes inveniamus; altero, ut scire mereamur; id quod opere et sermone omnes sancti nemine discrepante docuerunt. Irenaeus namque talem profert de hac re sententiam (b): Si in rebus creaturae quaedam sunt quae adiacent Deo (id est relicta sunt illius cognitioni) quaedam in nostram venerunt scientiam; quid mali est, si eorum etiam quae in scripturis requiruntur (universis scripturis spiritualibus existentibus) quaedam quidem absolvamus secundum gratiam Dei, quaedam commendemus Deo: et non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro, ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper audiat, quae sunt a Deo? Piissima certe vox et viro apostolico digna sententia, vix potuit iudicio meo accommodatior obscuritatis scripturarum adinveniri ratio, quam ut Deus semper doceat, et nos humiliter audiamus, et ab eo intelligentiam mendicemus. Quam longe abest spiritus iste apostolicus, et existimatio vere Christiana a superbis sciolis nostrae tempestatis, importunis logodaedalis, et factiosis haereticis, qui ἐκ τῆς παιδοτεβίας ad primas*

Ec-

(a) Augustin. cit.

(b) Irenaeus de Haer. Lib. I. c. 47.

Ecclesiae cathedras usurpandas assumpti, repente se putant in magnos evasisse Theologos. Ludunt in scripturae campo, lasciviunt schematibus, variant lectiones, luxuriantur copia et loquacitate. Ad haec etiam, si diis placet, de arduis fidei dogmatibus audent proferre censuram: ob id solum quod Luciani dialogum, aut Hesiodi carmen pueris noverunt exponere, et quinque capita Pauli Epistolae ad Romanos et ad Galatas iuxta Lutheri corruptam intelligentiam putant se posse interpretari: quasi tota summa intelligentiae divinae scripturae, in iis quae pueri aut infideles ad unguem callere possunt, collocaretur: superba sane, et pernitiosa existimatio. Quis enim negabit Origenem, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum, Cyrillum, ut interim de Latinis auctoribus taceam, et alios Graecos patres omittam, his novis Graeculis, qui nostra tempestate Ecclesiam turbarunt, longe in Graecis literis et sapientia doctiores et graviores, qui ab externis auctoribus minime mendicantes, in media Graecia nati, Athenis enutriti, a Graecis philosophis edocti, Atticum leporem, quem quasi maternum habuerunt (uti testantur eorum monumenta) simul cum sapientia coniunxerunt, et magna laude docuerunt? Qui nihil tale senserunt, quale ab istis nunc deliratur: nec ob id superbierunt, aut in mirabilibus super se ambulaverunt, sed magna humilitate orationi et vitae purgationi vacantes, et maiorum vestigia insequentes, in scripturarum intelligentia magnopere profecerunt, et quia non cognoverunt literaturam in ea fidentes, in potentias et secreta Dei introire meruerunt. Audi, si placet, non me, sed ipsos Sanctos, de hac re contestatos. Origenes super Cantica Canticorum: *Necesse (inquit) est eum, qui scripturas sacras desiderat intelligere, cum labore contendere, ut non iuxta carnem et sanguinem*

(a) Orig. com. in Cantic.

conversetur, quo possit dignior fieri spiritualium secretorum. Idem super Exodum (a): Non (inquit) studium solum nobis adhibendum est ad discendas sacras literas, verum et supplicandum Domino, et diebus ac noctibus obsecrandum, ut veniat agnus ex tribu Iuda, et ipse accipiens librum signatum dignetur aperire. Et super I. Psalmum ad Ambrosium conclusas et obsignatas dicit esse divinas scripturas, clave David, et sigillo ipsius, qui ipsas dedit. Neque id solum de Apocalypsi Ioannis, vel Isaia Propheta affirmat, sed de omni scriptura divina, quam dicit esse refertam innumeris difficultatibus, quas humana mens aegre comprehendere potest. Gregorius vero Nazianzenus (b) non omnium dicit esse, etiam si idioma ta calleant, de divinis oraculis disserere, sed eorum (inquit) qui inter multos habito delectu ad tantum munus videntur idonei. Qui vero sint tales, ipse declarat: qui (inquam) contemplandi acumine ceteros antecellunt; qui iam ante corpus et animam ab affectu purgarunt. Magnus etiam Basilius epistola de vita solitaria, eleganti comparatione hoc ipsum confirmat. (c): Quemadmodum in cera quis scribere non potest, nisi characteres impressos ante deleverit, sic nec anima divina dogmata degustare, nisi pristinos ex animo mores penitus destruxerit. Nec hoc solum docuerunt isti duo viri gravissimi, sed opere ipsum compleverunt. Legimus enim in Historia tripartita (d), istos hos duos Sanctos Patres, per XII. annorum spatium ambos in coenobio quodam commorantes, scripturas omnes evolvisse, et earum intelligentiam non ex propria praesumptione venatos esse, sed maiorum doctrinam et auctoritatem sequutos fuisse. Epiphanius, cui tantum sanctitatis et doctrinae tribuit in suis epistolis D. Hieronymus in compendiarie de fide doctrina, quam edidit, non literas solum callentibus
sed

(a) Idem in Exod. Hom. XII.

(b) Greg. Nazianz. Lib. I. Theol.

(c) Basil. loc. cit.

(d) Histor. tripart. Lib. XI.

sed spiritu abundantibus scrutinium scripturarum committit (a): *Consideremus (inquit) virtutem scripturae, ne fiat nobis litera mors. Litera enim occidit: in litera est vita, occidit autem imprudentem ad literam accedentem, et non habentem spiritum interpretantem, qui literam aperit, et quod in ipsa est revelat. Bone Deus, quot vidimus nostra aetate miserabiliter vulneratos, et ab Ecclesia in varias haereses distractos, hoc solo, quod viribus ingenii confisi, literae cortici adhaerentes, et Spiritus Sancti lumine carentes, ad ea quae ipse spiritus per Traditionem in Ecclesia docet, non attenderunt? Subscribit et huic nostrae assertioni ille vere aureus et eloquentissimus Ioannes Chrysostomus (b): Nihil hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divino spiritu afflatu Prophetae locuti sunt; ita uti a spiritu scripta, ingentem in se continent thesaurum. Et paullo inferius: Neque enim vel syllaba vel apiculus est in sacris literis, in cuius profundo non sit nobis quispiam magnus thesaurus. Proinde nobis opus est, ut divina gratia ducamur, ut Spiritu Sancto illustrati, eloquia divina adeamus. Et ne putet aliquis, humanis solum adminiculis tantum thesaurum posse sibi comparare, adiecit sacer ille auctor: Neque opus habet divina scriptura hominum sapientia, ut intelligatur; sed revelatione spiritus, ut hausto inde vero sensu, magnum nobis hinc lucrum accrescat. Hactenus Chrysostomus, qui quanti fecerit humana praesidia in intelligentia scripturae, aperte satis demonstravit. Iam accedat Ecclesiae graecae ultimus et irrefragabilis testis, qui dictis praedecessorum suorum quasi Colophonem addat, Sanctus scilicet Pater Cyrillus, qui non solum rudibus et mediocri ingenio praeditis, et exercitatis, sed sanctis et doctis viris plenam divinae scripturae intelligentiam denegat (c): *Sciendum**

(a) Epiph. loc. cit.

(b) Chrisost. in Genes. Hom. XXI.

(c) Cyrill. supr. Levit. Lib. V.

dum (inquit) quod ex hostiis, quae offeruntur et conceduntur sacerdotibus ad edendum, non penitus omnia conceduntur. Sed pars ex ipsis aliqua Deo offertur, et altaris ignibus traditur. Ut sciamus etiam nos, quod etsi conceditur nobis aliqua ex diuinis scripturis apprehendere et agnoscere, sunt tamen aliqua, quae Deo reservanda sunt, quae cum intelligentiam nostram superant, sensusque eorum super nos sit, ne forte aliter nobis, quam se habet veritas proferantur, melius igni ista reservamus. Ubi ergo est totius scripturae divinae claritas, quam praedicant adversarii? cum tota istorum Sanctorum cohors difficilem, obscuram, et pene impenetrabilem asserat; sed clara forte istis est, quia sprete Traditionis antiquitate et Sanctorum Patrum et Ecclesiae magisterio pro libito suo, quidquid in buccam venerit, effutiunt. Consonat etiam his sanctis et nostra veritate doctorum Ecclesiae latinae chorus venerandus. Sensem D. Irenaei iam vidimus super hac re. Tertulliani quoque sententiam intelleximus. D. Clementis verba postmodum in quinta assertione afferemus, qui non per nos ipsos solum, sed per Traditionem scripturae intelligi debere autumat. Nunc audiamus alios, ne toties eosdem locos videamur repetere. Sanctus pater Hieronymus non (a) uno in loco suorum operum veritati nostrae suffragatur: testimonia duo vel tria insigniora, quaeque magis ad rem facere videntur, producamus. Primum est in prologo super libro Paralipomenon: *Fateor (inquit) mi Domnion et Rogatiane charissimi, numquam me in diuinis voluminibus, propriis viribus credidisse, neque habuisse opinionem meam, sed etiam de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum, quanto magis de iis de quibus anceps eram?* Quae ut certius calleret, aperte ostendit quid fecerit homo sanctissimus super epistola ad Ephesios cui acerrimum ingenium, idiomatum peritia incomparabilis, atque humanae sapientiae non cur-

ta,

(a) Hieronym. loc. cit.

ta, sed abundans supellex inerat. *Ab adolescentia (inquit) non cessavi aut legere umquam, aut doctos viros quae nesciebam interrogare, neque me ipsum tantum habui magistrum, sed ob hanc rem Alexandriam perrexi, ut viderem Didimum, et ab eo in scripturis omnibus, quae habebam dubia sciscitarer. Sed de difficultate divinarum scripturarum in epistola ad Paullinum specialius pater hic venerandus disserit in haec verba: Audi mi conserve amice Germane, ausculta paullisper, totum quod legimus in divinis libris, nitet quidem et fulget in cortice, sed dulcius in medulla est: qui edere vult nucleum, frangat nucem. Revela, inquit David, oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Si tantus Propheta tenebras ignorantiae profitetur, qua nos putas parvulos et pene lactentes inscitiae nocte circumdari? Hoc autem velamen non solum in facie Moysi, sed in Evangelistis et Apostolis positum est, cum turbis Salvator in parabolis loquebatur, et contestans mysticum esse quod dicebat, aiebat: qui habet aures audiendi, audiat. Et nisi aperta fuerint universa quae scripta sunt, ab eo qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit, nullo alio reserante pandentur. Quid de D. Ambrosio dicam, (a) qui magnum mare scripturam divinam vocat, habentem in se abyssum sensuum profundorum, et in quam plurima intrant flumina? Nec ab his Sanctus Augustinus discedit, (b) imo magnopere huius negotii difficultatem extollit in plerisque suae doctrinae locis. Adducamus aliquot et praecipuos: Super Genesim, inquit: *Sacra Scriptura altitudine profundos et superbos iridet, et profunditate sua attentos retinet. Magnos veritate instruit, parvos affabilitate nutrit.* In libro de Doctrina Christiana fatetur obscuritatem scripturae a Spiritu Sancto fuisse procuratam, ut non patefierent secreta indignis, et ut a nobis removeret Deus superbiam, et earum parvipendium tolleret.*

(a) Ambros. Lib. VI. Epist. XLIII.

(b) August. Lib. V.

ret. Epistola vero tertia ad Volusianum, mira nobis aperit de stylo, quem in divina scriptura Spiritus Sanctus servavit: *Modus (inquit) ipse dicendi quo Sacra Scriptura contextitur, quamvis omnibus accessibilis, tamen paucissimis penetrabilis: ea quae aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuce ad cor doctorum atque indoctorum loquitur: ea vero quae in mysteriis occultat, nec ipso eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula et inerudita, quasi pauper ad divitem. Sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate: hoc in promptis, quod in reconditis habens: sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operata desiderantur: desiderata, quodammodo renovantur: renovata, salubriter intimantur.* Et paullo post circa finem ait: *Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficere possem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectam maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere.* D. Gregorius tractans illud Canticorum (Fons hortorum, puteus aquarum) (a): *Sciendum (inquit) quod scriptura divina in quibusdam manifesta existens, in quibusdam vero locis obscuram se praebens; aliquando leniter sicut fons potatur, aliquando magna inquisitione eget, ut inventa sumatur. Et super Ezechielem: (b) Magnae utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque adhuc maius aliud, quia si Scripturae Sacrae intelligentia in cunctis esset aperta vilesceret, quae in quibusdam locis obscurioribus tanto maiori dulcedine inventa reficit, quanto maiori labore fatigat animum quaesita. Sanctus Isidorus idipsum confirmat (c): Ratio per quam fit haeresis, obscuritas est divinarum scripturarum, in qua caligantes haeretici aliud quam se res habebat, intelligunt. Bernar-*

(a) Gregor. in Cantic.

(b) Idem Hom. VI. in Ezech.

(c) Isidor. de Sum. Bon. Lib. II.

nardus super Cantica idem hoc asserit (a) : *Ab imperitis indigne lectio sacrae scripturae praesumitur ante spretam et abiectam seculi pompam , ante carnem disciplinae studiis edomatam , et spiritui mancipatam : sicut enim incassum circumfundit lux oculos caecos , sic animalis homo non percipit , quae sunt spiritus Dei. Non enim haec lectio docet , sed unctio ; non litera , sed spiritus ; non hominis eruditio , sed exercitatio in mandatis Dei.* Tempus me desereret si exempla omnia et dicta sanctorum super hac re vellem recensere : recensui autem haec absque ulla amplificatione , quia Soli proculdubio lumen inferre velle videretur , qui tam clara perviaque testimonia aliis quam propriis suis verbis voluisset lucidiora facere. Et licet nonnulla ex iis de gustu tantum mysteriorum scripturae videantur loqui , omnia tamen fere de intelligentiae difficultate , et interioris et superni luminis necessitate , apertissime nos instruunt. In summa nemo sanctorum doctorum hunc campum intravit , nisi mundus , purgatus , et a negotiis secularibus abstractus. Nec putabant se idoneos ad verbi Dei intelligentiam , hoc solo quod linguas callerent , et regulas eruendorum sensuum prae manibus haberent , sed quia Deo propinquiores per spiritualem profectum se esse cognoscebant , vel saltem iam proficere se in vita spirituali credebant.

Sed quid ego in recensendis praeteritarum aetatum dictis et exemplis super hac re moror ? cum abunde nobis ex adversariorum confusis et inter se pugnantibus doctrinis , propter diversas de quibusdam scripturae locis sententias , exempla suppetant ? Lutherus Haeresiarcha pestilentissimus , cum fidem illam suam solitariam , iustificantem , quam Paulo falso tribuit , in principio coepit praedicare , in magnam suorum Germanorum perniciem amorem Dei , et omne legis opus a negotio iustificationis

(a) Bernard. loc. cit.

exclisit, verbis Paulli (ut ipsi videbatur) fretus; quemadmodum patet ex eius scriptis maxime libro de libertate Christiana et variis locis commentariorum ipsius in epistolam ad Galatas. Subsequentibus tamen eius errorum fautores ab ipsa veritate et nostratium argumentis convicti, re ipsa illi adversi, licet verbis convenientes, charitatem cum fide necessario quodam a se ficto glutino connectunt, cum fidem illam iustificantem vivam appellent, et quae motus efficaces habeat erga Deum: quod sine charitate minime fieri potest; hoc ipsum (licet contrarium) tentantes (sicut ille) ex eadem scriptura probare. Rursus idem Luther in assertionibus suis, Articulo xxvi. xxxvi. asseruit liberum arbitrium, rem esse de solo titulo, dicens: *Liberum arbitrium figmentum est in rebus, vel vanus titulus sine re: quia nulli est in manu sua cogitare quippiam aut mali aut boni, sed omnia inquit* (ut Wiclephi articulus Constantiae damnatus recte docet) *de necessitate absoluta eveniunt.* Insuper eidem libero arbitrio denegat actionem, et quod mere passive in omnibus quae vult et non vult, se habet: quod ex multis locis Paulli, et Testamenti veteris, praesertim Deuteronomii, nititur probare; et tamen postea eius coniurati ex eadem scriptura contrariam colligunt sententiam, actionem et libertatem iam concedentes libero arbitrio in bonis et fructuosis operibus, ut ex eorum libris constat. Praeterea praefatus Luther prius docuit omnes Christianos esse liberos a quacumque potestate, sive ecclesiastica, sive laica, ut colligitur ex Lib. II. de Seculari Potestate, adversus Regem Angliae: quod scripturis putat se validissime probare. Unde coepit Anabaptistarum et Zwinglianorum commentum, et multorum in Germania caedes atque rebellio subsequutae sunt; sed postea ipse et temperatores eius in odium ecclesiasticae potestatis et gratiam secularium magistratuum sententiam et locos scripturae, quibus fretus Luther

ther illud affirmabat, pro suo lubito attemperarunt; et Ecclesiasticis magistratibus reiectis, seculares (quos frustra abolere tentarunt) sibi iam propitios ad coelum usque extulerunt, omniaque munia ecclesiastica et profana ab eis exequi posse male suaserunt, quasi illis esset commissa totius Ecclesiae cura atque gubernatio; et non potius regi ab aliis, qui secundum Ecclesiae ordinem praesunt, et gubernari datum esset. Ad haec in libro de servo arbitrio asseruit, nihil difficultatis esse in sacris literis, et iactans se in eis nihil ignorare, omnes provocat, ut ostendant sibi aliquem scripturae locum, quem ipse non possit interpretari, magnumque Oedipum seu caecum Tiresiam superbissimumque divinatorem agens, antiquiores et a Deo illuminatos viros sanctissimos se longe doctiores de caecitate notavit. Et alibi etiam docuit in expositione scripturae ad solam Grammaticam, simplicemque vocabulorum significationem esse recurrendum. Sed in praefatione super Psalmos sui forte oblitus magnus hic Apostolus oppositam omnino tenet sententiam. Dicit enim (*): *Psalterium profiteor, verum ita profiteor, ut nolim ab ullo id de me praesumi, quod nullus adhuc praestare potuit sanctissimorum et doctissimorum, id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere et docere; sat est aliquot et eosdem ex parte intellexisse: multa sibi reservavit spiritus, quo nos semper discipulos habeat: multa solum ostendit, ut alliciat; multa tradit, ut afficiat.* Et infra, postquam allegavit Augustinum ad hoc, subiunxit: *Quocirca, ingenue me confiteri oportet, me ignorare, an legitimam habeam Psalmorum intelligentiam.* Et paullo post: *Scio esse impudentissimae temeritatis eum, qui audeat profiteri unum librum scripturae a se in omnibus partibus intellectum.* Et cum exponit Psalmum decimum nonum, ait: *Exposuimus hunc Psalmum de rege quocumque; et nec dum certus an legitimum sensum attige-*

(*) Antilogiae Lutheri.

rit, iudicium interpretationis suae reiicit in lectorem. Rursus Psalmo vicesimo fatetur se incertum esse, an de Christo solo, an de alio rege debeat intelligi. Alibi etiam magno stomacho invehitur in Hebraeos Rabbinos, dicens, eos fuisse corruptores scripturae. Nec ad omnes has antilogias asserendas deerat homini in scriptura (ut ipsi videbatur haud ignaviter versato) verbi Dei auctoritas, distorta tamen, et male intellecta, qua scilicet mendacia consarcinaret, et contradictiones assereret. Et nisi duos homines in eo fingas; unum sobrium, et alterum temulentum seu arrepticium, manifesto sibi ipsi in multis dogmatibus contradicit maximus et primus Protestantium pater. In quam sententiam facile adducor, quia neminem ex scriptoribus magis volubilem et inconstantem offendi in iis, quae semel affirmavit, aut negavit: argumentum sane falsarii, et adulterini dogmatistae. Iam intelligebat, iam ignorabat; iam aiebat, iam negabat; nesciebat quo se verteret miser et delirus homo, et merito quidem; nam de spiritu suo non erat, quod confideret, qui toties eum fefellerat, et in eius scriptis miserrime vacillare fecerat, et mutare milies sententiam coegerat haud aliter, quam solent hi, qui chronica et insanabili infirmitate laborant, cum certis Criticis diebus violento aliquo *καροξισμῶ* exagitantur, novis codicillis revocant antiqua testamenta. Nullum novum librum edebat hic falsus evangelicae libertatis assertor, in quo alias a se affirmatum aut negatum non revocaret, nil in eius libris noviter editis magis frequens et obvium est, quam prioris sententiae revocatio. *Hoc volo* (inquit) *quod iam teneatur*; hac enim loquendi formula peculiariter utitur, tam erat ei in manu fidem et religionem moderari. Omitto hic Anabaptistarum et Sacramentariorum cum Lutheranis interminabiles concertationes, ex ipsius sacrae scripturae locis subortae, et quidem in rebus tanti momenti, ut de vera et reali

existentia corporis Christi in Sacramento altaris, de Christiana libertate, de effectu Baptismi in parvulos, de regno Spiritus Sancti, et multis aliis, in quibus per ipsam scripturam a nobis, et a veteri ecclesia, et a seipsis etiam dissident, et usque ad pugnos contendunt. Quare dictis et factis suis coguntur adversarii fateri, magnam et pene insuperabilem esse in scripturis sanctis difficultatem. Porro sibi vindicare claram scripturarum notitiam, in quibus tot viri sanctissimi haeserunt, et cespitarunt, et super quarum intellectu multi viri ingenio clari, doctrina non vulgari praediti, tam graves et pene interminabiles suscitant quaestiones nec has de lana (ut aiunt) caprina, extremae dementiae mihi videtur: nec minor est meo quidem iudicio, quam si multi homines in eodem medio, et in eadem distantia sanas habentes visivas facultates, easdemque apertas et ad unum materiale et corpulentum obiectum attentas, quod in omnium prospectu est; unus inter eos auderet affirmare album esse, aliis omnibus serio et vere illius corporis albedinem se videre negantibus. Quo fit ut execrandum, atque sacrilegum sit illorum institutum, qui scripturam omnibus perviam esse voluerunt, ab omnibusque tractari debere, male docuerunt. (*) Non enim est omnium sacram scripturam interpretari, neque cum fructus utilitate legere. Nam si spiritualis homo per se solus potest cognoscere sensum Dei (ut diximus) cum non omnes spirituales sint, nec omnes habeant donum istud intelligentiae, teste (a) Paulo I. Corinth. XII. Spiritu Sancto dividente singula dona prout vult; imo multis in ecclesia lacte opus sit, propter eorum ruditatem et imbecillitatem, ut idem Paullus de Corinthiis dicit, nihil illis proderit indifferenter in toto scripturae campo spatari, nisi forte ut la-

queos

(*) Non est omnium scripturas tra-
ctare.

(a) Apostol. a v. 4.

queos sibi parent, quibus misere capiantur, et magnam iniuriam verbo Dei irrogent, illotis (quod aiunt) manibus ipsum contrectando, et pretiosissimam margaritam pedibus, id est, corruptis affectibus conculcando. Adde quod parvulis et rudibus, ut ipsa natura docet, cibaria per parentes debent ministrari, et non ipsi sibi captare, alioquin solidum et difficilis concoctionis obsonium pro levi cibario perniciosam ignorantiam sibi desument, vel aviditatis indiscretionem addent crudum super indigestum in suae salutis incommodum; satiusque eis esset fame torqueri, quam male saturari. Si enim omnibus indifferenter data esset scriptura, ut in eius intelligentia versarentur, frustra positi essent (ut saepius diximus) in Ecclesia Dei gradus donorum: ut alii sint pastores, doctores, alii prophetae, ac subinde alii auditores. Sed contra dicit Paulus, qui hos gradus veluti membra diversa corporis in Ecclesia coaptat, et omnia omnibus necessaria esse praedicat; quare necessario convincitur, ut in Ecclesia debeant esse qui per alios, et non per se proficiant et intelligant: quod Christus Redemptor noster subindicavit, cum panes turbis in deserto per manus Apostolorum voluit impartiri, et seorsum absque turbae arbitris, illis aperiebat regni coelorum mysteria. Semper Deus prohibuit rude vulgus, et carnales homines a scrutinio suorum mysteriorum. Unde laturus sacrosanctam legem suam, iubet Moysi, ut populum contineat ab ascensu montis (a): *Constitues (inquit) terminos populo per circuitum, et dices ad eos: Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines ipsius; omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, sive iumentum fuerit, sive homo.* Haec verba per Allegoriam tractans magnus ille Nazianzenus hoc modo nos instruit (b): *Verbum Dei ab haereticis carnalibus et rudibus*

(a) Exod. XVIII. 12. et 13.

(b) Nazian. Theol. Lib. II.

hominibus abhorret, ac tantum solidis ac lapideis tabulis inscribi dignatur; nimirum quod lex partim in aperto est, partim involucris tegitur; ita ut et vulgus infra montem manens, quod intelligat, habeat; et electis ac in montis verticem progressis, quo exerceantur, non desit. Nec ad aliud propositum Sancti Apostoli, et successores eorum a Christo appellantur sal et mundi lux, nisi quia per eos cibaria populorum debent condiri, et doctrina sua tenebras ignorantiae aliorum dispellere. Dicere autem non esse in Ecclesia homines carnales, prorsusque ad coelestem philosophiam per se capessendam plane ineptos, est manifesto scripturae contradicere, et sensibus repugnare: ob id enim quasi hos a recte dispositis secernens Redemptor noster, dicebat cum a promiscuis turbis audiretur (a): *qui habet aures audiendi audiat*, id est, qui habent sapientiam discernendi, ut Theophylactus exponit, quam ut non omnes habent, non omnibus debet patere coelestis philosophia. Reprehendunt hoc institutum fere omnes sancti, quorum nonnulla testimonia eaque praecipua in medium afferemus, omittentes multa alia, ne lectori in re tam aperta fastidiosi simus. Nazianzenus ille de quo paullo ante fecimus mentionem primo suae Theologiae libro ad hunc modum de re ista docet (b): *Non cuiusvis Christiani est de Deo disserere, non adeo res haec est vilis, neque horum qui humi serpentes terrenis studiis occupantur: quoniam eorum tantum est, qui inter multos habitu delecto, ad tantum munus videntur idonei, quique contemplandi acumine ceteros antecellunt, qui iam ante corpus et animam ab affectu purgarunt. Nam ut parum infoeliciter cesserit, si morboris oculis in solares radios intueri coneris, ita impurus ipse summam puritatem non sine periculo attrectabis. Quamobrem Divus Basilius cum coram Valente Imperatore fidei suae rationem redderet, insolentiam cu-*

iu-

(a) Luc. VIII. 41.

(b) Nazian. loc. cit.

iusdam coqui, qui tunc aderat, severissime coercuit, eo quod homo rudis atque carnalis de rebus divinis ausus esset petulanter disserere. Quibus vero permittatur scripturam sacram tractare, satis eleganter alibi docet idem vir sanctissimus: *Non usque adeo (inquit) vilis est sacrae scripturae sermo, ut vulgo indocili, et per terram adhuc repentibus homunculis pateat. Quorum ergo munus est pater sanctissime? Eorum (inquit) qui ingenium atque industriam suam in *theologia* atque scientiae consumpserunt disciplinis, et eorum qui norunt, amotis corporalibus et materialibus, intellectualia et spiritualia conspiciari: ante omnia vero illorum est, qui et anima et corpore iam purgati sunt, ut minimum, qui certe purgantur: qui vero minime purus est, quomodo audebit purum attingere? quoniam imbecilles oculi solis radios ferre non possunt. Quas referemus gratias huic patri venerando, pro tam claris adversus scripturae violatores sacrilegos testimoniis? Vix ab iracundia temperare possum, cum Aristotelem (a) video a sua carnali et terrestri philosophia homines iuvenes moribus merito arcere, quibus passiones dominantur, veluti ineptos ad tractandum de humanis moribus scientiam, et Sybillinos libros prudentibus viris ad id munus delectis Romani tantum committebant, vulgus ab eorum lectione inhibentes: et quod nullam velint differentiam fieri, imo omnes aptos indiscriminatim esse dicunt Erasmiani et Lutherani isti, non ad audiendam modo, sed ad tractandam et legendam coelestem philosophiam, committendo illam passim immaturis adolescentulis, levibus mulierculis, crassis senibus, stultis vetulis, epicureisque sensus hominibus, qui vix fidei rudimenta tenent. An putant, obsecro, isti Prophetarum oracula facilia aut indigniora esse, quam Sybillina folia? aut casu quodam Prophetas tot involucris suas sententias*

ob-

(a) I. Ethicor. III.

obvolvisse? Non certe, sed divina hoc procurante dispositione: ut nisi spiritualis homo et exercitatus, ad earum intelligentiam posset pervenire: et ne sacra et divina doctrina ab indignis et carnalibus hominibus profanaretur, aut conculcarentur. Conquerbatur olim de hac re graviter D. Hieronymus, qui acrius procul dubio stomacharetur, si super hac re novatorum istorum temeritatem conspiceret, dicit enim in epistola ad Paullinum (a): *Cum nulla ars sit, quam omnes passim sibi vendicent, hanc (scripturarum videlicet intelligentiam) garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant.* Quo nihil sane potest contingere inordinatius; nam si nec Cytharaedus, nec figulus quispiam evadere possit, nisi et prae-eunte magistro et industria, et spatio temporis, et assidua exercitatione, nisi denique humiliter se maioribus illius artis subderit, quomodo in sola hac arte sanctissima erunt omnia confusa, et inter docere et doceri nulla differentia? nullus popularibus, rudibus atque carnalibus erit praefixus terminus? admittendi sunt senes ad eam, priusquam animi sordes deponant? invitandi adolescentes cum adhuc puerile balbutiunt? Credo equidem (nec me fallit opinio) institutum hoc sub pietatis quadam umbra a diabolo esse inventum, quo facilius in errores homines trahat, aut magistros sanctos minoris aestiment, et scripturam sacram, Spiritus Sancti pignus pretiosissimum, vilipendio exponant. Vidi ego quamplurimos in Germania adolescentulos a Lutheranis vocatos evangelistas, qui vix dum relictis nucibus et crepundiis, tam temere scripturarum testimonia ad ea quae ab aliis docebantur, postularent, ac de scripturae locis tam confidenter sententiam suam proferrent, non secus ac si magno quopiam virtutum profectu in sacrorum librorum evolutionem totos viginti

(a) Hieronym. Epist. ad Paull.

annos sedulo insumpsissent. Vidi rursus alios, quos a sedilibus et stiva ad rem Theologicam tractandam vocant isti reformatores, solam verborum tenentes, nihil nisi quae a magnis scilicet illis magistris suis per tres vel quatuor menses didicerunt, magno boatu e suggestu intonantes, nondum fidei suae (cum ab eis exigitur) rationem reddere valentes, prius imperitorum magistros quam doctorum discipulos, hoc solo nomine ad Apostolicum munus electos, quod optime deblaterantes rudi plebeculae improbe noverunt imponere. An non est hoc sanctum dare canibus, et pretiosas margaritas porcis obtrudere? Flagitium certe dignum, ut ipsi canes conversi dirumperent huius sacrilegi instituti auctores. Longe aliter docent sancti viri, et Deo amicissimi. Non enim omnia omnibus, neque simul: sed est quando, et in quibus, et in quantum. Crescente enim sensu fidei et aliarum virtutum, crescere etiam debet alimentorum sacrorum administratio: quemadmodum fieri videmus in naturalium corporum augmento. Sapienter animadverterunt hoc antiquissimi Hebraei, qui primitus sacras literas excoluerunt: nam portionem quandam scripturarum distribuerunt imbecillioribus et rudioribus legendam, quae iisdem congruere maxime videbatur: districte inhibentes alia, quae perfectis tantummodo legere permittebantur, exactique iudicii hominibus: institutum sane ipsi naturae valde consonum. Ut enim in alendo corpore quidam cibus quoquo modo omni stomacho utilis est, non tamen omnia alimonia omni homini et omni aetati est idonea, ita et in alendo spiritu, quod Paullus in Ecclesia Corinthiorum agnoscens, pro capacitate auditorum magna discretionem ministrat spiritualia cibaria doctrinarum. (a) *Quasi parvulis (inquit) in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis: idque hoc dicit rudibus et*

im-

(a) I. Corinth. III. 2.

imperfectis. De grandioribus vero alibi aliter (a) dicit: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et ad Hebraeos: (b) *Facti estis quasi lacte opus sit, non solido cibo. Omnis autem qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiae; parvulus enim est.* Ad perfectos vero in eodem capite sic dicit: *Perfectorum autem est solidus cibus, eorum scilicet, qui pro consuetudine exercitatos sensus habent ad discretionem boni et mali.* Hic expressis verbis docet Paulus, non eundem cibum spiritualem omnibus Christianis ex aequo posse convenire. Discrevit et iam auditorum aetatem, atque profectum in dispartiendis doctrinis coelestibus, quibus mundum illuminavit Servator noster Iesus, distinguens inter vulgares et selectos, carnales, et iam spiritu proficientes. Nam turbis in parabolis loquebatur; Apostolis vero seorsum, quibus datum erat cognoscere regnum Dei: sed nec eisdem omnia simul tradidit, aut sine proverbiiis docuit, prout ipsius verba declarant apud Ioannem (c): *Haec in proverbiiis locutus sum vobis, venit hora cum iam non in proverbiiis loquar vobis.* Et paullo ante ibidem dixerat (d): *Multa habeo vobis dicere, quae non potestis portare modo; paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Haec dicebat Apostolis suis, qui iam ipsum diu audierant, et omnia pro eius nomine reliquerant, qui sacerdotes iam erant ordinati, et corporis et sanguinis eius participes effecti; denique extra vulgi aleam positi. Ut discat novator, quid velit coelestis praeceptor fieri in Traditione doctrinarum spiritualium. Recte ad hoc propositum docet Nazianzenus sermone de Spiritu Sancto (e): *Oportet paullatim et infirmis fidelibus ea quae perfectiora sunt aperire, et cum in fidei intelligentia et religione profecerint, tunc cla-*

(a) Ibid. II. 6.

(b) Hebr. V. 12. et 13.

(c) Ioann. XVI. 25.

(d) Ibid. v. 12.

(e) Nazian. loc.cit.

ros oculos habentibus lucem adhibere, et in veritate ambulantes scientiam committere veritatis. Quod utinam adhuc in sancta Ecclesia servaretur, alius fortassis esset profectus fidelium, alia populi disciplina, alia denique rerum facies, si pro diversitate captuum ministrarentur alimenta doctrinarum, et non omnibus omnia confuse traderentur, aut exiguo aut nullo facto discrimine inter Neophitum et proficientem, Cathecumenum et baptizatum, carnalem et spiritualem. Videor mihi tamen audire iam succensentem Erasmianum quempiam, nostramque imo sanctorum doctrinam veluti superciliosam improbantem. Bona (inquit) et sancta est divina scriptura, et ad salutem hominum data, atque ut intelligeretur ab iis, quorum refert ipsam servare, promulgata: quorsum ergo tu ad paucos dicis pertinere, quam Deus voluit omnibus esse communem? Numquid non lux est divina scriptura? Omnibus ergo patere debet. Sed et Paullus universae Ecclesiae scribit suas epistolas, non Theologis aut Episcopis. Quid ergo tu a vulgo hominum subtrahis, quae Apostoli voluerunt omnibus esse obvia? Apage, bona verba, non subtrahimus scripturam a fidelibus, sed nolumus ut homines carnales et inexercitati crudam eam potius devorent, quam comedant: audiant Praelatos, Prophetas, et Ecclesiae Doctores, ab illis discant, quae sibi necessaria sunt. Scriptura sacra lux est, fatemur: sed non omnibus comprehensa, sed paullatim ostendenda. Possessio est totius Ecclesiae, non cuiuslibet privati: in quo certe non parum hallucinatus est Erasmus, et quotquot eum in hac parte secuti sunt. Non omnia quae in scriptura continentur, conveniunt singulis personis. Nec diffitemur ad omnia membra Ecclesiae cum scribebat Paullus epistolas suas direxisse; non tamen voluit, ut quilibet per seipsum intelligeret omnia in illis contenta; sed munus hoc demandatum erat aut Episcopis aut Pres-

byteris et maioribus, ut recitarent, et vulgo exponerent. Quae consuetudo usque in praesentem diem in Ecclesia retenta est. Hinc Apostolus in spirituales Corinthios reiiciebat curam intelligendi ea, quae ipse in epistola scribebat (a): *Si quis (inquit) videtur Propheta esse aut spiritualis, cognoscat quae scribo vobis; quia Domini sunt mandata.* Fateor quaedam esse in scriptura, quorum lectio communis esse possit, et magno commodo a multis legi: at non idcirco scripturae omnes omnibus debent statim esse communes. Nam et Apocalypsis Ioannis, et primum caput evangelii ipsius, et Paullinae epistolae, maxime quae ad Romanos et Galatas, insuper Isaiae, Ezechielis et Danielis oracula, Cantica Canticorum, ac multi denique in evangelio loci, qua utilitate legentur obsecro a rudibus et carnalibus, in quibus exercitatissimi homines mente iam purgati, et spiritu pleni, fatentur se multa ignorare? Adnotavit hanc differentiam eloquiorum Dei olim Beatus Fulgentius noster, Astigitanus Episcopus, exponens illud Matthaei de homine patrefamilias, qui profectus in regionem longinquam servis suis impartitus est munera, et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, idem quod nos de divinae scripturae inaequalitate sentiens his verbis (b): *Dominicus sermo quem debemus omnes non solum studiose verumetiam sapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suae tenens ubique temperiem, ut nec ovibus desint pabula, nec pastoribus alimenta, quaedam specialiter solis nobis, quaedam specialiter solis vobis, quaedam vero generaliter vobis et nobis.* Et infra: *In verbo Dei abundat, quod perfectus comedat; abundat etiam quod parvulus sugat; adde etiam et quo proficientes saginentur.* Quid igitur fieri potest, ut carnales et rudes homines iudicium spiritus habeant, quo possint sacram scripturam legendo,

(a) I. Corinth. XIII. 37.

(b) Fulgent. loc. cit.

do, ex ea delectum eorum facere, quae pro sua aetate et statu conveniunt, et alia rursus relinquere, quae maioribus et perfectioribus apparantur? Certe qui iudicium habet huiusmodi, quo possit ista discernere, iam non carnalis, iam non rudis, sed proficiens, perfectus, vel exercitatus, et non ex infima plebe est: quod qui de omnibus sine discrimine affirmat, profectum scripturae ipsi, tum rerum experientiae plane contradicit. Porro homini carnali et rudi discretionem de rebus spiritualibus non habenti, scripturam totam ita offerre, ut ex ea sumat quidquid libuerit, perinde est ac si puerum voracem aut intemperantem in poenum aliquem obsoniorum refertissimum introduxeris, qui facile pro levibus cibariis gravia, pro mollibus dura, pro utilibus noxia et mortifera deglutiet. Nec sufficit quod literas mortuas et Grammaticam intelligat, nisi et nucleum extrahere noverit. Hic enim solus est, qui cum utilitate legit scripturas. Nucleum autem extrahere, et cum fructu percipere, solus spiritualis et exercitatus potest (a); *nam animalis homo nescit, quae sunt spiritus Dei*. Sufficit ergo rudibus et simplicibus credere Deo, et in Christo Iesu filio eius pro nobis crucifixo, cum aliis fidei rudimentis. Maneant in Ecclesiae unitate, perseverent in fide, et Dei et proximi dilectione, et maiorum obedientia: in aliis vero aut sileant, aut maiores audiant, non sapiant plus quam oportet. Melius est enim idiotas et parum scientes per fidem et charitatem proximos Deo fieri, quam dum varia scire et divina oracula rimari conantur, blasphemos et superbos in Deum et Ecclesiam inveniri. Non est tam clara et aperta in omnibus scriptura, quin in diversos sensus a quovis ingenio mediocriter exercitato flecti valeat, et quantumvis eruditus in eius intelligentia haerere possit. Quando enim Sanctus Moyses Deuteronomii

CO-

(a) I. Corinth. II. 14.

codicem edidit, non vulgo sed sacerdotibus atque maioribus ipsum observandum tradidit. Dicitur enim (a) : *Scrpsit itaque Moyess legem hanc, et tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis. Et licet iuxta praeceptum Domini audiendus omnibus liber legis erat, per ministerium tamen eorundem Sacerdotum. Illis enim praecipitur, ibidem ut legant: non tamen legendum unicuique permittit pro suo lubito et sine discrimine. Traxerunt ex sacris codicibus perperam intellectis ortum omnia quae ab initio surgentis Ecclesiae usque nunc schismata pullularunt. Novit hoc futurum Deus, idcirco antiquitus cum populo suo legem non multum obscuram dedisset idiomate communi descriptam, sciens tamen non defuturos, qui legi suae dissonos sensus accommodarent, obicem positurus haeresibus et hominibus pertinacibus supremum tribunal consilii, sacerdotes instituit, ac deinde summum Praesulem, cui ab omnibus obediretur, ad quos dubitationes de lege deferrentur (b) : *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem et sanguinem, caussam et caussam, lepram et lepram, et iudicium intra portas tuas videris variari, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis: qui iudicabunt tibi iudicii veritatem, et facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te iuxta legem eius, et sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, et auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Adde quod cum adversari in Ecclesia iuxta idem problema saepenumero contingat errores, quasi ex diametro (quod aiunt)**

(a) Deuter. XXXI. 9.

(b) Deut. XVII. 8. 9. 10. 11. 12. et 13.

aiunt) inter se pugnantes, et e duobus haereticis uterque adducere possit pro se scripturam, id quod passim accidit: ut inter Arium et Sabellium, Pelagium et Manichaeum, et nunc inter Phanaticos Anabaptistas, et Lutheranos, rursusque inter hos, et impios Sacramentarios, unusquisque ex hisce factionibus homo pro sua parte stare contendat scripturam, quam veluti mediam inter dissidentes quodam modo esse existimant, haerent certe quotidie Christi fideles, si per solam scripturam contentiones huiusmodi deberent dirimi; nec ad aliud magisterium recurrendum esset, sive in decernendis, quae ex scriptura non colliguntur, sive in declarandis quae ex scriptura emergunt dubiis: ac subinde non esset provisum sufficienter Ecclesiae Dei a suo institutore Christo in rebus tam magni momenti: id quod nefas est de tanta providentia sentire. Nam quod dicunt scripturam seipsam exponere: etsi verum sit in multis locis; possunt tamen se offerre contentiones, in quibus scripturae loci qui adducuntur ab adversis partibus, sint in aequali numero, vel aequaliter obscuri: et locus qui adducitur ad expositionem alterius, non semper adeo clarus, ut ob oculos ponat dilucidam illius loci, de quo dubitatur, intelligentiam: possunt etiam esse loci singulares eiusmodi ut similes illis in scripturis non inveniantur, quibus exponantur. Postremo, hoc ipsa experientia demonstrat, tam in hisce quam in praeteritis temporibus inter contendentes de scripturae intellectu et fidei quaestionibus, sola scilicet scriptura dissidia omnia religionis minime posse sedari; quare ad Spiritus Sancti magisterium ultimo recurrendum.

QUARTA ASSERTIO.

Nullus privatus spiritus per se solum sufficit ad tollendas prorsus fidei controversias, et dissolvenda quae super scripturae intellectu suboriri possunt dissidia.

PRIVATUM accipio ut opponitur communi: qui dupliciter privatus dici potest, vel ratione personarum, quia scilicet uni vel paucis contingit, quomodo privatus spiritus dicitur donum intelligentiae scripturarum, seu discretio spirituum, aut gratia sanitatum, (est enim mos apud Sanctos, quodcumque Spiritus Sancti donum, spiritum appellare, sive quia effectus eius est, ut Paulus (a) dicit I. Corinthiorum, sive quia eo ut instrumento movet Spiritus Sanctus hominem ad aliquod opus supernaturale.) Vel potest dici privatus ex parte finis, quia ad privatum commodum et utilitatem datur: ut gratia spiritus, qua incedit Christianus in Dei beneplacito cum fidei et charitatis perseverantia. Haud dissimiliter accipitur spiritus communis (oppositorum enim eadem est disciplina) nunc pro dono Spiritus Sancti manifesto ad Ecclesiae utilitatem ordinato, ut gratia verbi et prophetiae, quae fuit in Apostolis et in multis aliis Sanctis, quae est communis ex parte finis: nunc pro dono spiritus, quod omnibus petentibus obvium est. Quo fit nullum inconveniens esse variis rationibus, eundem esse privatum et communem spiritum: cum tamen eadem ratione nequeant convenire, sicut in oppositis relative docent dialectici. Sunt enim haec etiam de numero eorum quae ad aliquid dicuntur.

Rursus privatus spiritus iuxta primum modum, vel potest esse manifestus Ecclesiae, ut fuit Apostolorum et Sanctorum multorum, qui miraculorum virtute, vel eximia vitae sanctimonia, cum

(a) Cap. XII. a v. 4.

perseverantia in fide, charitate, et Ecclesiae unitate finire vitam. Vel potest esse occultus, qualem non nego esse in multis Ecclesiae Doctoribus, Pastoribus, et Scriptoribus Ecclesiae piis intra Ecclesiam existentibus, qui longo orationis usu, vel Dei benignitate et praerogativa praeventi, hoc spiritu dotati sunt. Non sunt haec a nobis conficta, sed habent in scripturis sanctis suas radices. De privato enim spiritu iuxta primum modum, qui communis est ex parte finis, Apostolus (a) loquitur I. Corinthiorum: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: et divisiones ministracionum, idem autem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Rationem vero privatam intelliges ex iis quae sequuntur (b): *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae secundum eundem spiritum, alii fides &c.* Quod de fide in eximio gradu qualis fuit in Petro Apostolo debet intelligi. Nam fidei donum ad privatam spiritum, iuxta secundum modum debet reduci: alioqui diversitas quam concinnare vult Apostolus illis verbis, in corpore Ecclesiae, non staret, si de communi fide sermo illic esset. Et subiunxit (c): *Alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum: Haec autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Et infra (d): *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tantum corpus sunt: ita et Christus (scilicet mysticus, qui est Ecclesia Dei) etenim in uno spiritu potati sumus.* Ecce cum unitate et communitate spiritus, ex parte personarum et totius corporis Ecclesiae, stat diversitas spirituum et gratiarum atque donorum:

qui

(a) Paul. loc. cit.

(b) Ibid. v. 8.

(c) Ibid. v. 9.

(d) Ibid. v. 12.

qui licet privatus sit ex parte personarum quibus accidit, est tamen communis ex parte finis, quia ad Ecclesiae utilitatem datus. Sicut cum una communi anima totius corporis, qua privatim unumquodque membrum regitur, et corpus ipsum vivit et habet esse, est diversa facultas, et figurae, et functionis in quovis membro. Et paullo post (a), non discedens a pulchra illa sua similitudine corporis naturalis, ad corpus Iesu Christi mysticum, ait: *Si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra unum corpus, ei (scilicet cui deerat) abundantiorum tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed in id ipsum pro invicem sollicita sint membra: et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Iam vero adaptans similitudinem ad Christi corpus, quod est Ecclesia (ait) (b): Vos autem estis corpus Christi, membra de membro: et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetae? Numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? Quibus verbis tam privata posuit sacratissimus ille Apostolus Spiritus Sancti dona ex parte personarum in Ecclesia, quam privata sunt munia et facultates membrorum in corpore naturali. Itaque quemadmodum non omnia membra eundem actum habent, sic nec omnia Ecclesiae membra eandem facultatem, cum hoc tamen *συνπάθειαν* et communitatem in omnibus membris Ecclesia assignavit; ex qua diversitas haec adaptaretur et concinnaretur, et pro se invicem essent sollicita membra. Unde emergit, et satis clare colligitur, has privatas gratias ex parte personae et communes ex parte finis, non*

(a) Ibid. v. 19.

(b) Ibid. a v. 27.

exercitio solo posse adquiri, ut infoeliciter multi tentant, putantes omnia quae spiritus sunt, humanis adminiculis solum posse comparari, ut gratiam verbi in concionibus, et spiritum interpretandi. Loquor autem de spirituali munere concionandi, non ago de iis, qui longiore usu et consuetudine quadam naturali assuefacti, aut potius ambitione ducti, vix intellectis duabus vel tribus lineis novi Testamenti, ac totidem quaestionibus scholasticis male digestis, dispensationem verbi divini temere ac insolenter audent sibi tribuere, neque vocati, neque missi, neque in vita spirituali exercitati: cuiusmodi hominum genus ipsius naturae dote potius quam praeventione spiritus tales evadunt, atque ob id, aut perexiguam, aut nullam in Ecclesia frugem faciunt: imo non verear dicere (salva semper Ecclesiae censura) ne per orationis quidem exercitium, supradictas gratias ab omnibus simul posse impetrari, quamquam obnixe et instantissime petant: Alioqui periret pulchra illa et concinna sanctae Ecclesiae in unitate diversitas, quae a dextris Regis sponsi semper stat in vestitu deaurato, circumdata varietate. Sicut enim omnia membra corporis unum membrum non possunt esse, manente corporis integritate; ita nec omnia dona Ecclesiae in uno possunt collocari, nec aliquod ex donis privatis in omnibus inveniri. Stat enim immota Paulli similitudo, sicut nec omnia membra unum, nec unum membrum omnia esse queunt: ita nec omnes Apostoli, non omnes Prophetae, non omnes Doctores, et Scripturae Expositores, nec omnes gratiam habent curationum, nec donum linguarum: alias corpus non esset attemperatum, et schisma esset in eo: nec quodlibet membrum pro alterius salute esset sollicitum; si sibi posset quodlibet sufficere, vel per humanam sollicitudinem, vel per orationem: talisque oratio non esset efficax, si ab omnibus fieret, utpote quae Dei dispositioni adversaretur, quae sicut non deficit in necessariis,

riis, ita nec abundat in superfluis. Superfluum autem esset, quod omnes in Ecclesia gratiam verbi haberent, vel interpretationis dono pollerent. Aemulanda tamen sunt cum hoc (ut Apostolus docet) meliora charismata, quia nescimus quibus Deus ea per orationem impartiri vult.

De spiritu vero privato ex parte finis, sed communi ex parte personarum, qui omnibus petentibus obvius est, praeter id, quod Paullus inculcavit, et nos subindicavimus, Christus Deus noster apud Lucam disserit, de oratione loquens; ubi omnes docet fiduciam ipsam impetrandi (a): *Petite (inquit) et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur.* Et paullo post adducta de patre naturali et carnali ad patrem spiritualem Deum similitudine, subiungit atque concludit (b): *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester coelestis dabit spiritum bonum petentibus se?* Qua quidem in re valde ineptiunt adversarii, qui cum negent continentiae donum, etiam si petatur, paucissimis a Deo communicari, quod scimus quamplurimis, imo pene innumeris in Ecclesia concessum fuisse, idque facilius quam donum prophetiae, et intelligentiae scripturae: hoc tamen omnibus petentibus volunt esse commune, non ob aliud quam ut sua phantastica dogmata vendibiliora faciant, quasi de promptuario Spiritus Sancti desumpta, utque licentius per ἀποστάσεων campum luxurientur, et communi spiritui Ecclesiae se opponant: adversus quos loquitur nostrum assertum. Quod sive intelligas de privato spiritu ex parte personae (modo non sit a Deo manifestatus, aut pollicitatione peculiari et manifeste promissus) sive ex parte finis, verum semper est nostrum hoc enunciatum.

Cau-

(a) Luc. XI. 9.

(b) Ibid. v. 13.

Causa quare sic in hac parte erraverint isti veritatis hostes praeter malitiam et animi contumaciam, quibus male sunt in Ecclesiam Dei animati, scriptura perperam intellecta fuit: ut scilicet id quod ipsa loquitur de certis et determinatis personis; vel de spiritu omnibus obvio, et per orationem fidei comparando ad agendorum scientiam, ipsi ad omnes generaliter, et ad spiritum qui ad Ecclesiae utilitatem solet dari, dicant pertinere: non distinguentes inter donum spiritus ad salutem uniuscuiusque necessarium, et ad utilitatem Ecclesiae collatum. Varia enim sunt dona spiritus, ut testatus est Apostolus.

Arguunt ex illa Christi promissione (a): *Si duo ex vobis consenserint, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a patre meo qui in coelis est: ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* In quo loco sine differentia videtur omnibus spiritus promissus, qui ex toto corde quaerunt et petunt, et hoc modo volunt finiri religionis controversias, si indifferenter petatur ab his vel ab illis spiritus bonus, circa fidei et scripturae dubia: in qua sententia potissimum est Bucerus, in libro illo quem de Ecclesiarum vera doctrina conscripsit: sed non intelligitur iste locus, ut Lutherani putant. Adsit ipse D. Cyprianus, qui tanquam arbiter honorarius, intellectum huius loci aperiat, et litem dirimat (b). Is tractatu de Simplicitate praelatorum adversus haereticos Novatianos, qui ex hoc loco veram intelligentiam scripturae sibi arrogabant (prout hodie faciunt Ecclesiae adversarii) hunc locum sic interpretatur: *Dominus de Ecclesia sua loquitur ad hos, qui sunt in Ecclesia, ut si ipsi concordēs fuerint, si secundum quod monuit et mandavit, duo aut tres collecti unanimiter oraverint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de Dei maiestate quod postulant: et ponit exemplum de duobus Apostolis in custodia*

(a) Matth. XVIII, 19.

(b) Cypr. loc. cit.

dia clausis , quibus resolutis carceris claustris , Iesus Christus Dominus (a) opem tulit , et infra eadem verba repetens , subiungit: *Non homines ab Ecclesia dividit , qui instituit et fecit pacem passim sua voce commendans ; ostendens magis esse se cum duobus aut tribus unanimiter , quam cum dissidentibus plurimis ; plusquam impetrari posse paucorum concordiae pace , quam discordiae oratione multorum.* A qua promissione manifesto secludit haereticos , et Christianae pacis ac unitatis perturbatores. Hic velim etiam diligenter perpendas , quod Christus illis verbis Apostolos suos alloquitur , quibus immediate praedixerat , quaecumque alligaveritis super terram , erunt ligata et in coelo , et quaecumque solveritis in terra , erunt soluta et in coelo. Et addit : Iterum dico vobis , quia si duo ex vobis consenserint &c. Itaque sicut potestas illa ligandi atque solvendi non omnibus fidelibus est generalis , sic neque subsequens promissio. Neque id in omnibus , quae petierint Apostoli et successores intelligendum est : aliquid enim iustum et sanctum legitimus Apostolum Paullum magna cum instantia petiisse , quod minime impetravit : sed promittitur illis divinum subsidium , coelestisque approbatio sententiae ligandorum et solvendorum , super qua unanimiter consenserint et oraverint in nomine Domini congregati. Ideo dicit , ex vobis scilicet Apostolis , non ex iis qui ex vestris caulibus non sunt , nec ad numerum pertinent vestrae unitatis. Quare ex illo loco nihil potest concludi , quod adversariorum causam promoveat : nam non ad omnes fideles loquitur ibi Christus. Et quamvis ad omnes fideles loqueretur , quod ex contextu litterae minime constat , non de omnibus quae petierint , quamvis iusta sint , debet intelligi promissio : sed de omni eo quod ad salutem suam vel aliorum duo vel tres in Christi nomine congregati , cum fide et perseverantia petierint , aliis nullam neque

mo-

(a) Act. XVI. a v. 26.

moram atque impedimentum interponentibus. Quare ad donum intelligentiae scripturarum minime potest extendi locus ille: quantumcumque enim sermo universalis videatur, temperandus tamen est ad intellectum antecedentium et consequentium, id quod saepissime in scripturis accidit.

Afferunt etiam illud Iacobi (a): *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei, postulet autem in fide nihil haesitans*: quae promissio de sapientia et intelligentia videtur esse, et haec quidem generalis omnibus. Respondeo: Si haec pollicitatio et aliae similes generales essent, omnia Ecclesiae membra possent esse unum membrum, sicque desiisset, ut probavimus, vel desinere posset esse Christi corpus, Ecclesia Dei: quod (ut monstravimus) repugnantiam manifestam includit. Loquitur ergo ibi Apostolus de spiritu necessario ad salutem, et qui dirigit homines inter tribulationes et laqueos huius vitae, recta et regia via ad terminum salutis nostrae destinatum: id quod ex antecedentibus licet divinare. Nam supra dixerat: *Omne gaudium existimate fratres cum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum, ac statim subnectit: si quis autem vestrum indiget sapientia &c.* Quasi diceret: *Ne diffidatis in medio tentationum et tribulationum, quin potius gaudete atque confidite, quia cum praesto adsit divinus favor, et Spiritus Sancti gratia, omnibus vere petentibus obvia, quae intellectum illuminet, et appetitum voluntatis corroboret, magnum ex huiusmodi sustinentia fructum reportabitis.* Itaque nulla illic est mentio de scripturae intelligentia. Nec te sinas falli propter vocabulum sapientiae ibi positum, mos enim est cognitionem agendorum et virtutem prosequendorum in via Dei, quae Spiritus Sancti praesidia sunt, appellari in scriptura, scientia,

(a) Iac. I. 5.

tiam, sapientiam, et intellectum: quia is solus vere sapiat, qui ista sapit et intelligit. Habetur enim Sapientiae decimo (a): *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum, &c.* Quod de quolibet iusto cum Christo iam regnante, merito canit tota Ecclesia. Itaque de spiritu privato ex parte finis ad salutem necessario, loquitur Iacobus, quem alio loco petebat in Psalmo David (b): *Da mihi intellectum Domine, ut discam mandata tua.*

Nec dissimiliter locus ille Ioannis ab adversariis celebratus intelligi debet, cum dicit (c), *unctio docet vos de omnibus.* Quibus verbis, fidelibus Spiritus Sancti gratia communis hoc tribuit, ut per unctionis sufficientiam declinare possent haereticorum dogmata, eisque minime acquiescere: quod longe aliud est, quam donum intelligentiae scripturarum. Ponamus in medio integram orationis periodum, antecedentia et consequentia continentem, nam adversarii conscisas plerumque allegant scripturae sententias, dividentes sensum earum, sicut et ipsi a Christo et Ecclesia sunt divisi: dicit ergo de quibusdam haereticis, qui Christum filium Dei negabant (d): *Omnes qui negant filium, nec patrem habent. Qui confitetur filium, et patrem habet. Vos quod audistis ab initio in vobis permaneat, quia si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, et vos in filio et patre manebitis, et haec est re-promissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam aeternam. Haec scripsi vobis de iis qui seducunt vos: et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, et non necesse habetis quod aliquis doceat vos, sed sicut unctio docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium, et sicut docuit vos manere in eo.* Quis non videt hic sanctum Evangelistam loqui de doctrina spiritus per ipsummet

Tom. I.

M

Apo-

(a) Sap. X. 10.

(c) I. Ioann. II. 27.

(b) Psalm. CXVIII. 34.

(d) Ibid. v. 23. et seq.

Apostolum praedicata fidelibus, qua potentes erant haereticis contrarium docentibus resistere, si vellent; a quibus minime necessarium erat ut docerentur in praeiudicium divinae unctionis? quasi diceret, tenete doctrinam spiritus per mysterium nostrum iam a vobis acceptam, quam si tenueritis, non est necesse, ut extraneus aliquis doceat vos: sed sicut unctio docuit, et docet de omnibus ad salutem nostram necessariis, ita sentite et in ea manete. Ad hanc normam intelligi possunt, et alii in scriptura loci, si qui sunt, qui assertioni nostrae superficie tenus videbuntur forte obviare.

Porro mirifice deliravit, propriisque verbis seipsum implicuit hac in re Lutherus (*), neque eius errorem emendarunt (quod ego viderim) sui ipsius coniurati: qui cum dixerit, ad spiritum esse recurrendum in difficultatibus scripturae: modo sentit hunc spiritum esse privatum ex parte finis, hoc est ad salutem homini necessarium, sine quo nullam facit spem salutis Christiano: modo videtur alium spiritum assignare, qui plenitudine et redundantia sui internam quandam (quam ipse docet) claritatem huiusmodi spiritum habenti tribuat, qua de omnibus dogmatibus fidei et scripturae obscuritate discernere possit. Assignans rursus aliam externam claritatem, quam concionatoribus et communiter docentibus tribuit, utramque sibi arrogans libro de servo arbitrio. Ubi supercilio plusquam trasonico superbe gloriatus est nihil se in scriptura ignorare: ubi vero dicit spiritum hunc necessarium ad salutem, et ad ipsum impetrandum omnes invitat, de spiritu omnibus communi, ad privatam tamen salutem dato, videtur loqui. Cum autem facit ipsum tam redundantem, ut per eius internam claritatem, de omni dogmate possit iudicare, de dono spiritus paucis obvio sermonem facere videtur;

ac

(a) Lutheri confusio.

ac proinde Cimmerias quasdam tenebras nobis effundit hic falsus. Nonnulla verba eius teneo memoria, quae ex scriptis ipsius male olim feriatu excerpseri, loci non sum memor, bona tamen fide recitabo, prout intelliget, qui phrasin hominis hiulcam et concisam noverit, et in eius doctrinam bonas horas male collocaverit. Est ergo illius τὸ το παραδοξότατον. Qui spiritum (inquit) habet, ei nihil est obscurum; qui non habet, nec iota quidem unum intelligit. Nil medium est: quisquis igitur profitetur se dubitare aliquid in scripturis, aut spiritum habet, et mentitur esse obscuritatem, cum nulla sit: aut non habet, et ne iota quidem unum intelligit, haec Luther. Obnixè te etiam atque etiam rogo, lector candidissime, ut conferas haec verba cum aliis, quae nugator iste magnificus in praelectione super Psalmos dixit (a): *Nolim ab ullo id de me praesumi, quod nullus adhuc praestare potuit sanctissimorum et doctissimorum: id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere et docere. Satis est aliquos et eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reservavit spiritus, quos nos semper discipulos habeat. Ubi manifeste sibi contradicit, et veluti furiosus in seipsum gladium vibrat. Omissa tamen patenti contradictione, primum eius locum expendamus, ipsumque de manifesta falsitate coarguamus; nam locus alter plane adstipulatur nostrae sententiae.*

Primo absolutum illud de omnibus dogmatibus et scripturis spirituale iudicium non puto alicui homini pro isto statu de communi lege possibile. Nam si qui de spiritualibus iudicant (Paullo teste) necesse est eos spirituales esse, qui iudicant inquam claritate illa interna; ergo qui sine mensura et termino de dogmatibus, et de scripturae locis interno lumine potens est discernere, in magna plenitudine oportet Spiritum Sanctum ha-

(a) Luther in Praelect. super Psalm.

bere, et quasi sine mensura et termino, quod de communi lege viatoribus minime potest obvenire. Cuius rei praeclarum nobis venerabilis et pervetustus auctor Irenaeus testimonium exhibet (a): *Nos adhuc in terra conversantes, nondum assidentes throno Dei, et si spiritus salvatoris scrutatur omnia et altitudines Dei, sed quantum ad nos, divisiones ministeriorum, et operationum sunt. Et nos super terram ex parte cognoscimus, et de universis quaestionibus concedere oportet ei, qui ex parte nobis praestat gratiam: magnumque periculum est nihil Deo remittere, cum ex parte cognoscamus. Hoc enim est pugnare cum datore gratiarum.* Aperte retundit hic bonus pater istius insani eiusque sequacium superbam audaciam, qua falso putant nihil de scripturarum mysteriis se posse latere: innumera enim pene sunt, quae in quaestionibus fidei et scripturae difficultatibus se offerre possunt rimanda et intelligenda. Spiritum autem habere in tanta plenitudine, quomodo concedet, qui dicit homines non posse non peccare: nec facere ut non sit concupiscentiae carnalis motus, quos vera peccata esse dicit? Hic ego te appello perfide Luther (*); non curo tuas frigiditas distinctiones, quas in aliis magno naso suspendis; ad tuam assertionem me converto: si quis spiritum habeat sine quo Deo placere quisquam minime potest, nihil obscurum habet in dogmatibus et scriptura, sed omnia illi patent: rursusque qui illo caret, ne iota quidem unum intelligit. Quaero iam abs te, an spiritus iste amitti possit per peccatum, an est omnino inamissibilis? Si per culpam amitti potest, edissere nobis (per tuos manes) an communi culpa vel crimine voluntatis amitti possit, an per errorem pertinacem intellectus? Si per peccatum commune dixeris: sequitur quod ubi primum doctissimus aliquis in scripturis committit aliquod crimen, repente fit de doctissimo

igno-

(a) Iren. Lib. II. cap. 49.

(*) Confutatio Lutheri.

ignorantissimus : quod quam sit absurdum , ipse videris. Item si tantum pugnat cum peccato ista spiritus redundantia , sequitur eam ad salutem hominis esse simpliciter necessariam. At novimus in Ecclesia Dei permultos homines sanctissimos , qui in rudi quadam et sancta simplicitate , quae sola sibi prodest , in fide Ecclesiae praesentem vitam transegerunt , et Deo placuerunt absque illa intelligentiae interna claritate : de quibus D. Augustinus cum famam illius magni Antonii et aliorum similium , qui potius vitam angelorum , quam hominum in desertis agebant , audivisset , in verba admirationis prorumpens , dixit : *Surgunt indocti , et rapiunt coelos : et nos cum nostra scientia demergimur in infernum.* Non ergo per donum istud intelligentiae sancti Deo placent , nec per carentiam eius Deo displicent. Sin vero dicas per culpam erroris hunc spiritum duntaxat amitti posse : tunc Nicolaus ille Apostolorum Diaconus , et Carolstadius quem tu olim *μυροθῆξιον* Spiritus Sancti , cum a te non dissentiret , appellabas , ex lumine intelligentiae , quod huic tu falso tribuebas , subito ut ab Ecclesia defecerunt , facti sunt talpa caeciores. Nam per te sine ista interna spiritus intelligentia , neque iota unum potest intelligi. Adde quia si manere potest donum istud internae claritatis in criminoso homine , et qui in affectu existit peccandi , iam animalis et diabolicus homo de omnibus spiritualibus posset iudicare ; quod Paullus expresse negat (a). Inamissibilem autem istum spiritum propter hanc eandem rationem , scio non affirmabis : nam cum iusti possent a lege praevaricari , imo in omni actu bono , iuxta sententiam (scilicet) tuam peccent , ac subinde in carnales et animales homines per malam vitam prorsus transmutari , fieri queat , ut homines perditissimi illa interna spiritus claritate , qua semper vigent , omnia divina et spi-

ri-

(a) Apost. I. Corinth. II. 14.

ritualia dogmata scrutarentur et intelligerent: quod Paullus iterum non admittit. Praeterea cum tu in principio coepisti delirare, et in sanctos et in religionem apostolicam debacchari, quo spiritu ducebaris, o perniciose, sancto ne an falso? Si sancto, quo modo tantopere inconstans fuisti, ut fere in nulla sententia a te primitus adserta postmodum permaneres? neque erat inconstantia haec de rebus levibus: nam praeter ea, quae retulimus magni ponderis a te dogmata recantata, venerabilium sacramentorum numerum decem vicibus variasti: primum tria, deinde duo, tertio unum duntaxat esse affirmabas in pestifero illo tuo libello de captivitate Babylonica. Sin autem spiritu Apostasiae et superbiae tunc ducebaris, quo signo nobis persuadebis te Spiritum Sanctum postmodum accepisse, et ab eo quidquid postea effutisti mutuatum esse; maxime cum Spiritus iste Sanctus, modestos, humiles, constantes, a se rectos reddat, ac demum a superbis et furentibus hominibus fugiat? Te autem iniuriosum, furibundum, superbum, haereticorum cinerum suscitatore esse, et Protheo denique ipso mutabiliorem, nemo est qui ignoret, eorum qui doctrinam tuam vel extremis digitis tetigerunt. Rursus dic mihi, o bone, Augustinus quem tu tantopere et merito de lumine intelligentiae nonnumquam laudasti, habebat ne hanc interni spiritus claritatem, qua potuisset de omnibus spiritualibus dogmatibus iudicare, an non? si non habuit, quare illum in materia de gratia et libero arbitrio tantum admiraris, et mordicus in omnibus te illi adhaerere affirmas, et non potius plenarium spiritum istum tuum illi praeponis? sin vero habuit; quomodo multa dixit, quae postea retractavit, et in multis aliis locis scripturae haeret, ac veluti divinando suam sententiam profert? Quid dico divinando; imo multa se in scripturis nescire aperte et absque ullo fuce fatetur. Vis scire quo

in loco? In epistola ad Ianuarium, ubi ipsum acriter reprehendit, eo quod in epistola ad Augustinum directa eundem Augustinum nihil veritatis latere dixerat: super quo inconsiderato verbo, vide quam aegre tulerit falsam et immodicam laudem vir Dei (a): *Nihil in epistola tua legi tristius quod et apertissime falsum est; quia non solum in aliis innumerabilibus me latent, sed in scripturis multa plura nescio quam scio. Attende beati et exercitissimi hominis vocem vere Christianam, et hanc quidem serio, et sine ulla verborum paliatione prolatam, quae dogma tuum aperte praedicat esse mendacissimum. Non ergo de omni dogmate spirituali et scripturae difficultate lumen cognitionis habuit Augustinus: quippe cum quo in multis viri alii sanctissimi et doctissimi non consentiunt. I nunc tu, o haereticorum ambitiosissime, et tibi soli vendica scripturarum absolutam intelligentiam, quam vir acutissimus tanta sanctimonia praeditus, tanta doctrina praeclarus iure sibi denegavit. Sed ademit tibi hanc falsam gloriam fallax ille spiritus tuus; laus enim hypocritae ad instar puncti: nam quando Psalterium tanto cum applausu non multis a hinc annis praelegisses, internam hanc claritatem veritate compulsus per ipsum oris tui organum minime tibi convenire asseverasti, ut paullo ante ex tuis ipsius verbis deduximus: Cum tamen ante praelectionem illam perfricta fronte nihil te in divinis scripturis latere iactabas: omnesque, ut istud lumen in te experirentur, provocabas. O caput superbum, confusionis et maniae plenum. Vere dixit sapiens ille de te et tui similibus. Mentis instabilis verba inaequalia. Hoc solum testimonium sufficere posset Germanis, qui hoc portentum hominum admirantur, quo manifesto deprehendant perditum hominis ingenium et vesanam mentem. Quid enim amplius fecerunt Montanus et Maximilla,*

va-

(a) August. ad Ianuar. Epist. CXVIII.

vasa olim Satanae (*), quam sibi supra omnes sanctos Domini arrogare cognitionem mysteriorum Dei; et Spiritus Sancti lumen sibi prae aliis omnibus vendicare? Scio me nunc canem mortuum insequi, et cum larva pestilenti pugnare; sed cuius nomen et doctrina penes multos seductos, proh dolor, hodie et vivit et habetur in pretio. Iam vero dicant mihi huius instituti sectatores, qui spiritu privato omnia in fide dubia et controversa in Ecclesia posse definiri asserunt; spiritus iste est ne obvius omnibus, an non? si omnibus est obvius, cum credibile sit, Oecolampadium, Zwinglium, Carolstadium, et ipsum Lutherum hunc instanter petiisse a Deo, id quod et Lutherus in responsione ad Erasmus affirmat: quomodo in eis et per eos docet tam diversa et contraria in expositione sacrae scripturae, et quidem super rebus tam magni momenti? *Quae enim de sursum est sapientia*, ut Iacobus ait (a), *primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens*. Quibus iam potissimum credet Ecclesia, in quaestionibus de fide Catholica necessario habenda? cum omnes dicant se petiisse a Deo diligenter, et per Spiritum Sanctum se tenere intelligentiam scripturae. Quem si non putant se habere (*), ut non ostendunt, qua fronte divinorum intelligentiam, supra omnes sanctos sibi arrogant, et populos, ut se sequantur invitant superbi et vani homines? Rursus si obvius est omnibus, quare non etiam sanctis doctoribus, quos constat quotidianis orationis exercitiis hunc spiritum a Deo petiisse, et in disciplinis feliciter versatos magna vitae sanctimonia Deo placuisse, et miraculorum claritate mundo stupori fuisse? Quem si habuerunt (ut credere par est) quomodo-

(*) Luther. similis Montano et Maximillae.

(a) Iacob. III. 17.

(*) Quod Lutherani Christi spiritum non habeant in his quae docent.

modo isti novatores contradicunt illis fere in omnibus, quae docent? Certe si idem esset utrobique spiritus, cum non sit Deus dissensionis, sed pacis, omnes in his quae ad fidem attinent, id ipsum sentire debuissent. Quare necesse est, ut alter istorum sit mendax spiritus, vel horum novorum dogmatistarum, vel sanctorum doctorum. Quod si pro sua impudentia veritatis adversarii sibi tribuant spiritum veritatis; quomodo sciet Ecclesia illos verum dicere, cum in eis nec micam spiritus Christi videat, nulla miracula, nullam vitae sanctimoniam, nullum mundalium rerum contemptum, nullam modestiam, nullam humilitatem, nullam denique cum Ecclesia sanctorum communionem? quin potius ab omnibus antiquis Patribus, et veteri et Apostolica Ecclesia manibus et pedibus dissentiant. Nunquid iudicabit hoc per sacram Scripturam? minime gentium. Nam ad ipsius declarationem positus est hic spiritus. Et nisi vellent isti circulatores circulari, non restat certe aliud eis, quo probent sua dogmata vera esse, nisi quia sic eis videtur; cum aliis multo pluribus et sanctioribus, et doctioribus, et antiquioribus oppositum videatur: optimus certe modus definiendi fidei controversias. Dicunt: sufficit nobis praedicare veritatem, quae malis et corruptis moribus in Ecclesia sepulta est; non egemus alia approbatione, neque enim aliud e suggestu et in scriptis nostris tonamus quam Christum, Paullum et Evangelium, quod solum cupimus regnare, explosis prorsus inanibus hominum commentis. Audio voces evangelicas, sed ad decipiendum simplices paratas. Commune est omnibus nefariis hominibus, qui sub religionis specie praeter ceteris ambiunt sibi nomen aliquod comparare, perniciosis doctrinis populos seducendo, saepissime Christum in suis scriptis et concionibus inculcare, sacrasque scripturas dextre et sinistre citare, et magnos denique titulos sibi arrogare. Fuerunt in Ec-

clesia haeretici, qui se apostolicos dixerunt; alii, qui a mundicie sese *καταεῖς* vocarunt: alii oratores, ab orationis exercitio: quos Ecclesia a suo gremio merito reiecit; et scriptores Apostolici et pervetusti in suis libris insectati sunt. Una haec iam pestis deerat nobis, quae Ecclesiam sub falso evangelii titulo vexaret, et a se infectos Evangelistas diceret: his eulogiis illinit Sathanas vasa sua, quibus rudibus et carnalibus hominibus mortiferum venenum propinet. Quae etsi vera essent (ut isti falso affirmant) adhuc non sufficerent ad cogendum fideles, ut in fidei controversiis illis acquiescerent. At quid dico sufficerent? cum sacratissimi Pauli Apostoli auctoritas, ut in initio praedicationis eius veritas ab omnibus reciperetur, visa fuerit non sufficere. Quippe qui non contentus spiritu quo Deus ipsum signaverat, et aperte vocaverat vas electionis ab eo factus, et quadamtenus declaratus, qui coelos mente penetraverat, ibique arcana multa, quae non licet homini loqui, a Deo didicerat, Hierosolymas post XIII. annos ab incepta praedicatione sua ad Apostolos et seniores descendit, non proprio arbitratu, sed secundum ipsius spiritus revelationem, quemadmodum ipse dicit in epistola ad Galatas, ut cum eis conferret Evangelium et doctrinam, quam praedicabat. Cuius ascensus causam ipsemet Apostolus non tacet (a): *Ne forte in vanum currerem aut cucurrissem.* Quae verba tractans Beatus Hieronymus in hunc modum enarrat (b): *Ostendit Apostolus se non habuisse securitatem Evangelii praedicandi, nisi Petri, et eorum qui cum eo erant fuisset sententia roboratum.* Sed et Tertullianus (c) non aliter eum Apostoli ascensum exponit, dicit enim: *Propterea Paullus Hierosolymam ascendit ad cognoscendos Apostolos et consulendos, ne forte in vanum*

(a) Galat. II. 2.

(b) Hieron. Epist. XII. ad August.

(c) Tertull. Lib. III. adv. Marcion.

cucurrisset, id est, ne non secundum illos credidisset, et evangelizasset. Hoc idem etiam affirmat Theophilus ille Alexandrinus patriarcha, secundo libro de paschate, ubi non alia de causa Origenem spiritu superbiae agitatum fuisse praedicat, quam quod non contulerit fidem suam cum maioribus et prioribus, uti (inquit) fecit Paullus Apostolus (a); ut videas quanti fecerit vas electionis publicum et commune Ecclesiae magisterium, cuius doctrinae veritate per communem Ecclesiae spiritum cognita explorataque (agnoscit enim Spiritus Sanctus quod suum est, qui scrutatur omnia etiam profunda Dei) dexteris societatis illi dederunt Apostolorum primarii, ut Paullus ipse et Barnabas ingentes, illi vero in circumcisionem Evangelium praedicarent. Id ipsum proculdubio fieret nunc ab Ecclesiae spiritu, qui semper idem est, qui in principio fuit, si vera essent, quae isti novatores praedicarunt. Nam eo ipso quod ad fidem attinent dogmata quae disseminant, iudicari possent atque cognosci a publico et communi Ecclesiae spiritu. At praedicarunt isti fere per triginta annos, non curantes multum de Ecclesiae consensu, imo ipsum superba mente posthabuerunt, qui tamen vix agniti sunt a sua provincia, exceptis nonnullis, quibus suasit avaritia, et carnalis libertas, atroxque in Ecclesiasticos odium, quod Apostoli isti numquam non inculcant. Repugnat illis bona pars Germaniae, Italia, Hungaria, Polonia, Graecia, Hispania, et denique totus orbis. In quo (exceptis Monachis, Pontificibus, et Ecclesiae maioribus, quos isti putant in se male animatos esse) multi, et pene innumeri sunt viri pii, doctissimi, exercitatissimi, qui orationi nunquam non instant, et quibus magnopere displicent Ecclesiae abusus, et mala vita multorum, qui cupiunt veram doctrinam simul cum morum probitate et sim-

(a) Theophil. loc. cit.

plicitate in Ecclesia regnare: qui tamen a doctrina istorum, scripto, verbo et opere longo intervallo distant. Sunt item fideles alii multi, simplices et recti corde, qui hanc discessionis doctrinam novam legerunt et audiverunt, quae nihilo tamen magis eos movit, quam si aniles quasdam fabulas legissent aut audivissent; tantum abest ut tanquam spiritualem doctrinam agnoscant eam et complectantur. Orant certe hi pro se et aliis, quatenus a Deo ducantur, et illuminentur, et in viam pacis dirigantur: tenentes fidem, charitati sedulo studentes, pacem et unitatem amantes, idipsum dicentes omnes: a quibus quis dicet abesse spiritus unctionem, quo possint subodorari veram hanc doctrinam spiritualem esse, si ipsa vere spiritualis esset? At cum eam non agnoscant, imo execrentur eorum spiritus, manifestum est doctrinam istam novam non spiritualem, sed carnalem et diabolicam esse. Haec si claris intelligentiae oculis, animi prius superbia deposita, Ecclesiae adversarii animadvertissent, facile credo resipiscerent. Nec dicere auderent totum orbem male caecutire, seque ipsos solos sapere, et intelligere, volentes ab omnibus credi absque ulla spiritus demonstratione: in tantum ob id, quia ipsi dicunt, scilicet, id quod Deo soli praestandum est. Superbia certe criminosa et mille suppliciis digna. Si autem dicant istum spiritum non omnibus obvium esse, etiam si orationibus advocetur, exprimant nobis, quibus patet et quibus non, et quomodo ipsis fuit obvius, et aliis orantibus et obnixe petentibus viris sanctissimis et doctissimis, et toto orbe celebratissimis, verique apostolicis denegatus, et quas etiam ob causas. Insuper ostendant nobis signa aliqua manifesta, sibi solis convenire, ut controversiae fidei finiantur, et intelligentiae scripturae, quam ipsi dant, tota Ecclesia acquiescat. Quod si absque signo aliquo dicant nos debere illis acquiescere, tunc aequa cuilibet etiam

spiritui phanatico, qui scripturam habeat in labris, et religionis statum mutare vellet, esset statim credendum. At Paullus docet (a), quod etsi angelus de coelo aliud Evangelium, quam quod accepimus evangelizaverit, sit nobis anathema. Habemus etiam doctrinam de coelo, Domini Christi Iesu, qua docemur non credendum esse omnibus, qui dicunt hinc aut illinc esse Christum, Genevae, vel Argentinae, vel Wittembergae. Sunt exempla non rara in Ecclesia haereticorum hominum, qui de isto spiritu plenis buccis se iactarunt. Cerinthus enim per revelationem Dei et angelorum dicebat se habere doctrinam, quam contra Apostolicas Traditiones praedicabat. Simon Samaraeus, Dei virtutem se esse dicebat. Maximilla et Montanus affirmarunt in se solis adimpletas fuisse promissiones Christi de Spiritu S. longe redundantius quam in Apostolis; quod et signis adhuc visibilibus nitebantur ostendere, homines carnales et perditissimi, et quibus nulli forsitan in Ecclesia extiterunt pestilentiores. Sprevit tamen merito illos Ecclesiae spiritus tamquam blasphemos, attonitos et vanos haereticos.

Ad haec cum per orationem spiritus iste attrahi debeat et advocari, atque ad orationis efficaciam non sufficiat quaelibet humilitas, nec qualiscumque frigida fiducia; sed firma et perseverans assiduitas: *Petit is enim*, dicit Iacobus (b), *et non accipitis, eo quod male petatis*. Ubi satis clare notat Apostolus, posse esse defectum in oratione, non modo circa res quae petuntur, sed etiam in modo petendi: propter quod commendat ibidem fidem orationis in nullo haesitantem. Quis ergo haec tam exacte praestabit, ut donum quod petit, se consecutum fuisse cognoscat: Esto quod ipse sentiat se consecutum: unde hoc aliis constabit, si revelatione aliqua, vel instinctu Spiritus Sancti, aut signo aliquo visibili atque veraci non constat? An quia ipse hoc affirmat, sta-

tim

(a) Ad Galat. I. 8.

(b) Iacobi IV. 3.

tim in re tam gravi credendum est? Hoc plane temerarium, et a communi hominum sensu remotum videtur. Accedit ad haec, quod nulla extat in scriptura promissio privato homini facta, de spiritu intelligentiae, et dubiorum fidei reseratione, etiamsi a Deo petat: quare non tenemur credere, nec indubitato illi acquiescere in religionis dissidiis, nisi forte cum communi sensu Ecclesiae consonuerit, atque ab ea probatus fuerit.

In summa, omnis spiritus privatus, Ecclesiae minime manifestus, vel haereticus est, si contra Ecclesiam doceat: aut suspectus, si novitates aliquas, praeter ea, quae tradita sunt, introducit, vel si recta docet, eo quod absconditus est, non sufficit ad hoc, ut illi veluti divino oraculo, in dubiis fideles acquiescant: nec tenentur ei firmiter credere, nisi patenter probet quod vel affirmat vel negat Scriptura vel Apostolica Traditione consensu Sanctorum vel Ecclesiae firmata. Adde quod licet aliquibus signis et quasi portentis ostenderit, et manifestum quodammodo se fecerit, in re gravissima (ut est fidei negotium) non est statim leviter ei credendum. *Nolite*, inquit Ioannes (a), *omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint*, eo quod multoties Satanas transfiguratur se in angelum lucis. Pulsandus est orationibus Deus, et omnia remedia tentanda sunt; priusquam nos spiritui privato credamus. Ita ut quando receperimus eius iudicium, non eum iam pro privato, sed pro communi et publico possit haberi. Et licet Episcopi a suis subditis in rebus dubiis sint sequendi, intelligi debet interim, quod aliud non patet, aut quando secundum communem Ecclesiae sensum docent. Quando vero e privato loquuntur capite, non tenentur fideles ei firmiter adhaerere, sed cum modestia et humilitate licebit a viris aliis doctis et catholicis veritatem inquirere, et de ea (si opus est) Episcopum reverenter

(a) I. Ioann. IV. v. 1.

ter admonere, et cum eo rem (veluti cum patre decet) agere.

Ex huius assertionis doctrina cum adiutorio praecedentis, emergit corollarium, haereticos cum in fidei dissensionibus ad scripturam provocant, tamquam ad ultimum remedium, minime audiendos nec admittendos esse. Carent utroque lumine, externo et interno. Externo, quia sensum Ecclesiae non recipiunt, et Sanctos Ecclesiae Patres atque Doctores, qui eas exposuere, superbe reiiciunt: Interno, quia carnales homines sunt, et plane animales, ad quos iuxta Paullum non pertinet de spiritualibus iudicium. Quamvis enim nullum aliud crimen haberent praeter haeresim et apostasiam, operarii carnis sunt, in eo quod sectarii sunt. *Manifesta*, inquit Apostolus (a), *sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae.* Nihil ergo ad illos pertinebit iudicium de spiritualibus dogmatibus. Item quia Scriptura divina possessio propria Ecclesiae est (ad eius utilitatem data) et membris eius conscripta, et a Doctore Ecclesiae Iesu Christi spiritu est dictata, extra quam schismatici (velint nolint) sunt, cum ab illa sponte sua exierint, et cum illa non colligant, imo extra eam pernitiouse dispergant, seipsos segregantes, animales homines spiritum non habentes. Nec potest magis ad eos pertinere, quam ad Iudaeos vel Saracenos, cum quibus nihil habet commercii Christiana religio: literas solas tenent, et sensu eius prorsus carent. Unde D. Hieronymus exponens illud Canticorum: *En ipse stat post parietem nostrum: Post parietem*, inquit (b), *latet verbum in scriptura; quod non intelligit anima, nisi intra parietes Ecclesiae posita, et charitate vestita.* Isidorus autem aliquid amplius addit, propter quod haeretici ad provocationem scripturae admitti non

de-

(a) Ad Galat. V. 19. et 20.

(b) Hieron. Comm. in Cant. loc. cit.

debent, non ob id solum, quod lumine interno careant, sed quod eam sinistra intentione corrumpant: *Scripturas*, inquit (a), *haeretici sano sensu non sapiunt, sed eas ad errorem pravae intelligentiae ducunt, neque semetipsos earum sensibus subdunt; imo eas perverse ad errorem proprium pertrahunt.* Adde quod ad nihil aliud valet huiusmodi collatio, quam ad subversionem simplicium fidelium, qui audiunt; qui cum videant res fidei in dubium vocari, nutant, et infirmiores redduntur, vel ad maiores suscitandas traegedias, vel ad odia confirmanda. Nemo haeticorum per scripturam solam unquam fuit conversus, neque convictus; quia omnis haeticus semper putat scripturam habere pro se, unica distinctione eludunt scripturae locos, etsi luce ipsa sint clariores: dicentes sic vel sic intelligitur, pro suo captu et lubitu, vel non; sic habet alia translatio; accipitur res pro signo; et frigida quaedam alia comminiscuntur, quibus eludant, quae sibi obiiciuntur. Quod abunde vidimus, et quotidie visum est in colloctionibus publicis et particularibus, cum iis qui erroribus iam adhaeserunt. Idcirco D. Paullus, cum de negotio haeticici, qualiter cum illo agi debet, suum Titum admoneret, non ut cum illo disputaret, tamquam ultimum remedium posuit; sed ut post unam aut alteram correptionem devitaret (b). *Sciens* (inquit) *quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Quae verba tractans Tertullianus idem omnino asserit quod nos affirmamus: *Cum haeticis*, inquit (c), *nil proficit congressio scripturarum, nisi plane ad stomachum movendum, aut cerebrum male agitandum. Quis enim dubitat haeticum non vere recipere scripturas, quantumvis sibi gloriatur, nisi suis adiectionibus, aut detractionibus ad instituti sui normam intervertentem? Quid promove-*
bit

(a) Isidorus Libr. III. de Summ. Bono.

(b) Apost. Ad Tit. III. 11.

(c) Tertul. Com. in verb. cit. ad Tit.

bit vel exercitatissimus in scripturis , si quid cum eis agens defenderit, aut ex adverso negaverit , ipso haeretico , vel impugnante defensum, vel defendente impugnatum ? Ventum est ad scripturas , ille dicit se abundare suo sensu , intervertit eas , et prava intelligentia defendit , actum ergo est de disputatione , et nihil conclusum : nihil ergo consequitur , nisi iurgiosa contentio , aut vilis laus de blasphemia , et ut illi qui adstant magis dubii evadant , cum videant te nihil promovisse. Haec Tertullianus ; qui tam clare ista discernit , ut aliis verbis opus non sit pro nostrae doctrinae et veritatis fulcimento , quod de disputatione publica coram simplicibus et carnalibus hominibus intelligendum est , et per quam resolutio ultima in dubiis expectetur ex scripturarum cum haeticis collatione. Hoc idem consilium venerabilis Sisinius (ut refert Socrates) vir sapientissimus, magno Theodosio dedit , super compositione dissidiorum fidei ab eo consultus , quae illo tempore Ecclesiam orientis urgebant: Disputatio (inquit) non solum schismata non unit , sed et haereses et contentiones maiores adducit ; ideoque consuluit , ut Imperator disputationes et contentiones fugeret , et testimonia ex Traditione veterum adhiberet in conclusione rerum fidei. Quantumvis ergo homo contumaciter errans , de linguarum cognitione, et de aliis humanis adminiculis , quae videntur requisita ad cognitionem sensus scripturae gloriatur , Grammaticam solam tenet, literas solas mortuas novit, non potest in huiusmodi dubiis , cum per se , contemptis maioribus viris apostolicis , vult sapere , nisi satanice theologizare. Qua in re idem Tertullianus in eodem libro catholicum satis adversus Ecclesiae desertores dat iudicium: *Dispici* , inquit (a) , *debet cui competat possessio scripturarum , ne is admittatur ad eam , cui nullo modo competit.* Et paullo post, loquens de Marcionitis, qui de scripturae sensu vanis vocibus gloriabantur,

(a) Ternul. loc. cit.

ad eam provocantes, ait: *Non sunt admittendi haeretici ad scripturarum provocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere: si enim haeretici sunt, Christiani esse non possunt: Et si non sunt Christiani, nullum ius capiunt Christianarum litterarum.* Hoc sentiebat ille Apostolis proximus, cum seculi sui Ecclesia. Est ergo ad aliud magisterium in huiusmodi discriminibus confugiendum.

ASSERTIO QUINTA.

Quando de intellectu scripturae super rebus gravibus ad religionem pertinentibus acriter controvertitur, nec eadem scriptura fidei quaestiones definiiri valent, ad Spiritus Sancti publicum magisterium in Traditionibus Apostolicis et sensu Ecclesiae contentum necessario est habendus recursus, tamquam ad certissimum remedium et tutissimum asyllum.

PER Ecclesiam obiter hic intelligo (ne nobis obstrepant cum de hoc nomine falso gloriantur adversarii) fidelium in Christo credentium congregationem, in unitate fidei permanentem: non ut isti sunt in varias sectas super rebus fidei gravissimis male divisi, sed idipsum dicentes omnes in una fide sub uno Christo et in uno Baptismate, sicut Paullus docet.

Congregationem (inquam) visibilem, manifestam, quae a quolibet qui fratrem inordinate ambulanti velit corrigere, facile iuxta Christi praescriptum (a) inveniri possit: non spiritualem vel mathematicam, ex praedestinati aut charitate praediti tantum adunatam, veluti impius Wiclephus, Hussus et Lutherus male olim docuerunt, sed ex malis et bonis, dum in hoc mundo versatur, coaptatam, sicut olim in arca Noe erant animalia munda et immunda, et sagena illa evangelica, quae continebat tam bonos pisces quam malos: quod Cyprianus et Au-

gu-

(a) Matth. XVIII. 17.

gustinus de fide ad Petrum, et Gregorius super Mattheum, et alii Sancti docuerunt.

Catholicam seu universalem per totum mundum dispersam, non ad angulos haereticorum et malignantium conventicula contractam (a), iuxta Esaiae et Psalmi II. vaticinium, et prout in symbolo Nicaeno et Constantinopolitano dicitur. Quae a Christo capite suo non divellitur, sed semper illi adhaeret, et inseparabili glutino spiritus veluti legitima sponsa copulatur, ut ex Osea et Paulo habetur (b); cui dictum et promissum est ab eo qui fallere nequit, sponso eius Christo (c): *Vobiscum sum usque ad consummationem seculi*: non quae heri coepit cum Luthero, aut Hussio, vel aliis apostatis.

Quae apostolica est, hoc est, non solum quod doctrinam apostolicam tenet, de qua re quaelibet schismatica congregatio (quantumvis falso) gloriatur et gloriata est, sed quae omnem apostolicam doctrinam, tam scripturis contentam, quam Traditionibus sanctis commendatam ab Apostolis tenet, prout Paullus iubet (d); et quae succedit iisdem dogmatibus, iisdem Sacramentis, eadem Episcoporum et Ecclesiarum serie, Ecclesiae illi quae sub Apostolis et eorum discipulis aliisque Apostolicis Patribus a Deo plantata est, prout docent Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus, et D. Augustinus et multi alii ut iam iam videbimus: in qua florere Martyres, vixerunt sanctissimi Confessores, triumpharunt sacrae Virgines, in qua gloriabantur se esse sanctissimi Doctores, et sunt et fuerunt omnia munera gratiarum, graduum, officiorum atque donorum, quae Spiritus Sanctus impartitur prout vult. Non eam ubi omnes coniugati, omnes Episco-

(a) Esai. LIV. 17. et Psal. II. 8.

(c) Matth. XXVIII. 20.

(b) Ose. II. 19. et II. Corinth. XII. 13. et ad Ephes. I. 22. et cap. IV. et V.

(d) Apost. II. Thessal. II. 14.

pi, omnes Sacerdotes, omnis ipsa plebs; ubi nullus ordo, sed ipsissima confusio; quae nullos vel paucos a suis primordiis signare potest, antecessores, et hi quidem (quos signare potest) Schismatici, et ab Ecclesia exclusi, vel prorsus occulti, fidelibusque minime cogniti. Siquidem hae sunt verae Ecclesiae notae, quae reddunt illam adeo perspicuam et manifestam, ut quilibet ad eam possit in dubiis recurrere, et ab illa lumen intelligentiae mutuari: nam notae illae quas haeretici suis synagogis falso solent adscribere, ut puta, habere Christi doctrinam et hanc puram, Sacramenta et rectum eorum usum, quamquam Ecclesiae propriae sint, non sunt tamen adeo clarae, et sufficientes ad veram Ecclesiam demonstrandam, ut per eas possit nec exercitatissimus veram Ecclesiam ab adulterinis conventiculis, quae has notas sibi tribuunt, discernere. Nam Donatistae olim, Sacramentarii, Lutherani, Anabaptistae, et pestes aliae, quae unitatem fidei minime inter se servant, sed magnis in rebus atrociter dissentiunt, notas has omnes, ex aequo sibi arrogarunt, volens unaquaque istarum factionum his confusis notis Ecclesiam ad se trahere; cum una et indivisa, universalis et apostolica debeat esse Ecclesia. Haec de vera ratione Ecclesiae sic perfunctorie dicta, bene consulat pius lector, quia non est praesentis instituti tam latum et magnificentum argumentum tractare, satis est (quod ad nostrae assertionis dilucidationem facit) haec vel tenui calamo perstrinxisse.

Huic ergo Ecclesiae, praeter alias pretiosissimas dotes, quibus Christus verus Deus et sponsus eius sua magnificentia eam dotavit, factae sunt etiam magnificae et absque ulla conditione promissiones de doctrina spirituali fidei et sensu eius per Spiritus Sancti magisterium, qui non ad horam tantum vel per intervalla temporum, sed a die desponsationis suae perpetuo et successione continua usque ad finem seculi ei assistit. Afferamus ex di-

vinis oraculis et Sanctorum testimoniis, selectiora quaedam, ne flumen tam immensum sicco pede tentemus traicere. Psalmus LXXXVIII. qui statum veri Messiae Redemptoris nostri et Ecclesiae eius ad literam describit, hanc Dei habet ad membra Ecclesiae pollicitationem (a): *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die, quoniam gloria virtutis eorum tu es, quia domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri. Si autem (inquit Deus) dereliquerint filii eius legem meam, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo; neque nocebo in veritate mea.* Ubi adest luminis intelligentiae et misericordiae divinae ad Ecclesiam repromissio a bona aut mala vita minime dependens. Esaias quoque (b) post multa quae de Ecclesiae statu futuro praedixit, teste Paulo in epistola ad Galatas, qui de hac Ecclesia Christi in sensu literali hoc intelligit, ait: *Montes commovebuntur, et colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet a te, et foedus pacis meae non movebitur, dixit miserator tuus Dominus.* En foedus unionis et pacis Ecclesiae cum Deo sponso suo. Et infra (c): *Omne vas quod factum est contra te, non dirigetur, et omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis. Haec est haereditas servorum Domini, et iustitia eorum apud me.* Iam hic habes iudicii auctoritatem, et magisterium in Dei Ecclesia adversus omnes impugnatores veritatis, et quotquot obdurato animo illi repugnant. Rursus (d) cum hac eadem Ecclesia et membris eius loquens, hoc modo paciscitur Deus benedictus: *Hoc foedus meum cum eis, spiritus meus qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, a modo usque in sempiternum.* Adest iam clarum divinae doctrinae

ma-

(a) Psal. LXXXVIII. a v. 17.

(c) Ibid. v. 17.

(b) Esaias LIV. 10.

(d) Ibid. LIX. 21.

magisterium ab Ecclesia numquam defuturum, sed iugi et minime interrupto tenore duraturum. Est etiam clarum Oseae vaticinium, et perpetuorum sponsaliorum cum eadem divina pactio, quam idem Apostolus in literali sensu de vera Ecclesia intelligit (a): *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus, et sponsabo te mihi in fide.* Ubi vides iudicii, iustitiae et misericordiae et fidei perpetuae promissionem, quae numquam deerit. Perpetuae igitur illius sunt dotes, Spiritus Sancti magisterium, iudicium, iustitia, fides atque auctoritas. Bonus enim sponsus et liberalis omnia suae dilectae sponsae communicat, quorum scit sponsam suam necesse habere, et quibus possit et nobilitari et condecorari. Eget autem permaxime lumine intelligentiae et auctoritate erga scripturam et sensum eius. Nam cum necesse sit, ut in ea sint scandala, et oporteat in ea haereses suscitari, ut qui probati sunt, manifesti fiant, opus habet ut imperfectos perficiat, simplices imbuat, haereses coarguat, et proficientes ad finem destinatum deducat huiusmodi lumine et auctoritate. Ob idque Christus eius sponsus rediturus ex hoc mundo ad Patrem, ne destituta et desolata maneret, non solum Apostolis, quos brevi sciebat obituros, sed successioni eorum Spiritus Sancti magisterium promittit in ea perpetuo permansurum. *Rogavi, inquit (b), Patrem meum, et alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in aeternum.* Post vero (c): *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Capite etiam XVI. (d) *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis.* Pro

qua

(a) Oseae II. 19.

(b) Ioan. XIV. 16.

(c) v. 26.

(d) Id. XVI. 13.

qua re oravit idem sponsus ad Patrem, non pro Apostolis tantum, sed pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, quatenus in unitate manerent, et numquam a veritate separarentur. Unde Tertullianus (a) versans illud II. Cor. IV. *Habentes eundem spiritum fidei*, ait: *Unus ergo et idem spiritus, qui in Prophetis et in Apostolis fuit, nisi quia ibi ad momentum, hic ut semper maneret: ibi mediocriter distributus, hic totus effusus: ibi parce dat, hic large: nec tamen ante resurrectionem Domini exhibitus, sed post resurrectionem Christi contributus. Rogabo (inquit) Patrem* Et non multo post, postquam mirabiles Spiritus Sancti effectus posuit, subiunxit (*): *Hic est qui Prophetas in Ecclesia constituit, magistros erudit, linguas dirigit, virtutes et sanitates facit, opera mirabilia gerit, discretionem spirituum porrigit, gubernationes contribuit, consilia suggerit, et quaecumque sunt alia charismatum dona, componit. Et ideo Ecclesiam Domini undique in omnibus perfectam et consummatam facit. Quamobrem pervetustus hic Doctor cum aliis antiquitate fere paribus, et sanctitate maioribus, ad eam veluti ad fontem vivum aquarum redundantissimum confugiendum docet, libro de Praescriptione Haereticorum, dicens: Illic est veritas scripturarum, ubi Apostoli praedicaverunt, et successores eorum docuerunt: et exponens ad quam normam examinari debeat doctrina, ad Ecclesiarum magisterium docet ibi recurrere: Quod praedicaverunt (inquit) Apostoli, et quod illis Christus revelavit, non aliter probari debet, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando, tam viva quad aiunt voce, quam per epistolas; et subinfert: Si haec ita sunt, constat perinde omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritate deputandam, et sine dubio tenendam,*

quam

(a) Tertullianus Libro de Trinitate.

(*) Effectus Spiritus Sancti in Ecclesia.

quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit: reliquam vero doctrinam de mendacio praeiudicandam. Infra vero (ne per Traditionem scripturam solam intelligeret calumniator) quid per Traditionem intelligat ipse aperte declarat: Traditionem, inquit (*), per vivam vocem doctrinae ecclesiasticae appellabat Apostolus depositum, quando dicebat Timotheo, o Timothee, depositum custodi. Et infra: Denuncio tibi ut custodiat praeceptum quod dedi tibi coram testibus. Hactenus Tertullianus clare hic amussim seu regulam inobliqualem, Ecclesiae sensum et magisterium a Spiritu Sancto Apostolis traditum constituit vetustissimus iste, qua possimus certi reddi in doctrinarum varietate, quaenam sit vera, quaeve adulterina: simul et unam ex notis praecipuis ecclesiastici conventus aperuit (*), quam ipse et alii post eum magis ac magis in sequentibus palam faciunt. Libro etiam adversus Marcionem disputans, quomodo Paullus in epistola ad Galatas non loquebatur de alio Deo quam de illo, de quo fit mentio in veteri Testamento, ait (a): Si Paullus illic sic disputaret, apparet in Paulo; quod si post adulterium veritas ipsa passa est, Apostolica Traditio nihil passa est in tempore suo circa Dei regulam, et non alia cognoscenda erit Traditio Apostolorum, quam quae hodie apud ipsorum Ecclesias creditur. Vides, ad Apostolicam et Ecclesiasticam doctrinam recurrit, tamquam ad medium necessarium tenendae veritatis: ne hoc solum licet in iis verbis intelligere, sed quod non sine magna Dei dispensatione praeter scripturam viva Traditio in Ecclesia remansit, ut si forte essent haeretici, qui scripturam dicerent esse corruptam, ut isti dicebant Paullum dumtaxat et Lucam, et hos truncatos recipientes, Traditione Apostolica possent convinci.

Item

(*) Depositum Paulli traditio.

(a) Tertullianus adversus Marcion.

(*) Nota praecipua verae Eccles.

Libr. I.

Item Irenaeus contra Valentinianos (a), cum ex scripturis male intellectis atque corruptis, perditissimas in Ecclesia disseminerent doctrinas, ad Ecclesiae sensum et magisterium, per Traditionem Apostolorum in eadem Ecclesia vigentem recurrit, non semel sed centies. Nec cum hoc agebat hic Apostolicus, putabat se in caducum parietem inclinare, sed fortissimo muro se tueri. Dicit enim Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia. Adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, et habemus commemorare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successoribus eorum usque ad nos, qui nihil tale agnoverunt, neque tradiderunt quale ab iis deliratur. Etenim si haec mysteria scissent Apostoli, qui seorsim ac latenter a reliquis, perfectos docebant, iis vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas Ecclesias committebant: valde enim perfectos in omnibus esse volebant, quos et successores relinquebant. Deinde recensens successores Apostolorum in sedibus Apostolicis maxime Ecclesiae Romanae, ad quam dicit propter eius principalitatem potissimum esse recurrendum, subiunxit: *Non oportet apud alios quaerere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositarium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sunt veritatis, ut omnis qui velit sumat ex ea potum vitae.* Quorsum putas quod iste divus et bonus pater recurrendum esse iubet ad successores Episcoporum et cathedras Apostolorum? nunquid ut scripturas mortuas ibi legerent, quarum omnes facile copiam habere poterant, et prae manibus tunc habebant? Ridiculum esset sane consilium istud, si suppetias quas ad manum unusquisque habet, apud alios longinquos atque remotos quaerere suadeatur, non ergo hoc volebat hic sanctus et apostolicus praesul, sed ob id ad Apostoli-

(a) Iren. adv. Valent.

cas Ecclesias fideles remittebat, ut sensu veritatis ab eis percepto, eo quasi aqua salutari potarentur, et spirituali cibo alerentur et satiarentur, et tandem a fidei disturbis, veluti divinis oraculis eruditi, quiescerent. Hic adverte obiter quod cum ad Apostolorum successores remittit, non dicit quod nihil tale legerunt in scriptura, quale a Valentinianis delirabatur, sed quod nihil tale agnoverunt, neque suis Ecclesiis tradiderunt; ita ut non sola scriptura fuerit illis antiquis Patribus regula informationis rerum fidei, sed cum Apostolorum et maiorum Traditione coniuncta, a quibus tamquam a verticibus, potissimum istud magisterium in membris Ecclesiae effluxit et acceptum est, simul inhibens, quemcumque fidelium, ne apud extraneos veritatem quaerat, nisi apud Ecclesiam catholicam et apostolicam, in qua velut in reposito divite, quidquid fidei est recondit Spiritus Sanctus. Sed pergit Irenaeus de eadem sancta Ecclesia loqui, nostramque veritatem magis ac magis patefacere: *Haec (inquit) est vitae introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones, propter quod oportet quidem devitare illos: quae autem sunt Ecclesiae, cum magna diligentia diligere, et apprehendere veritatis Traditionem.* Ecce Ecclesiam dicit vitae introitum, non ob aliud nisi quia ab ea oportet quaerere in re dubia cognitionem veritatis; et subiungit, assertionem nostram re et verbis confirmans: *Quid enim si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere, quod certum et liquidum est?* Bene habet, vir apostolice, satis clare docuisti nos pro fidei quaestionibus ad sensum Ecclesiarum, non navatorum, sed antiquorum Patrum, non ad privata conventicula, sed ad cathedras et successiones Apostolorum, in quas apostolici viri animarum praesides, continuo tenore successerunt: id quod paullo ante, cum

de notis verae Ecclesiae ageremus, inculcabamus: ad has (inquam) et merito iubes esse recurrendum, quibus saluberrima Christi et Apostolorum doctrina non solum data, verum et declarata est. Sed ostende iam, sancte pater, quales vires habeat apud filios Ecclesiae istud magisterium per Spiritum Sanctum ipsi Ecclesiae collatum, hoc enim deest nobis ut confirmes. *Quid autem (inquit) si neque Apostoli scripturam reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias: cui ordinationi assentiunt occulte gentes barbarorum, quae in Christo credunt sine caractere vel attramento, scriptam habentes per spiritum in cordibus salutem, et veterem Traditionem?* Igitur per te, o bone pater, tale est in Ecclesia magisterium, ut si scriptura nulla nobis esset tradita, per ipsum dirigeremur in viam salutis et agnitionem veritatis. Ergo ubi ipsa scriptura deest, vel quia in ea omnia non continentur, vel obscura est, sive propter nostram tarditatem, aut impugnatorum Ecclesiae pervicacitatem perplexa videtur super aliqua quaestione, idem nobis manet remedium, istudque unicum et inviolabile, apostolica scilicet per Spiritum Sanctum viva Traditio; quod enim in totum iuvat, etiam in partem poterit nobis adiumento esse. Quod autem in praesentiarum huic Divo sermo sit de Traditione, prout condistinguitur ab scriptura, ne locum habeat adversariorum calumnia, confundentium nomen Traditionis cum ipsa scriptura, ex iis quae verba ista antecedunt licebit sumere periculum. Habet enim (a) idem doctor hanc de haereticorum lubricitate querimoniam: *Cum ad scripturas provocamus eos, dicunt opus esse Traditione ad eius intelligentiam, quae per vivam vocem tradita est: cum autem ad eam iterum Traditionem quae est ab Apostolis, quae per successores Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, pro-*

(a) Iren. ubi supr. cap. 2.

vocamus eos , adversantur Traditioni , dicentes se non solum Presbyteris , sed Apostolis existere sapientiores , solosque indubitanter novisse mysteria. Ecce conveniebat Irenaeus cum Valentinianis in hoc, praeter scripturam scilicet opus esse Traditione , ac sensu Spiritus Sancti , ad quem adeundum esset in fidei quaestionibus , alias ab ipsa scriptura non provocasset ipsos Irenaeus ad Apostolicam Traditionem , quam suis verbis fatebantur , sed discrepabant , quod illi apud se aliam reconditiorem Traditionem (quam ecclesiastica esset) sibi arrogabant. Quod iterum ex primo huius D. libro constat , ubi praeter scripturam alia scientia alioque lumine egere fideles ad eam intelligendam affirmat , dicens : *Scripturae quidem perfectae sunt , quippe a verbo Dei et spiritu eius dictae , secundum hoc et scientia mysteriorum eius indigemus. Nec est mirum si in spiritualibus coelestibus et iis quae habent revelari , hoc patiamur nos , quandoquidem et eorum quae ante pedes sunt , quae et conterantur a nobis , et videntur et sunt nobiscum , multa fugerunt nostram scientiam.* Nil clarius dici potuit , ad nostrae assertionis fulcimentum. Hanc scientiam mysteriorum Dei lumen vocat , quod Ecclesiae creditum esse dixit idem Irenaeus , lumen (inquam) publicum , non sub modio aut candelabro positum , sed supra montem editum ut luceat omnibus iis , qui intra parietes domus Dei sunt (a): *Huic , inquit , Ecclesiae , creditum est lumen Dei : propter hoc sapientia Dei , per quam salvat Deus homines , in exitu canitur , in plateis fiducialiter agit , in portis civitatis constanter loquitur , ubique enim Ecclesia praedicat veritatem , haec est lucerna , ἐπτάμυχος septem canaliculos habens , Christi baiulans lumen : cuius praeconium qui relinquit , sanctos Presbyteros de ignorantia ignoranter arguit , non contemplantes quanto pluris sit idiota religiosus , quam impudens sophista : tales sunt (inquit) omnes haeretici , qui se plus aliquid praeter ve-*

ri-

(a) Irenaeus ibid. Lib. V.

ritatem invenire putant, varie et multiformiter imbecilles facientes iter, de eisdem non semper easdem sententias habentes, velut caeci a caecis circumducuntur, iuste cadentes in sublatentem ignorantiae foveam, semper quaerentes, et numquam invenientes, quia suo cerebro fidunt, et proprio sensu abundant: ab iis oportet fugere, et ad matrem Ecclesiam recurrere. Et subiungens causam quare conciliabula horum debeat fidelis deserere, et ad Ecclesiam manifestam confugere, adiicit: *Est enim Ecclesia plantata paradysus in hoc mundo, in qua iubet nos spiritus Dei ab omni ligno et fructo Dei manducare, sed de ligno scientiae boni et mali, id est, de elato sensu, de haeretica pravitate, prohibet nos, ne tangendo mortem incurramus.* Haec omnia Irenaeus. Qui non solum Ecclesiae lumen manifestum, eiusque veritatis praeconium nobis commendavit, et merito; verum et graphice nobis depinxit haeticorum ingenia quam sint vana, caeca, elata, instabilia et lubrica in iis quae docent et in scripturae intellectu: quod in praesentis Ecclesiae hostibus vel ipsis manibus palpamus.

Iam quod istud lumen, et divinae virtutis praeconium sit in Ecclesia, et idem a Spiritu Sancto concessum (a), libro III. capite 4. idem pater apertis verbis docet: *Ubi Ecclesia est, ibi et spiritus; et ubi spiritus Dei, illic Ecclesia, et omnis gratia, spiritus autem veritatis. Quapropter qui non participant eum, nec a mamillis matris nutriuntur, non bibunt de fonte nitidissimo de corpore Christo procedente, sed effodiunt sibi lacus detritos, de fossis terrenis, et de caeno putridam bibunt aquam, refugientes fidem Ecclesiae ne traducantur, reiicientes spiritum, ut non erudiantur, alienati a veritate, digni qui in omni volentur errore.* En tibi fontem doctrinarum perennem fluentem de corpore Christi, quod est Ecclesia, per Spiritum Sanctum obvium omnibus, qui intra Ecclesiam sunt, eundem-
que

(a) Irenaeus ibid. Lib. III. cap. 4.

que salubrem, qui cum gaudio et iubilo potari a fidelibus potest, haereticis autem extra Ecclesiam positis, interdictus atque prohibitus. Sed ne sibi arrogent haec omnia haeretici falso sibi nomen Ecclesiae tribuentes, adverte quid iam ultimo doceat hic vir venerandus, Apostolorum fere coetanus monens quam Ecclesiam sequi debeamus, quamque congregationem veram Ecclesiam reputemus (a): *Ubi, inquit, charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem. Apud quos est ea quae ab Apostolis est successio, et id quod est sanum, et irreprobabilis sermonis constat: hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt, et eam quae est in filii Dei dilectionem adaugent, qui scripturas sine periculo nobis exponunt, neque Deum blasphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes. Et in eodem libro (b): Agnitio vera est Apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiae status in universo mundo, et caractere corporis Christi, secundum successionem Episcoporum, quibus illi eam (quae in unoquoque loco est) Ecclesiam tradiderunt, quae pervenit usque ad nos custodita sine fictione, neque ablationem recipiens, lectio sine falsatione, et secundum scripturas expositio legitima, diligens sine periculo, et sine blasphemia. Hucusque ille. Haec est nota verae Ecclesiae praecipua (*), et quae eam facit fidelibus manifestam, quam non solum agnovit hic Apostolorum discipulus, sed quotquot ipsum secuti sunt Ecclesiastici scriptores, ut Tertullianus contra Marcionitas, Cyprianus contra Novatianos, Augustinus contra Donatistas, qui omnes falso apud se veram Ecclesiam esse dicebant. Substernam Augustini locum aurea certe verba ad hoc propositum continentem contra Manichaei epistolam, quam*

VO-

(a) Id. Lib. III. cap. 49.

(b) Ireneus ibid. cap. 59.

(*) Vera nota Ecclesiae, ab Ire-

naeo, Tertulliano, Cypriano, et Augustino concessa, et a Lutheranis reiecta.

vocant fundamenti (a): *Ut ergo, inquit, hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia Catholica esse non creditis, multa sunt alia quae in eius gremio me iustissime tenent: tenet consuetudo populorum atque gentium (audite matris legitimae desertores, nam adversus vos videtur Augustinus nervum obtendere) tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa sede Apostoli Petri, cui pascendas oves suas Dominus post resurrectionem suam commendavit, usque ad praesentem Episcopatum, Sacerdotum successio; tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se Catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui ubi ad Catholicam conveniat ire, nullus haeticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere. Haec Augustinus. Qui omnes notas paullo ante positas aperto sermone indicavit, ceu digito ipso commonstrans propter quas gaudet se in vera Ecclesia stare: et schismatici nostrae tempestatis nolunt agnoscere, neque suis Synagogis vere tribuere, quippe qui nullos possint signare suae doctrinae antecessores, viros Apostolicos, qui in Apostolorum Ecclesiis continua successione docuerunt: sed cervicosos quosdam et pertinaces homines, qui ab Ecclesia exierunt, et Spiritui Sancto semper restiterunt, ob idque scientiam hanc et Spiritus Sancti sensum, quem tanti facit Augustinus et omnes sancti aperto Marte veluti hostes veritatis acerrimi non verentur impugnare. Sed redeamus unde digressi sumus.*

Praesensit ante hos quod nostra habet veritatis assertio Clemens beatissimus Apostolorum Petri et Pauli discipulus, idemque martyr et pastor Ecclesiae generalis, reprehendens quosdam, qui scripturam sacram (spreta Patrum Traditione, et Ecclesiae sensu) privato iudicio suo exponebant, in epistola ultima ad

Hie-

(a) August. cit. loc. cap. 4.

Hierosolymitanos (a) : *Relatum nobis est, quod quidam in vestris locis commorantes, adversantur sanis doctrinis, et (ut eis videtur) non secundum Traditionem Patrum, sed iuxta sensum suum videntur docere multos, et secundum ingenium hominum, ex iis, quae legunt verisimilitudinem capiunt: ideo diligenter observandum, ut lex Dei cum legitur non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur et doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis divinis, quae possint trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte praesumpserit: sed hoc fieri non oportet; non enim sensum extrinsecum, alienum et extraneum debetis quaerere, aut quoquo modo ipsum scripturarum auctoritate confirmare, sed ex ipsa scriptura sensum capere veritatis: ideoque oportet ab eo discere intelligentiam scripturarum, qui eam a maioribus, secundum veritatem sibi traditam servavit, ut et ipse posset ea quae recte suscepit competenter asserere. Utrumque docet esse facinus hic pater sanctissimus, ut in dubiis et scripturae intelligentia ex ipsius scripturae auctoritate eam non exponamus: et quod ad maiorum doctrinam (quae per Traditionem in Ecclesia constat) quando ipsa scriptura minime suffecerit, non recurramus. Si enim scriptura se ipsam in omnibus sufficienter valeret exponere, non iuberet iste sanctissimus adire eos, qui traditam veritatem ab Apostolis susceperunt. Atque ne a solo Clemente et martyre gloriosissimo primum emanasse sententiam hanc existimes, lege librum recognitionum decimum, in quo Divum Petrum ipsum in eadem haec verba loquentem inducit, quo et magistro usus est, et in magisterio sententiam hanc ipsam edoctus. Quare habes duo gravissima testimonia unius ac eiusdem rei. Quin et idem Clemens simul cum Romana Ecclesia super gregem sibi commissum vigilas optime agens, non aliter dissensionem in Ecclesia Corinthiorum suo tempore subortam componit, quam Ecclesiastica et Apostolica Traditione; cuius*

Ire-

(a) Clemens loc. cit.

Irenaeus meminit in Clementem incidens in hunc modum (a): *Sub hoc Clemente dissensione non modica inter eos, qui Corinthi erant fratres facta, scripsit quae est Romae Ecclesia potentissimas literas Corinthiis ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et annuncians quam in recenti ab Apostolis receperant Traditionem.* Huius epistolae meminit etiam Egesippus, ut Eusebius tradit (b). Quam in tanta veneratione apud Corinthios extitisse affirmat, utpote quae Spiritus Sancti in re dubia sensum contineret, ita ut Dominicis diebus semper in Ecclesia legeretur: tanti faciebat antiqua Ecclesia in fidei dissensionibus Apostolicum ex Traditione magisterium. Hunc legitimae Traditionis thesaurum se invenisse plurimum gaudebat Clemens alter ille Alexandrinus, Pantheni magni discipulus, ante annos M.CCC. quem Eusebius (c) primo suorum Stromatum libro de se et suis commentariis loquentem introducit, sicut antea retulimus. Nec discrepat ab iis Divus Dionysius, qui volens beatorum spirituum rimari naturas, munera et actiones iuxta sacrarum literarum intelligentiam, eam non utcumque se velle afferre promittit, sed secundum paternam Traditionem Apostolicam; sic enim praefatur (d): *Itaque Iesum invocantes paternam lucem, quae est, quae vera est, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad patrem principale lumen accessumque habemus: ad Sanctissimarum Scripturarum intelligentias (prout illas a patribus accepimus) contuendas, pro viribus pergamus: et quas illi nobis vel per signum, vel per intelligentiae sacratoris arcana tradiderunt, coelestiumque spirituum distinctiones et ordines in quantum possumus speculemur.* Hic si attente consideras, duo praecipua sanctis Traditionibus tribuit vir iste apostolicus: Alterum, quod doctrina de distinctione ordinum

Tom. I.

Q

coe-

(a) Irenaeus Lib. III.

(b) Euseb. Hist. Lib. III.

(c) Id. ibid. Lib. V. cap. 11.

(d) Dion. de Coelest. Hier. L. I. c. 1.

coelestis hierarchiae non solum a scriptura sacra, sed ab arcana Traditione mutuata est: alterum quod scripturae expositio iuxta intelligentiam ab Apostolis acceptam accipi debeat, quod est nostrum propositum. In libro autem ecclesiasticae hierarchiae cum in dogma de baptismo parvulorum incidit, magisterium Ecclesiae per Traditionem in tantum magni pendit, ut eo solo fidem sibi exhiberi postulet: *Ea (inquit) de re ista quoque dicimus (de baptismatis infantium efficacia) quae sancti praeceptores nostri ex pristina Traditione edocti ad nos derivarunt.* Audisti principis Apostolorum discipulos; audi nunc principis Apostolorum haeredes et successores, martyres, sanctos et confessores gravissimos id ipsum confirmantes. Sanctus Foelix martyr, huius nominis in Romana sede primus, ante mille et ducentos annos, aequalitatem personarum in divinis probaturus, non ad aliud, quam ad sensum Ecclesiae in Traditionibus confugit epistola ad Benignum; ait enim postquam praefatum articulum credendum persuasit vir sanctissimus (a): *Haec est Apostolorum viva Traditio, quae praedicanda et veraciter diligenda est atque fovenda, fiducia literque ab omnibus tenenda.* D. quoque Fabianus hoc ipso Foelice aliquanto vetustior super chrismatis confectione, cuius nulla prorsus in scriptura extat mentio, secunda epistola ad Orientales Episcopos, omnium quotquot essent Patriarchales sedes sensum adlegat, quae praefati chrismatis consecrationem, ritum Dominicum esse dicebant, atque ut talem ab omnibus Ecclesiis observandum districte praecipit (b): *Haec sancta Romana Ecclesia et Antiochena, tempore Apostolorum praedicavit: haec Hierosolymorum et Ephesianorum tenet, in quibus Apostoli praesidentes ista docuerunt.* Post vero dicit: *Si quis obviare tentaverit, omnem sibi per nos, et per omnes recte intelligentes aditum intelligentiae intelligat obseratum.*

Hanc

(a) Foelix Epist. III. ad Benign.

(b) Fabianus loc. cit.

Hanc viam regiam ecclesiasticae doctrinae, et spiritualis luminis etiam Xystus II. martyr et Pontifex ad Episcopos Hispaniae super expulsionem Episcoporum commendat (a): *Hortamur, inquit, vos fratres, et flagitamus, ut a tramite Apostolicae institutionis nequaquam recedatis; sed fidem et ordinem quem Apostoli, et Apostolici viri tradiderunt absque haesitatione teneatis.*

D. Syricius ante mille centum et quinquaginta annos epistola ad Mediolanenses (b), qui passim Laicos et Neophytos, et nullis sacris initiatos, Presbyteros creare tentabant, universae Ecclesiae Traditione eos redarguit.

Coelestinus primus ritum Sacramenti Baptismi quem hodie sicut et multa alia apostolica instituta novatores isti reiecerunt, Episcopis Galliarum in quadam epistola commendans (c), consensum Ecclesiae tanquam divinum oraculum eis opponit, in dogmate quod in scriptura minime continetur, his verbis: *Illud quod circa baptizandos in universo mundo Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplerur intuitu, cum sive parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis, et exufflationibus spiritus immundus ab eis abigatur.*

Divus Innocentius primus cum ex primorum magisterio nota velit facere quaedam atque commendare, a quo promptuario sumpta sint, palam facit: *Non (inquit) quod nova praecepta aliqua imperentur, sed ea quae per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupimus, quae tamen Apostolica patrum Traditione constituta.* Hoc idem fecerunt in multis aliis, Clemens, Anacletus, Evaristus, Alexander, Apostolorum discipuli, et Ecclesiae praesidentes, et qui non? in his quae per scripturam minime probari poterant, Spiritus Sancti magisterium

Q 2

rium

(a) Xystus Epist. II.

(c) Coelest. cit. loc.

(b) Syricius loc. cit.

rium per Traditiones commendantes : nihil in epistolis horum sanctorum Patrum , et Christi martyrum magis obvium , nihil frequentius , cum aliquid commendant , et suadent observandum , quam ista vox : haec a sanctis patribus accepimus ; haec est Apostolorum viva Traditio , quibus non credere impium sane et temerarium est.

Servarunt etiam hanc regulam fere omnes alii doctores sancti , quando per scripturas de dogmate aliquo non satis constabat : non minoris hanc facientes , quam si Spiritum Sanctum loquentem introducerent.

De D. Irenaeo refert Eusebius (a) , quod contra quosdam discipulos Valentini insurrexerit , quia sensum Ecclesiae et doctrinam per Traditionem Ecclesiae invalescentem impugnabant, dicens : *Romae per diversos haereticos regula Traditionis Ecclesiasticae vexabatur , inter quos erat Florinus Valentini discipulus , qui assererat Deum factorem malorum : contra quem insurgit Irenaeus libro qui dicitur Monarchia ad Blastum ; qui liber (hoc saltem titulo insignitus) et si non extet , non tamen videtur aliter Traditionis regulam posse statui ab hoc viro gravissimo , quam sensu Spiritus Sancti per Traditiones universales in Ecclesia reservato , prout aliis in locis eundem Irenaeum fecisse cognovimus.*

Venerabilis Epiphanius cum falsum dogma haereticorum (qui se vocabant Apostolicos) persequitur , ad Traditionem et Ecclesiae magisterium confugiendum esse aperta voce testatur (b) : *Oportet Traditione uti ; non enim omnia scriptura accipi possunt , quia aliqua Sacris Scripturis , aliqua Traditione nobis Sancti Apostoli commendarunt. Et in eodem : Scripturae Traditione indigent et sensu ad cognoscendam uniuscuiusque argumenti vim et facultatem ; quare oportet*

(a) Euseb. Hist. Lib. V.

(b) Epiphan. adv. haer. Apost.

tet Traditione uti. Item Aerium Lutheranismi parentem super quibusdam dogmatibus ecclesiasticis urgens, antiquitate ecclesiasticae Traditionis, ipsum validissime redarguit: *Quis autem magis novit, hic ne seductus homo, qui nunc superest et hucusque in mundo versatur; an qui ante nos testes fuerunt, habentes Traditionem in Ecclesia, qui etiam a Patribus suis traditum acceperunt, qui ante ipsos fuerunt, quomodo Ecclesia a Patribus suis acceptam veram fidem usque huc continet, itemque Traditiones? Vides adeo valuisse apud hunc beatum Traditionis antiquitatem in praescriptione ieiuniorum ecclesiasticorum, ut sola ipsa contentus Aerianos profligaverit, ieiunia reiicientes, et ordines ecclesiasticos confundentes: sola hac infirma ratione ductos, quod in scriptura non exprimerentur; id quod non parum confirmat nostrum argumentum adversus hos sectarios, qui idem cum illis conantur saxum movere, et eisdem rationibus.*

Beatus Chrysostomus (a) investigat intellectum illorum verborum: *Alioqui quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, ex usu et intellectu universalis Ecclesiae.* Idem (b) de Adam et Eva ad demonstrandam humanam posteritatem peccato primorum parentum esse obnoxiam, usum et magisterium universalis Ecclesiae citat, quae ubique docet parvulos et recens natos debere baptizari.

Sanctissimus Pater Augustinus in plerisque doctrinae suae locis, cum in aliqua incidit, quae aperta intelligentia scripturae non constant, ad Spiritus Sancti magisterium in Ecclesia, tamquam ad divinam auctoritatem confugit. In epistola praecipue ad Paulinum super quibusdam difficilioribus scripturae verbis loquens: *Eligo, inquit (c), in iis verbis hoc intelligere, quod omnis*

pe-

(a) Chrysost. Com. Epist. I. ad Corinth.

(b) Id. Hom. II.

(c) August. Epist. cit.

pene frequentat Ecclesia. Libro quoque V. de Baptismo contra Donatistas, et epistola ad Vincentium de baptizandis iis, qui ab haereticis ad Ecclesiam veniebant, neglecto D. Cypriani et Concilii Provincialis Carthaginensis decreto ad Ecclesiae universalis consensum et magisterium se remittens, ait (a): *Illa quae scribit Cyprianus cum collegis suis nullo modo praeferenda sunt adversus totius Ecclesiae consensum.* Libro item contra Manichaeos, hanc nostram ecclesiasticam regulam magnopere commendat praefatus Sanctus Pontifex: Palam (inquit) est, quod in re dubia ad fidei certitudinem valeat Ecclesiae auctoritas, quae ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus usque in hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur. Hunc Ecclesiae sensum, et magisterii doctrinam exposcebat Sanctus Pater ille Cyrillus Alexandrinus Patriarcha simul cum Ephesina Synodo celebratissima a Nestorio confiteri et praedicari: nullum discrimen faciens inter Symboli Nicaeni fidem, et hoc universale magisterium. Haec sunt eius verba in epistola synodica ad praefatum Nestorium missa (b): *Non sufficit tuae religioni solummodo symbolum confiteri, quod expositum est Spiritus Sancti largitate a venerando Concilio apud Nicaeam congregato, sed consequens est, et iureiurando fateri te, quod anathematizes fidem tuam pollutam, et prophana dogmata et sententias, et doceas quae universi nos sive per orientem sive per occidentem Episcopi et Magistri praesidesque populorum credimus et docemus.* Quod igitur necesse est fateri, necesse subinde est, ut discatur et intelligatur, ad ipsumque (quando aliud non est remedium) ultimo confugiatur. Non oportet separare scripturam ab Ecclesiae sensu et magisterio, si volumus horribilia schismata vitare, et in haereseon praecipitia non incidere. Recte hoc

di-

(a) August. de Bapt. Libr. V.

(b) Cyrill. Epist. Synod. cit.

dicebat D. Innocentius primus (a) epistola ad Augustinum: *Dum unusquisque (ait) non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc statuit esse tenendum, inde diversa, et in diversis locis teneri, aut celebrari videntur, et fit scandalum populis, dum putant ab apostolicis viris contrarietatem induci. Vides originem schismatum ex contemptu ecclesiastici magisterii per Traditionem suboriri? quod hodie magno nostro malo ipsa experientia nos docuit.*

Accedit ad haec omnia, quod non videtur quomodo scripturarum doctrina dici possit propria Ecclesiae possessio, quod vult Paullus (b): (*Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus*) nisi penes se haberet Ecclesia Christi, sensum earum per magisterium Spiritus Sancti traditum, atque divinum lumen, quo posset ad utilitatem suorum membrorum eam interpretari. Nam scripturas habere mortuas sine sensu veritatis legitimo, pene nihil est habere. Quippe, quae communes sunt Iudaeis, Saracenis, haereticis, et immundis etiam spiritibus. *Non enim putandum est, ut recte docet Hieronymus in commentariis ad Galatas (c), in mortuis scripturarum characteribus esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Utrumque coniunxit Esaias cum Sancta Ecclesia loquens, et spiritum ad discernendum inter scripturas et verborum intellectum ad ipsam scripturam explicandam (d): *Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, amodo usque in sempiternum.* Sicut igitur Ecclesiae sanctae soli tribuitur ab omnibus discretionis certitudo, qua verbum Dei discernere possit a verbis hominum; quod factum cernimus in iis sanctis scripturis, quas

(a) Innocen. loc. cit.

(c) Hieronym. in Com. Ep. ad Gal.

(b) Roman. XV. 4.

(d) Esa. XLIX. 21.

quas secrevit ab aliis scripturis suspectis, quamquam titulis apostolicis commendatis, quod ipsum ab adversariis in Augustana confessione probatur: ita etiam tribui debet iudicium et magisterium divinum, quo infallibiliter discernere possit inter dogmata falsa et catholica, et germanum sensum ipsius et alienum. Quid enim faceret Ecclesia Christi, cum Arius et Pelagius, et alii haeretici in dogmate aliquo contrario modo docent, et unusquisque pro sua opinione scripturas allegat, easque pertinaci animo pro se stare affirmat? Quo se verteret? Quid eligeret, si cum scriptura ipsa concessum non esset ipsi lumen intelligibile intelligentiae? Certe tot esset exposita errorum iacturis, quot essent, qui vellent suo sensu abundare, nihil in ea esset certum, nihil indubitatum in doctrina fidei et scripturarum intellectu, imo ne ipsa quidem scriptura certi quippiam nobis posset promittere. Nec video quid potissimum doceret Spiritus S. datus eidem Ecclesiae Doctor ac Paedagogus in aeternum, si hoc non doceret, sine quo unitas eius minime constare potest. Nec quomodo cogerentur fideles, ut ipsum dicerent omnes, quomodo exularent ab Ecclesia haereses, quomodo componerentur dissidia, aut quomodo denique vere dici posset a Paulo (a) *Columna et firmamentum veritatis*, si in quacumque controversia haereret, nutarat, vacillaret, ac misere labefactaretur, nesciens quid esset fugiendum, aut quid acceptandum in dissensione duorum assertorum dogmatum, quorum alterum est ad salutem necessarium, et an hoc, an illo modo esset locus scripturae intelligendus, an alio potius ac magis diverso. Damus Petro, Paulo, Ioanni, Matthaeo, non solum notitiam eorum, quae scribebant, sed etiam lumen intelligentiae per Spiritum Sanctum illis concessum credimus; ne a veritate aberrarent, quod nemo fidelium ausus est unquam ne-

ga-

(a) I. Tim. III. 15.

gare: quidni igitur tribuamus toti corpori Ecclesiae, in qua longe plus charismatum est, et redundantiae gratiarum, quod singularibus membris tribuimus? Certe qui magisterium hoc et lumen spiritus ad doctrinas intelligendas et discernendas ab ea tollit, in Iesum Christum, et Spiritum Sanctum blasphematur, et omnem prorsus religionem invertit, et Sanctis omnibus contradicit. Recte dixit Irenaeus (a): *Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus; et ubi Spiritus, ibi Ecclesia et omnis gratia*. Itaque sunt sicut correlativa. Quare si in ea tam certo est hoc Spiritus Sancti magisterium, et a Deo absolute et sine conditione promissum, ut visum est, et ipsa Ecclesia in tantum est manifestata, ut ad eam facilis pateat recursus, ut qui velit ex ipsa potum vitae possit sumere, nihil restat (o fratres) praeterquam ut bibamus aquas de fontibus Salvatoris, et cisterna nostra, hoc est Ecclesia: relinquamus autem privatas et suspectas, non limpidas, sed impuras, quae nec valent aquam continere, nec sedare sitim. Adorandus est Spiritus Sanctus, quaerendus in atrio sancto publico, et non in angulari. *Non oportet*, ut inquit Basilius super Psalmos (b), *excedere congregationem Ecclesiae, et per nos ipsos propriam synagogam aut sectam auspicari*. Sed iam pro foribus adstat dubitatio, quae hominem quantumlibet sensatum sollicitare possit: Si ita se res habet, ut in fidei quaestionibus et scripturae difficultatibus, ad publicum Ecclesiae magisterium, per Spiritum Sanctum eidem traditum, est confugiendum, cum Ecclesia constet ex infinitis pene membris, vel singula membra essent convenienda, vel simul in unum congreganda, ad hoc ut ab eo reciperemus salutis oracula; quod videtur quasi impossibile, imo vana res prorsus esse multos consulere; qui tantum fidei simplicitate vivunt,

Tom. I.

R

et

(a) Iren. Libr. III. C. XL.

(b) Basil. sup. Psal. XXVIII.

et nihil norunt de huiusmodi difficultatibus, in quibus sancta quaedam est rusticitas, quae ipsis et non aliis prodesse potest. Clare probat obiectio haec, Ecclesiam in singulis membris consulendam non esse, neque congregari debere in fidei quaestionibus, quemadmodum ipsa praetendit obiectio: non enim reliquisset nobis Christus opportunum remedium pro huiusmodi discriminibus, si singula Ecclesiae membra consulenda essent. Ad haec, quando Christus dixit (a) : *Dic Ecclesiae*; mox conversus ad Apostolos : *Amen dico vobis* (inquit) *quia quaecumque alligaveritis super terram &c.* Unde satis sufficienter colligitur, ad ipsos et successores eorum Episcopos et Sacerdotes Ecclesiae nomen, quantum ad haec attinet, contractum esse. Rursus cum secundum Apostolum in Ecclesia sunt gradus et charismata peculiariora, ut prius a nobis commemoratum est, quae non omnibus voluit spiritus esse communia, ut puta, esse Pastores, et Doctores, et Prophetas, quibus haec specialiter gratia facta est, quos potissimum consulere debemus, in iis quae ad fidei doctrinam attinent, quibus claves regni coelorum commissae sunt ligandi atque solvendi, et quibus dictum est : *Si duo ex vobis congregati fuerint in nomine meo*; dicit enim Malachias (b) : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituumque est*: quis dubitet obsecro, sicut claves regni coelorum Deus non voluit omnibus esse communes, ita nec auctoritatem discernendi, quae sub ipsa clavium potestate continetur? Unde manifesto habes auctoritatem hanc discernendi dogmata nullo pacto dependere a totius Ecclesiae in singulis membris consensu, ut nonnulli male autumant (quamvis rati habitio, et consensus populorum erga maiorum decreta multoties requiratur ad robur obtinendum) alias enim maiores instruerentur a minoribus, fidesque

et

(a) Matth. XVIII.

(b) Malac. II. 7.

et auctoritas primorum dependeret ab indocta et rudi plebe, quod est invertere ordinem a Christo et Sanctis Apostolis praestitutum : sunt enim Ecclesiae capita Pontifices doctique in divina lege Sacerdotes , quantum ad eorum munus pertinet , lux mundi , et Doctores orbis , de quibus Christus dicit : *Qui vos audit , me audit ; qui vos spernit , me spernit*. At quaeret fortasse quispiam , quibus et quot viis de hoc sensu Ecclesiae , a quo nostrae salutis negotium tantum pendet , possumus esse certi : quaestio sane neutiquam facilis , tentanda tamen a nobis est cum Dei adiutorio eius solutio.

Respondeo , quemlibet fidelem qui in humilitate Christiana sobrie et non plus quam oportet sapiat , triplici via , eademque planissima certiolem reddi posse de huiusmodi magisterio , quando super aliquo dogmate a novitatibus sollicitatur.

Prima si respiciat ad id quod sentiunt omnes , in universum Ecclesiae , praecipue antiquae Romae , a qua in occidentales Ecclesias fluxit fidei magisterium , aut ad id quod maior pars diversarum nationum quae Christo nomen dederunt : quod non erit factu difficile , ei qui de sua salute fuerit sollicitus. Ut exempli gratia , habetur quaestio de Sacrificio Missae tremendo , et adorando , insurgente novatore aliquo Zuvinglo , aut OEcolampadio , qui novas doctrinas , et difficultates super hac re , ut olim Capernitae , suscitant. Non erit tunc difficile certo scire , quid in hac quaestione sentiant , et senserint ante haec tempora , omnes Ecclesiae Italiae , potissimum Romana , cuius equidem summa merito habenda est ratio , tum propter praecipuam auctoritatem et dignitatem , tum propter principum Apostolorum gloriam et aeternos honores , qui ibi et legem evangelicam promulgaverint , et martyrio coronati vitam finierint ; quid item senserint Ecclesiae Galliae , quid Hispaniae , quid Angliae , quid

bonae partis Germaniae, Hungariae, Poloniae, et Graeciae, totiusque Orientis, ubi Christus vel prorsus, vel quadamtenus regnat; quod ut pro explorato habeatur et cognoscatur, non opus est singulas provincias peragrare, nec singula membra Ecclesiarum consulere, sed in genere scire, quod huiusmodi novitates in talibus Ecclesiis non tenuerunt viri Apostolici, nec successores eorum praedicaverunt, nec talem fidem populi excoluerunt, qualem hi novitatum inventores evulgant. Quod si qui sunt qui teneant sive multi sint sive pauci, certe noviter sapiunt, recens nati sunt, ab Ecclesia exierunt, ab eius sensu discesserunt, e privato docent capite, et non secundum magisterium Spiritus Sancti: tunc praeiudicandi sunt tales vel de suspicionem novitatis vel de haeretica pravitate: quod volebat Irenaeus, quando dicebat (a): *Obaudire oportet iis, qui successionem habet ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum patris placitum acceperunt: reliquos vero qui obsistunt a principali successione, quocumque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi haeticos scindentes et elatos, sibi placentes, aut rursus hypocritas, quaestus gratia aut vanae gloriae hoc operantes: omnes hi haetici, et alienum ignem afferentes, id est, alienas doctrinas ad altare Dei, coelesti igne comburentur, sicut Nadab et Abiud. Haec ille. Tertullianus quoque libro de Praescriptionibus Haeticorum (b), omnem doctrinam quae cum Ecclesiis matricibus et principalibus non convenit, de mendacio praeiudicandum censet. Quod idem voluit Augustinus contra Manichaeos, prout paullo ante allegavimus, in rebus dubiis ad certitudinem fidei valere Ecclesiae auctoritatem, quae a fundatissimis Apostolorum sedibus usque in hodiernum diem, per successionem Episcoporum et consensionem populorum firmatur. Et haec est via magis plana ac tuta, et*

sim-

(a) Irenaeus Libr. IV. C. XLIII.

(b) Tertull. loc. cit.

simplicioribus hominibus et minime curiosis valde accommodata; nec curandae sunt vanae voces privatorum hominum ad se Ecclesiae magisterium trahentium : id quod multi sane perditissimi facere attentarunt ; non enim quiescere poterit mens fidelis , si cuicumque novitati patulas aures praebuerit : quaerent semper , et non invenient : quia quaerent , ubi inveniri non potest veritas ; satiusque est tempus illud terere in exercitio bonorum operum , et profectu spirituali , fixi et immobiles in fidei dogmatibus , quam sine re se circumferri ab omni vento doctrinae , quoniam dies mali sunt.

Est secunda via (*) apprehendendi veritatem in dubiis : Conciliorum scilicet generalium omnium consensione populorum fidelium receptam auctoritatem ; ubi Ecclesiarum praesides (Pontifices) et docti Sacerdotes Ecclesiam Sanctam Militantem representantes , in nomine Iesu Christi congregati , et ad ipsius gloriam non privatis affectibus ducti , orationi instantes , sincere , diligenter , et libere tractant ea quae ad Christi fidem , et repurgationem Ecclesiae suae pertinent secundum antiquum Ecclesiae morem : quae via inventa est a Spiritu Sancto in ipsius Ecclesiae primordiis , superstite Apostolorum Collegio , et fervente adhuc Christi sanguine , quando suborta quaestione inter quosdam viros Evangelicos et alios superstitiosos de legalium observatione ; non ad unum hominem (quamvis multi erant Apostoli et spirituales viri) nec ad singula , et promiscua Ecclesiae membra recursum est (etsi multi etiam erant , qui id temporis exercitio orationis vacabant , et eximia sanctitate pollebant) sed ad publicum et commune Ecclesiae magisterium , Apostolos scilicet et seniores , ut viderent de verbo hoc : sic enim habetur actuum xv. ubi facta matura discussione , onera importabilia legalium ob-

ser-

(*) Secunda via.

servationum, Spiritus Sancti auctoritate sustulerunt, et nonnulla retineri debere instituerunt, nullo scripturae verbo ad hoc allegato, sed contenti tantum ipso Spiritus Sancti magisterio. Quem modum tota sequens Ecclesia merito complexa est, ut quoties quaestio de fide occurreret, quae Ecclesiam turbaret, conventus isti apostolici fierent, quas Synodos vocant: in quibus et scripturae sensus aperiebatur, et quid tenendum in fide et moribus esset, cum auctoritate praecipiebatur, atque communis Ecclesiae sensus manifestus omnibus reddebatur. Sunt huius rei exempla illustrissima, et antiquissima, quae tota Ecclesia non secus ac divina quaedam oracula semper venerata est.

Primo Augustinus magnopere se significat contentum contra Donatistas in difficultate illa, quae olim Africanas Ecclesias diu torsit, de efficacia Baptismi haereticorum, postquam sibi constitit de sensu Ecclesiae Catholicae in plenaria synodo manifestato, quod satis ostendunt ipsius verba (a): *Recte, inquit, consuetudinem tenemus plenario Concilio posteriore firmatam, etiam si veritas hinc lateret, quam credimus iam manifestam. Adest tibi manifestatam veritatem per vocem patrum unanimum, Ecclesiae sensum notificantem, cui dicit Augustinus se credere, etiam si aliunde occulta existeret, sola synodi declaratione contentus.*

In synodo Divi Fabiani LX. Episcoporum declaratum est, lapsos ad poenitentiam posse recipi: prout in fide dignorum historiis compertum est: quamvis hoc alii tribuant Cornelio. In quadam synodo Africana a Divo Cypriano coacta baptismi parvulorum vigor inviolabili decreto statuitur: cuius idem Cyprianus meminit Fidum coepiscopum informans (b): *Idcirco (inquit) frater charissime, haec fuit in Concilio nostra sententia a Baptismo atque gratia Dei, qui omnibus misericors et benignus et pius est,*

(a) August. de Bapt. Lib. VII.

(b) Cyprian. Lib. III. Epist. VIII.

est, neminem per nos debere prohiberi: quod cum circa universos observandum sit, tum magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus.

In Nicaena (a) illa magna et celebratissima synodo, Spiritus Sancti doctrinam ecclesiasticam de consubstantialitate patris et filii, et de recipiendis haereticis per manus impositionem, et qui libri essent Canonici, explicuerunt Patres illi, res sane arduas et ad fidei negotium multum attinentes.

In Concilio vero (b) Constantinopolitano divinitatem et consubstantialitatem Spiritus Sancti in Ecclesiis ab Apostolis praedicatam contra Macedonium haereticum renovarunt.

In synodo Sardicensi (c) tempore Constantii coacta de consubstantialitate filii et Spiritus Sancti, Spiritus Sancti sensum aperta voce praedicaverunt. Et cum eadem synodus damnat Episcopos, qui cum Ario consenserant, dicit illos esse a Catholica Ecclesia alienos, quia verbum veritatis super unitate substantiae fuerant cauponati; quod in universum tota Ecclesia fatebatur, ut refert Theodoretus.

Ephesina synodus (d) Catholica exponit nobis locum Ioannis VI. qualiter nobis caro Christi in altaris sacrificio prodest. Locus autem ille est: *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quicquam.*

Synodus sacrosancta Chalcedonensis (e), cum fidem suam explicat, post allegatas sanctas scripturas, ait: *Consentientes sanctis Patribus eundem filium confiteri Dominum nostrum Iesum Christum consona voce edocemus.*

In

(a) Nicaen. Synodus prima.

(b) Synod. prima Constantinopoli-

tana.

(c) Synod. Sardicensis.

(d) Synodus Ephesina.

(e) Synodus Calcedonensis.

In sexta synodo (a) Constantinopolitana, cum Divus Agatho Romanae et universalis Ecclesiae Episcopus, fidem suam super errore Monothelitarum explicat, quam tota synodus vice oraculi recepit, se illam tenere ex maiorum institutis et Traditione affirmat his verbis: *Ut autem vestrae divinitus instructi pietati, quod Apostolicae nostrae fidei vigor contineat, breviter intimemus, quae praecipimus per Apostolicam Apostolicorum Pontificum Traditionem et sanctorum quinque generalium synodorum, per quas fundamenta Catholicae Christi Ecclesiae firmata, atque stabilita sunt. Hic ergo est status Evangelicae atque Apostolicae fidei, regularisque Traditio: ut confitentes sanctam inseparabilem Trinitatem per Filium et Spiritum Sanctum, unius esse deitatis, unius naturae, substantiae sive essentiae, unius etiam quoque docemus et naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, maiestatis et gloriae, et quidquid de eadem sancta Trinitate essentialiter dicitur, singulari numero, tamquam de una natura, trium consubstantialium personarum comprehendamus regulari ratione. Infra vero ubi dilucidius explicat diversitatem voluntatum in Christo propter diversas naturas: quae quidem explicatio in scriptura clare non continetur, adiecit: *Haec est mera confessio pietatis, haec Apostolorum Christi viva Traditio.**

Et in eadem sexta synodo (b) sola Ecclesiastica Traditione damnatur Armenorum error, qui vinum merum sine aqua in sacrosancto altaris mysterio offerebant; non ob aliud nisi quia Traditioni Apostolicae; quam se tenere sancta synodus arbitrata est, contradicebat.

In Milevitana synodo (c) consensu totius Ecclesiae iam recepta tria sunt Decreta, super quaestionibus fidei et quorundam locorum scripturae intellectu, quibus refragari non licet: expo-

sue-

(a) Sexta Synodus.

(b) Sexta Synod. Can. XXXII.

(c) Milevitana Synod.

suerunt enim illud Paulli: *per unum hominem peccatum intravit, et per peccatum mors, &c.* de peccato originali; quo tota posteritas primi hominis damnationi obnoxia est, et per quod nascuntur filii irae quotquot communi generatione ab infecto illo stipite descendimus; et sub anathemate praeceperunt sic esse intelligendum: cum non deessent multi haeretici, qui per exemplum duntaxat, et imitationem primi hominis, homines in Adam peccasse affirmarent.

In sexto vero canone sic diffiniunt, *Si quis illud Ioannis, si dixerimus quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus, sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem, non oportet dici nos non habere peccatum, et non quia veritas est, anathema sit.*

Item Canone VII. *Quicumque dixerit in oratione Dominica, ideo dicere sanctos, dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores; ideoque non dicere unumquemque sanctorum, dimitte mihi debita mea, sed debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se iustus petere intelligatur; anathema sit.*

Rursus in concilio Smyrnensi (a) ante mille et ducentos annos coacto, super duobus scripturae locis, de quibus forte controvertebatur, sic decernitur: *Si quis quod scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, patrem ad se ipsum solum, et non ad filium locutum fuisse dixerit, anathema sit.*

Item in eodem contra Photium haeticum: *Si quis Spiritum Sanctum paracletum ingenitum esse dixerit, anathema sit.* Quae quidem omnia in scriptura minime continebantur, sed ex Ecclesiae sensu, quem synodus tenebat, veritatem annunciabant et tenendam praedicabant Patres illi. Tempus ipsum citius me desereret, si Conciliorum sanctorum oracula in Spiritus Sancti et Ecclesiae

(a) Smyrnensis Synod.

sensu aperiendo vellem recensere, in quibus fere nihil fit, cum erroribus agitur Ecclesia, nisi antiquum statum eius in fide renovare, et quae iam oblitterata in negotio religionis erant, ad memoriam sic revocare, et rata censere, ut non liceat iam neque transversum unguem ab eis discedere.

Agnovit hoc magnus Basilius qui in conventu quodam patrum congregato de magisterio Conciliorum, sic dicit: *Huius rei gratia Patres hos publicos conventus excogitarunt, quo ab alienationem ex temporibus indictam, pro temporum conventionem renovarent.*

Vincentius etiam Lyrinensis (a), in aureo illo adversus profanas haereses libello, clarioribus verbis hoc idem ante mille et centum annos loquens de Ecclesiasticis Conciliis, eleganter expressit: *Quid umquam, inquit, aliud Conciliorum decretis Ecclesia enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur, et quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur, et quod ante securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? nec quidquam haereticorum novitatibus excitata Conciliorum suorum decretis Catholica profecit Ecclesia, nisi ut quod prius a maioribus sola Traditione susceperat, hoc deinde posteris per scripturae chirographum consignaret: magnam rerum summam, paucis literis comprehendendo, et plerumque propter intelligentiae lucem, veteris fidei sensum, novae appellationis novitate signando.* Vide quaeso quam lucide et copiose exposuit nobis hic pater venerabilis Ecclesiae sensum in fidei negotiis, quem per divinam Traditionem habet in ipsis Patribus et Ecclesiae Sacerdotibus quasi in divite promptuario repositum, qui quoties ab haereticis agitur populus Dei, depromitur, et quasi rati habitatione quadam Patrum auctoritate firmatur, et ab omnibus firmiter tenendum mandatur. Et quamquam Patres in nomine Christi congre-

ga-

(a) Vincent. Lyrin.

gati, articulum novum non possint condere, habent tamen auctoritatem explicandi obscuros scripturae locos, et quae ipsa Ecclesia per Traditionem habet manifestare, et manifesta confirmare: confirmata, observanda mandare; novisque vocabulis rem supra quam est difficultas, magis ac magis intelligibilem reddere: prout fecerunt Patres in Concilio Nicaeno, addendo in filii ineffabili emanatione *Consubstantialitatis* nomen in scriptura minime expressum. Animadvertit optime super hac re Socrates (a) in historia tripartita, referens de quodam Eusebio Vercellensi ab Ecclesia Occidentali ad Aegyptum misso, qui cum Concilium ibi congregaret Ioviniani temporibus D. Athanasio praesidente, et Spiritum Sanctum intra divinam consubstantialitatem decerneret sancta Synodus comprehendendum, insuper et verbum carnem, et animam assumpsisse declarasset, dicit: *Non enim novam religionem in Ecclesia introduxerunt; sed quam ab initio Ecclesiastica Traditio docuit Christianos.*

Quo fit, ut non omnia quae decernunt sacrae Synodi (*), scripturarum auctoritate teneantur comprobari: tum quia sensum scripturae, quem habet Ecclesia ex Spiritus Sancti magisterio, non est opus per scripturam iterum probari; alias esset manifesta circulatio; quia iterum de illa scriptura posset esse quaestio, an sic intelligatur, an alio modo: tum etiam quia multa interdum diffinit, quae Traditione in Ecclesia absque fictione reservata constant, quae minime scriptura probari possunt. Adde etiam quia nullum esset eius magisterium neque auctoritas, si pro omnibus quae decernit scripturam debuisset adferre. Quia aut adduceretur aperte clara, aut valde obscura: Si clara, non esset opus quaestione, neque recursum ad Ecclesiae Episcopos et

(a) Socrates cit. loc.

(*) Quod Synodus non teneatur omne id quod diffinit auctoritate scripturae comprobare.

Sacerdotes : si obscura , dicere posset adversa pars , quae damnatur , illam scripturam non recte exponi , et pro sua parte magis quam pro opposita parte facere , et ita nullus pateret modus componendi controversias , nisi eius diffinitionibus standum esset , ita ut quod ipsa exponeret , esset expositum , et quod decerneret , ab omnibus haberetur pro oraculo.

Tertia via est (*) , consulere Patres Orthodoxos , antiquos Ecclesiae sanctos doctores ; quos si invenerimus in una veritate convenisse , illum esse sensum Ecclesiae , et Spiritus Sancti magisterium , nullatenus dubitemus. Ex quo enim magistri sunt fidelium a Deo destinati , sententia eorum quasi Spiritus Sancti magisterium est retinenda : alias non ad docendum , sed ad seducendum essent a Deo Ecclesiae suae concessi.

Dicit enim Augustinus de Ecclesiae magistris (a) , cum exponit illud Matthaei , non enim vos estis qui loquimini in conspectu principum : *Si in eis loquitur Spiritus Sanctus , qui persequentibus traduntur pro Christo , cur non et in eis , qui tradunt discipulis Christum ?* Approbarunt viam istam quotquot in Ecclesia fuerunt sancti et antiquissimi scriptores.

D. Basilius (b) libro contra Amphilochem , super conglorificatione Spiritus Sancti , totam antiquitatem scriptorum Ecclesiasticorum in eum congerit , per quos maxime commendat Ecclesiastici dogmatis veritatem.

Sanctissimus Hieronymus contra Helvidium (c) , cum scripturae auctoritate convincere in multis eum non posset , totam in illum catervam Ecclesiasticorum doctorum , qui oppositas partes tenuerunt , congescit , probans subinde per hos , Helvidii sen-

(*) Tertia via.

(a) August. loc. cit. De Doctrina Christiana.

(b) Basilius cit. lib.

(c) Hieronym. contra Helvidi.

tentiam doctrinae Ecclesiasticae contradicere, ac subinde haereticam esse.

Eusebius (a) cum de quodam Theodato, qui haeresim illam Paulli Samosatheni contra Christi divinitatem renovavit, mentionem facit, quemdam Ecclesiasticum scriptorem introducit, Heraclaeum sextum, seu Arabianum nomine, qui illa tempestate in Ecclesia florebat; affirmans ipsum per Traditionem Ecclesiae, dogmati illius haeretici contrariam, praedictum Theodatum confutasse: qui Traditionem illam probavit magisterium Spiritus Sancti esse; eo quod Apostolici viri, Clemens, Iustinus, Melchiodes, Mellito, et alii scriptores Ecclesiastici divinitatem Christi in suis scriptis confessi sunt: hos enim scriptores ibi numerat. Item Socrates (b) reddens causam illius definitionis Alexandrini Concilii, de quo paullo ante meminimus, scriptorum sanctorum communem sensum proponit, tamquam dignum qui ab omnibus fidelibus reverenter excipiatur: *Sic (inquit) velut illa Synodus decrevit, omnes antiqui sermonis scripturam nobis probatissimam reliquerunt. Nam Irenaeus, Clemens, Apollinaris, Papias Hierapolites, Serapion Antiochiae praesul, insuper Berillus Philadelpiae praesul, Origenes in Genesin, Pamphilus animatum verbum dixerunt. Quorum doctrina hic allegata pars est decreti, in praefata synodo promulgati. Leo ille magnus (c) cum Leonem Imperatorem de gemina in Christo natura contra Eutychetis errores instruit, non parum putat pro causa fidei facere sanctorum patrum antiquorum in dogmate consensum. Dicit enim postquam scripturae argumentis rem tractaverat, et mentem suam aperuerat: *Ut autem pietas tua, cum venerabilium patrum praedicationibus nos concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic credidi subi-**

cien-

(a) Euseb. Histor. Lib. V.

(c) Leo loc. alleg.

(b) Socrates Hist. trip. loc. supr. cit.

ciendas esse sermoni : quibus si digneris attendere recensis , non aliud nos praedicare reperies , quam quod sancti patres nostri toto orbe docuere : nec quemquam ab illis nisi solos impios haereticos discrepare. Ubi allegat tres vel quatuor locos D. Hilarii , Athanasium in epistola ad Epitectum , Ambrosium de fide et in epistola ad Sabinum , Augustinum ad Dardanum et ad Volusianum , et Cyrillum ad Nestorium : tanti faciebat homo Dei et universalis Ecclesiae praesidens sanctos patres in unam convenisse sententiam ; a quibus dicit solos haereticos discrepare. Agatho etiam venerabilis , in decreto illo synodico , nuper a nobis allegato super duplici voluntate Iesu Christi Domini contra Monothelitas , sanctorum scriptorum consensum allegat , putans dogmati ecclesiastico magnum robur in hoc se adhibuisse : inter quos omnes allegat , si bene memini , Sanctum Athanasium , et Divum Ambrosium. Quod ipsum non semel facit Divus Bernardus (a) maxime in ea , quae est ad Hugonem epistola , qui super efficacia fidei , et sancti lavacri respectu parvulorum , Traditiones Patrum se dicit velle opponere sententiis haereticorum , tantum ad hoc allegans Dionysium , Cyprianum , Ambrosium et Augustinum quorum consensu fretus contra haereticos se causam obtinuisse magna fiducia putat. Postremo usus totius decurrentis Ecclesiae in hoc est , et hanc viam certam et tutam semper reputavit. Iam rursus ad Traditiones sanctas earumque vim et auctoritatem latius tractandam accedamus.

TER-

(a) Bernard. Epist. LXXVII. ad Hugon.

TERTIA PARS.

SEXTA ASSERTIO.

Diversos esse sanctarum Traditionum fontes.

Immensus se nobis hic aperit campus, ubi in tractandis religionis controversiis latissime potuissemus spatium: sed quia tot et tanta Ecclesiae praesentis ingenia in discussione earum haud infeliciter sudaverunt, ne videamur magis rapsodiam quamdam lectoribus velle obtrudere, quam principali et novo a nobis suscepto argumento satisfacere, ea tantum dogmata persequemur, quae Traditionis antiquitate, et continuo sanctae Ecclesiae consensu, non a mille annis duntaxat, sed ab eius primordiis deducto, constare possunt. Sive Traditio in scriptura contineatur, sive in monumentis Apostolicorum et antiquorum Patrum, nomine Traditionis divinae vel apostolicae ab eis referatur, perinde nobis erit, petitis locis non ex alienis chartis, sed ex ipsa sanctorum et antiquitatis Ecclesiae lectione: in qua evolvenda hoc certo possum citra vanae laudis ambitionem ad Iesu Christi gloriam affirmare, quod non segniter aut oscitanter, quamquam nescio an feliciter, per multum temporis sum versatus. Esto igitur pro huius nostrae considerationis initiis haec trimembris et ab omnibus sanctis, prout subsequens demonstrabit processus, recepta partitio; tres esse fontes Ecclesiasticarum Traditionum. Primum, divinam auctoritatem. Secundum, magisterium apostolicum. Tertium, Episcoporum et maxime Romanorum a Deo collatam potestatem. Quorum omnium in praesentia Traditiones aliquas recensere, habita potissimum ratione duorum priorum, utpote qui reconditiores et digniores minusque obvii omnibus sunt. Nec hic facio differentiam inter ea quae dictante Spiritu Sancto

cto ipsi Apostoli tradiderunt et instituerunt, sive iubente Christo promulgarunt; et ea quae per se ipse Christus Ecclesiae suae tradere dignatus est. Utrobique enim est divina auctoritas, et par magisterium. Dicit enim Cyprianus (a): *Sicut par est Spiritus Sancti et Christi divinitas, ita in suis institutis aequa est auctoritas et potestas; nec minus ratum est, quod dictante Spiritu Sancto Apostoli tradiderunt, quam quod ipse per se tradidit.* Unde facile credo apud sanctos antistites, Christi martyres, et Deo dignos doctores multoties emersisse, ut quod unus vocat Domini Traditionem, alter dicat esse apostolicam. Quod passim, scio, comperient, qui antiquitatem Ecclesiae diligenter evolverint, quasi pro eodem accipientes Apostolicam Traditionem, et divinam sive Dominicam. Christum autem instituisse et tradidisse pleraque, quae minime in scripturis fuerunt reposita, in principio iam demonstravimus, et Ioannes Apostolus manifestavit ultimis sui Evangelii verbis (b): *Sunt et alia multa, quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Quod multo magis de verbis atque doctrina credendum est. Discurramus autem per hos auctoritatis gradus, quo dilucidior fiat res.

De divinis Traditionibus, et primo de Traditione sensus scripturae.

PRincipio intellectus scripturae, quem per Traditionem Ecclesia habet, veluti probavimus, non potest a divina auctoritate Christi, et Spiritus Sancti non promanasse. Si enim scriptura ipsa non nisi inspirante ipso Spiritu Sancto, ut Petrus docet, tradita est, multo magis de eius intellectu, qui spiritus

(a) Cyprian. Sermon. de Ablut. pedum. (b) Ioan. loc. cit.

et anima ipsius scripturae est, isthuc idem credendum videtur. Alioqui tradidisset Dominus scripturas sanctas sine earum sensu legitimo: quod nemo sani capitis debet asserere. Scripturam vero seipsam non posse in omnibus exponere, sed egere alio spiritali lumine, abunde a nobis probatum est in superioribus. Non enim, ut diximus, scriptura sacra ideo divinam auctoritatem habet, quia atramentum est sic vel sic delineatum, sed quia divinum sensum atque doctrinam Dei in se continet, ipsamque multoties usque adeo reconditam, ut per divinam Traditionem et Ecclesiae sensum declarari desideret. Nam quid, obsecro, sibi vult, quod ultimo Lucae legimus de Christo Redemptore nostro (a), qui solus clavem David habet, ut librum septem sigillis clausum aperiat, cum post resurrectionem suam discipulis suis, per quos volebat scripturarum cibaria fidelibus ministrari, sensum earundem aperuit et reseravit, nisi Traditionem intelligentiae eius illis impartiri velle, per quam citra offensionem haud difficulter ab eis possit intelligi, et sancta mater Ecclesia per eos perfecte posset instrui: *Haec sunt*, inquit Servator noster, *verba, quae locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Et subdit: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.* Ex qua reseratione Traditionem intelligentiae scripturarum in Ecclesia emanasse, nemini dubium esse debet.

Plenitudinem autem huius luminis et intelligentiae Ecclesiam a Spiritu Sancto in suis sanctis patribus accepisse in die illo Pentecostes, in quo idem spiritus corda fidelium afflavit, et charismatum redundantia replevit secundum quod Christus illis promiserat, nemo orthodoxus etiam dubitare debet. Sic enim habebat

(o) Lucae ultim.

Iesu Christi Domini promissio (a) : *Haec locutus sum vobis , apud vos manens ; ac si diceret : Huc usque ruditati vestrae consultum est , et quia carnales eratis , non est vobis impartitus thesaurus intelligentiae doctrinae spiritualis atque coelestis , quia nemo mittit vinum novum in utres veteres , ne utribus ruptis vini fortitudine , vinum ipsum effluat , et utriusque et vini simul iactura fiat : habent suum tempus omnia . Quum autem per illum ignem divinum excocta fuerit ad purum scoria vestra , per quem aptiores eritis ad divina prorsus intelligenda mysteria , tunc mittetur vinum novum in utres novos . Paracletus enim Spiritus Sanctus , quem mittet Pater in nomine meo , ut vos novos reddat homines et quasi divinos , ille vos docebit omnia quaecumque dixerō vobis , hoc est , praestabit intelligentiam eorum , quae a me audistis , et adhuc per ipsum audietis . Et alibi (b) : *Adhuc multa habeo vobis dicere , quae non potestis portare modo . Quum autem venerit ille spiritus veritatis , docebit vos omnem veritatem . Si omnem veritatem ; ergo sensum et intellectum scripturarum , quo nulla maior veritas illis innotescere potuit , et in quo universalis Ecclesiae salus est .**

De Traditione Sacramentorum .

Secundo , quae ad institutionem Sacramentorum eorumque substantiam attinent (de his loquor , quorum ritus et institutio in scripturis sanctis ut a Christo instituta perfecte non referuntur , sed quae a suis primordiis universalis Ecclesia tenet , et venerata est) ex divinae Traditionis auctoritate descendere , recte etiam praesentibus compertum est . Nam cum effectum charismatis seu gratiae Spiritus Sancti , venerabilia sacramenta habeant annexum , constat ab illo solo principaliter institui posse ,

(a) Ioan. XIII. 25.

(b) Ioan. XVI. 12.

se, et in Ecclesiam introduci, qui solus potest gratiam ipsam, quasi pactione quadam promittere, eamque abunde et per se conferre. Deus autem solus est, qui tam magnifica dona praestare potest, ut Psaltes ait (a): *Gratiam et gloriam dabit Dominus*; quae sive per se ipse Dominus instituerit, sive Spiritus Sanctus post ipsum in coelum sublatum per Apostolos tamquam per organa sua legitima Ecclesiae tradiderit, nihil refert: idem Deus, idemque Dominus omnium est institutor et conditor. Quare, licet in epistola D. Iacobi videamus extremae-unctionis Sacramentum ab ipso promulgatum; Traditio tamen Christi est, vel magisterium spiritus eius, qui solus per Sacramentum gratiam recte accipientibus praestat, et peccata condonat. Nec secus credendum est de confessionis, confirmationis et ordinationis sacramentis: quorum D. Clemens, Anacletus, Urbanus sancti martyres, et Apostolorum discipuli et successores meminerunt, quae a Petro et Apostolis suis magistris fatentur se per divinum praeceptum accepisse: quod manifeste etiam sentire videtur magnus ille Dionysius Apostolorum discipulus, libro de Ecclesiastica Hierarchia (b) cuius aurea verba repetere non gravabimur, quippe quae nostro huic instituto valde consonant: *Itaque primi illi, inquit, nostri sacerdotalis muneris duces, cum summa supersubstantialique deitate, ipsius sancti muneris plenitudinem percepissent, et id ipsum deinceps proferre et propagare a divina bonitate missi essent, ipsique (ut qui transissent in Deum) posteros ad divina provehere affatim cuperent, visibilibus signis coelestia sacramenta texerunt: varietateque ac multitudine, quod unicum est et collectum tradiderunt, et in humanis imaginibus res divinas, materialibusque figuris spiritualium maiestatem, atque in illis quae nobis sunt familiaria, summa illa et supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus*

T 2

suis,

(a) Psalm. LXXXIII. 12.

(b) Dionys. cap. 1.

suis, iuxta quod sacrae diffiniunt leges, nobis tradiderunt. Quibus verbis duo satis ad nostrum propositum pertinentia affirmat hic vir Apostolicus: alterum, quod sancti Apostoli et Evangelistae per Spiritum Sanctum in visibilibus signis tradiderunt Ecclesiae aliqua sacramenta: alterum, quod aliquam partem ex his in scripturis canonicis reliquerunt, ut extremam-unctionem, confessionem, et quadantenus ipsam confirmationem.

Sed quia hoc cum multis aliis quae ad substantiam, ritus et caeremonias venerabilium sacramentorum et aliarum rerum quae a suis primordiis usque in praesens tempus tota servat Ecclesia, in monumentis virorum apostolicorum et sanctorum martyrum, qui Apostolos aut eorum discipulos audiverunt, vel proximi eis fuerunt, perfecte traduntur; ubi per Traditionem Dominicam haec omnia in Ecclesia venerabiliter recepta esse fatentur; non abs re erit si una cum scripturae locis, quae huiusmodi res concernunt, in citandis bona fide eorum testimoniis, nonnihil temporis insumperimus. Quorum auctoritate, et attestazione contentus esse debet homo Christianus, qui humiliter, et ad sobrietatem sapit, et de Ecclesiae dignitate, et sanctis Dei, Apostolicis Ecclesia praesidibus optime sentit. Aliam enim probationem in praesentia afferre, praeter martyrum et sanctorum doctorum attestaciones, nec materia ipsa permittit, nec aliquis a nobis exigere plus potest: quippe qui certo sciamus eos in rebus tam gravibus, subditis et fratribus suis non velle illudere: servi enim Dei fuerunt, aut proprium sanguinem propter ipsius nominis gloriam effuderunt, nec non cum Apostolis, et apostolicis viris conversati sunt, a quibus se ista omnia accepisse testantur, cum huiusmodi tradita fidelium Ecclesiis commendarent. Neque umquam retractaverunt, neque pertaesum est, quemadmodum blasphemio ore mentitur Lutherus et sequaces eius.

Quibus enim constaret magis huiusmodi retractatio, quam iis quos loco sui relinquebant, et perfectos in omni doctrina esse cupiebant? Qui nihil tale nobis significarunt, imo praedecessorum suorum doctrinam quam acceperunt, magis ac magis commendarunt, uti eorum monumenta, et universalis Ecclesiae unanimis consensus plane declarat. Quia vero nonnulla ex epistola 1. Clementis (*), doctrinae Petri testis oculatissimi, testimonia desumentur, et aliqua quoque allegata a nobis sunt in superioribus, operaepretium erit nonnihil de eius auctoritate praefari, ne videamur a suspectis et supposititiis chartis in rebus tam gravibus suppetias mutuari. Primam enim et quintam huius Sancti epistolam constat primitus ab ipso Graeco sermone fuisse conscriptas, et a Ruffino tempore Arcadii et Honorii sub nomine S. Clementis latinas factas.

Sed subdubitant nonnulli de prima eius epistola cuius superscriptio ad Iacobum fratrem Domini videtur directa. Nam de epistolis aliis nemo unquam Orthodoxus dubitavit. Subdubitationis autem istorum causa est, quia videtur iis cum ratione temporum minime consonare, quod Clemens Episcopus Romanorum a Petro iam ordinatus scripserit ad Iacobum fratrem Domini, quippe qui ante mortem Petri, ut Hieronymo placet in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, fere per septem annos iam obierat: meo tamen iudicio non est, quod de eius auctoritate possit dubitari. Nam quidquid sit de illo, ad quem dirigitur, sit ne Iacobus Alphaeus, an Iacobus frater Domini, (nam de tribus hominibus hoc nomine vocatis fit mentio in libro recognitionum Clementis, et apud Epiphanium, cum Antidicomaritas impugnat, ubi Iacobum fratrem Domini alium esse dicit a Iacobo Alphaei, an Simon, an quivis alius magnus Apostolus; omnes enim fere isti fratres Domini fuerunt, eo modo quo scriptura solet aliquando uti hoc nomine fratres;

(*) Auctoritas primae epist. Clement.

tres; facile potuit pars tituli huius epistolae vel vetustate obliterari, vel ab eo, qui hanc transtulit, per errorem fortassis (ut cum venia Ruffini loquar) interverti, et unum pro alio poni: aut fieri potuit Clementis ordinatio, de qua in hac epistola fit mentio, cum ipse Petrus a Roma discessit, non multo ante mortem suam visitaturus Pontum et Galatiam, et Bythiniam. Nam regiones has visitasse Petrum eo tempore, auctor est idem Epiphanius, quo Iacobus adhuc potuit superstes esse. Aut dicendum Hieronymum in supputatione annorum vitae Petri fuisse lapsum, aut Iosephum falsum, cum mortem Iacobi in sua historia nobis describit.

Non temere id assero, sed magnis ductus argumentis: sunt enim qui huius epistolae auctoritatem commendent, et ex ea testimonia mutuentur testes gravissimi, oculati, martyres Dei sanctissimi, qui huic beato proximi, aut coevi fuerunt: quorum dictis non assentiri magnae temeritatis esset. Anacletus enim qui Petrum vidit, et ab eo presbyter est ordinatus, in prima epistola sua, de qua nemo in Ecclesia dubitavit, cum de oppressione Episcoporum agit, hanc primam epistolam Clementis sub his verbis allegat (a): *Ut ait beatus Clemens antecessor noster, similis est omnis Ecclesiae status navi magnae, quae per undosum pelagus diversis locis, et regionibus viros transportat. Quae verba constat desumpta esse ad literam ex prima epistola Clementis. In epistola vero eiusdem III. Anacleti super distributione primatum, iterum ex eadem prima Clementis epistola sumitur testimonium: De primatibus, inquit, charissimi, super quibus me quidam vestrum consuluerunt; et apostolicae auctoritatis decretum postulaverunt, si esse deberent, an non, quantum hactenus de his beato Petro Apostolo, et a reliquis Apostolis, et a beato Clemente, nostro sancto et praedecessore et martyre novimus statutum, denegare vobis minime possumus &c.*

Alle-

(a) Anaclet. loc. cit.

Allegans ad verbum quod beatus Clemens in praefata epistola prima de huiusmodi primatibus ex instructione Petri disposuit.

Evaristus epistola II. ad Aegyptios (a): *Scitote, inquit, quod supra omnes laboret Episcopus, quia unusquisque vestrum suum proprium fert laborem, ille vero suum et singulorum.* Quae verba usque ad apices ipsos, Petri sunt Apostoli in ordinatione Clementis, ad fideles Romanos directa: quibus obnixè commendat, ut Clementem pastorem suum venerentur.

Item sanctus martyr Alexander, primus ab ipso Clemente, in sede Romana tertius, in prima suarum epistolarum ad omnes orthodoxos missa, Clementis ordinationem in ipsa illa prima epistola contentam, adducit in haec verba (b): *Si non licet eis loqui, qui doctores contristant veritatis, quanto magis dilaceratoribus? Unde et beatus princeps Apostolorum in ordinatione sancti praedecessoris nostri Clementis, ad populum ait: Si inimicus fuerit Clemens alicui pro actibus suis, vos nolite expectare ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse.* Quae ex praefata Clementis ordinatione petita sunt. Haec eadem verba D. Fabianus martyr non multo post in prima sua epistola ad universalem Ecclesiam missa usurpavit: hanc etiam epistolam reverenter allegans, volens probare cum excommunicatis, et his qui cum successore Petri communionem non tenent, communicandum non esse: ut obiter intelligant inobedientes schismatici, necessariam esse hanc cum universali et visibili pastore Ecclesiae communionem (*). Marcellus item martyr et Pontifex in I. epistola ad Mezentium, D. Gregorius XVI. Moralium, Clemens etiam tertius in quadam epistola decretali, nec non et Concilium Vallense, et Triburiense epistolam hanc, et ordinationem Clementis in ea contentam reverenter allegant. Glossa super illo
Ephes.

(a) Evarist. loc. cit.

(b) Alexand. Epist. alleg.

(*) Marcellus, Gregorius, Clemens tertius, Concilium Vallens. Tribur. Glossa.

Ephes. IV. *Alios pastores et doctores*, ex hac epistola testimonium sumit, dicens: *Pastor non est, nisi doctrinam habeat, qua gregem pascat. Unde Petrus Apostolus in ordinatione Clementis dixit: Impietatis crimen est neglectis verbi Dei studiis sollicitudines suscipere seculares.* Omitto hic Ruffinum et Gratianum, quorum ille epistolam hanc e Graeco in Latinum transtulit sub nomine Clementis: hic vero non semel aut bis testimonia ex ea in libro Decretalium sumit. Qua re statuta videtur primae epistolae Clementis auctoritas, ut nemini nisi captioso alicui, iam liceat refragari. Afferamus nunc in medium nonnullos istorum monumentorum locos ad sanctarum Traditionum robur, atque eos ex innumeris ferre, qui legentibus passim sunt obvii, apud hos Ecclesiae priscos auctores et Patres venerandos. Praefatus ergo B. Clemens Apostoli Petri discipulus, eiusdemque in sede successor legitimus multa ab eodem Petro se accepisse ex dominica Traditione in suis epistolis affirmat: quarum praecipua in his, quae sequuntur, per particulares considerationes digesta allegabuntur.

PRIMA CONSIDERATIO

De ritu Baptismi.

PRimo formam Baptismi, et sacri Chrismatis illinitionem ex doctrina Petri ad verbum desumit (a): *Baptizetur*, inquit, *unusquisque nomine trinae beatitudinis invocato super se, perunctus primo oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per hoc consecratus percipere possit locum cum sanctis.* Quem ritum et consecrationem sacri unguenti Dionysius Areopagita (b) a sanctis Apostolis praeceptoribus suis per Traditionem dominicam accepisse se affirmat. Cuius etiam meminit (c) Origenes super Ezechiel. Am-
bro-

(a) Clemens Recognit. Libr. III. Epist. III.

(b) Dionys. De Eccles. Hier. C. IV.

(c) Origen. Hom. VIII.

brosius etiam (a) cum recens baptizatis loquens : *Considera*, inquit, *quod videris*, *quod locutus sis*, *considera*, *repete diligenter*, *occurrit tibi Levita*, *occurrit tibi presbyter*, *unctus es quasi athleta Christi*, *et quasi cum hoc seculo luctaturus*. Et ne putet aliquis sacram hanc unctionem necessariam non esse regenerandis, audiat D. Cyprianum cum Africano Concilio secum coacto, ad Antonianum, Rogatianum, et Honoratum Episcopos scribentem, et necessitatem hanc clare explicantem (b) : *Ungi* (inquit) *neesse est eum*, *qui baptizatus sit*, *ut accepto chrismate*, *id est*, *unctione*, *unctus Dei habere in se gratiam possit*. Item Concilio Arausicense sub Theodosio iuniore celebratum, primo canone de sacra Chrismatis unctione, sic decernit (c) : *Nullus ministrorum*, *qui baptizandi recipit officium*, *sine chrismate usquam debet progredi*, *et si quis baptizatus non chrismatus fuerit*, *moneatur Sacerdos in confirmatione*, *nam inter nos ut necessaria habetur Chrismatio*. Quem ritum obiter etiam commemorat Tertullianus Papiæ auditor, libro contra Marcionem (d) : *Non reprobavit*, inquit, *Deus alias creaturas corporales*, *sicut neque aquam*, *qua nos abluit*, *nec oleum quo suos ungit*.

Alios vero baptismi ritus, excepta fidei confessione, quae exigi solet a baptizandis adultis, magis putarem esse ab Apostolis quam a Domino introductos : ut est benedictio aquae pro baptizandis, oleo sancto desuper infuso, sanctis precibus et invocatione divina praecedentibus ; cuius meminit idem Dionysius (e). Benedicti salis impositio, de qua Origenes (f) super Ezechiel mentionem facit : ubi hortatur catechumenos, ut se praepararent ad hoc, ut fiant Domini sal. Item aurium et narium ba-

Tom. I.

V

pti-

(a) Ambros. De Sacram. Libr. I.

(b) Cyprian. loc. alleg.

(c) Concilium Arausic. Can. I.

(d) Tertull. loc. cit.

(e) Dionys. Eccles. Hier. C. II.

(f) Origen. Hom. VI.

ptizandi sacerdotalis attactus (*), de quo B. Ambrosius libro de his qui mysteriis initiantur, mentionem facit. Rursus exorcismi, et coniurationes, quae sacram ablutionem praecedunt, quorum omnium Sancti mentionem faciunt, maxime Augustinus sermone Feriae secundae post Pascha, et libro de symbolo, Chrysostomus homilia de Adam et Eva. Item Coelestinus distinctione IV. et Synodus Bracharensis, quae iubet per viginti dies ante Baptismum Catechumenos exorcizari. Insuper abrenunciatio, qua baptizandus abrenunciat diabolo et pompis eius: et quod baptizandus habeat susceptorem sive patrinum: trina quoque immersio, quam dicit significare dominicam sepulturam, et alia, quae inter apostolica tradita (a) Dionysius de ecclesiastica hierarchia (b), Tertullianus libro de corona militis, Ambrosius in epistola ad Coloss. et libro de Sacramentis numerant. D. Hieronymus super libro VI. Amos Prophetae, et epistola ad Rusticum meminit olei et chrismatis in baptizatis. Et Augustinus libro II. de symbolo. Similiter albae vestis induitio, quam memorat Dionysius libro saepe allegato, et Ambrosius libro de iis qui mysteriis initiantur. Et historia (c) Tripartita narrat id genus etiam alia.

SECUNDA CONSIDERATIO.

De Traditione Confirmationis.

DE Sacramento autem Confirmationis, et ritu eius, etsi sacrae literae quodammodo faciant mentionem in frequenti illa manuum impositione (d), qua Apostoli Christo iam initiatum Spiritum Sanctum conferebant, veluti signo quodam sensibili a Deo instituto, quae notae sunt veracis et efficacis Sacramenti,

(*) Ambrosius, Augustinus, Synodus Bracharensis.

(a) Dionys. C. III.

(b) Tertullianus, Ambrosius, Hie-

ronymus, Augustinus citati.

(c) Hist. tripart. Libr. XI. Cap. 14.

(d) Actor. VIII.

ti, idem tamen Divus Clemens ex Petri mente fusius et clarius ipsum promulgat, dicens (a): *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, et demum consignari ab Episcopo. I. septiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, quia incertus est uniuscuiusque exitus vitae. Cum autem regeneratus fuerit per aquam, postmodum septiformi spiritus gratia ab Episcopo, ut memoratum est, confirmetur: quia aliter perfectus Christianus esse nequaquam poterit, nec habere sedem inter perfectos: si non necessitate, sed incuria aut voluntate remanserit. Et ne existimet aliquis istius Sancti esse inventum, subiungit: ut a Petro Apostolo accepimus, et ceteri sancti Apostoli praecipiente Domino, docuerunt. En tibi claram et perspicuam huius Sacramenti originem a Christo Domino promanantem. Manuum vero impositionis Traditionem, quae de huius Sacramenti substantia etiam est, Divus Urbanus huius beati successor (b), qui sub Alexandro Mammeae filio martyrio coronatus est, vix octoginta annis Clemente posterior, cunctis fidelibus scribens aperuit his verbis: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur: quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, et constantiam dilatatur.**

Item D. Eusebius martyr (c), qui sub Diocletiano passus est, non solum Sacramentum hoc esse dicit, sed et legitimum ministrum eius praescribit. *Manus, inquit, impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur et scitur esse peractum: nec ab aliis quam per illos qui Apostolorum tenent locum, unquam perfici potest: et si aliter praesumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter eccle-*

V 2

sia-

(a) Clemens Epist. IV. ad Iulianum.

(b) Urban. loc. cit.

(c) Euseb. cit. loc.

siastica reputabitur Sacramenta. Ecce Sacramentorum confirmationem nominat, et ministri necessitatem explicat hic Martyr beatissimus, ante annos mille et ducentos. Rursus Melchiades (a), qui huic Eusebio successit, Martyr etiam a Deo coronatus, in suo decreto, ubi collationem facit inter Baptismi Sacramentum et Confirmationis, in hunc modum docet: *De his super quibus rogastis vos informari, utrum maius esset Sacramentum, manus impositio, an baptismus, scitote utrumque magnum esse Sacramentum.* Et infra: *Spiritus Sanctus qui super aquam baptismi salutifero descendit illapsu, in fontem, plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione vero augmentum praestat ad gratiam: et quia in hoc mundo tota aetate victuris inter invisibiles hostes, et pericula aggrediendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum autem confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur: et quamvis continuo transitoris sufficient regenerationis beneficia, necessaria tamen sunt (grandaevis scilicet) confirmationis auxilia.*

Ubi vides Sanctum Pontificem et Martyrem rotundo ore institutum Confirmationis Sacramentum appellare, idemque necessarium ad salutem grandaevis iam Christianis esse: quod nonnulli scriptores negare audent, nescio an recta ducti ratione. Nam, ut quod in hac re sentio, obiter dicam, tam necessarium puto grandaevis Christianis hoc Sacramentum, aut efficacem suscipiendi voluntatem, ita ut per eos non stet quin recipiant, quam est necessarium robur pugnaturis. Pugnatores autem esse Christianos grandaevos, Apostolus docet in ea, quae ad Ephesios est epistola (b). *Non est nobis, inquit, colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus spiritus et potestates tenebrarum.* Ubi autem finis est necessarius, unicum quod ad finem ordinatur, etiam est necessarium: est autem id unicum medium ad consequendum ro-

bur,

(a) Melchia. cit. loc.

(b) Ad Ephes. VI. 12.

bur, et virium stabilimentum in Christiana pugna scilicet digne recipere hoc sacramentum, aut velle efficaciter recipere a Domino institutum, per quod divina pactione robur istud nobis donatur, ut affirmarunt isti sancti martyres et viri apostolici: erit ergo adultis, quando dabitur recipiendi copia, necessarium. Idem fere decernitur de hoc sacramento in Concilio Meldensi (a), ubi praecipitur non nisi a ieiunis, et cum reverentia debere accipi; et Aurelianensi (b). Cuius contrarium multi Episcoporum hodie faciunt, in magnum tanti sacramenti parvipendium. Est ad hoc propositum sacrosanctae Nicaenae Synodi institutio, quae sic habet (c): *Si quis Diaconus, regens plebem sine Episcopo vel presbytero, aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debet: quod si ante de seculo recesserint, sub fide qua quis crediderit, poterit esse iustus.* Item in Concilio Laodicensi sub Damaso primo coacto, sic de hoc venerabili sacramento decernitur (d): *Oportet baptizatos post baptismum sacratissimum chrisma percipere, et coelestis regni participes fieri.*

Item Basilius libro de Spiritu Sancto, chrismatis, et impressionis crucis inter alia divinitus tradita commemorat, ut obiter nemo ignoret Orientalem Ecclesiam in hac etiam fuisse sententia. Item Augustinus (e) contra literas Petiliani Donatistae apertis verbis confirmationem sacramentum esse dicit, quod Petrus et Ioannes Samaritis ministrarunt: ipsumque affirmat in genere visibilium signaculorum sacrosanctum esse, sicut et ipse baptismus est. Et libro II. contra eundem Petilianum (f). Et libro de Trinitate mentionem de eo etiam facit. Beatus quoque Cyprianus (g) sermone de ablutione

(a) Syn. Meld. Can. VI.

(b) Capite III.

(c) Nicaen. synod. Instit. LXXVII. et de Trinit. cap. 26.

(d) Syn. Laodicensis Can. XLVIII.

(e) August. Lib. III. cap. 4. cit. loc.

(f) Idem, ibid. Lib. II. et cap. 4.

(g) Cyprian. cit. Serm.

tione pedum, illinitionis et sacri chrismatis, et manuum impositionis sacramenti, et baptismi commemorat, potissimum vero in sermone de unctione Chrismatis: cuius verba aurea ob oculos ponere non pigebit propter contentiosos incredulos: *Hodie, inquit, in Ecclesia cum ceteris unctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum, et in participationem dignitatis et nominis sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiae et sacerdotalis gloriae exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitus est unctio instituta. Ubi clare institutionem divinam, tam chrismatis confectionem, quam ipsam hanc illinitionem esse dicit; et paucis interpositis: Hodie ut diximus, unguentum ad sanctificationem paratur, cuius flagrantia adolescentulae et novellae animae ad fidem accedentes illectae delectantur. Et infra: Non haec medendis corporibus est unctio instituta, quia sanctificatis elementis, iam non propria natura praebet effectum, sed virtus divina potentius operatur: adest veritas signo, et spiritus sacramento, ut ex ipsis rerum efficientiis gratiae dignitas pateat, et interiori homini, quanta ex his detur auctoritas, deiformi conversatione et coelestibus moribus innotescat.*

Quantis et qualibus encomiis sacrosanctum hoc institutum nobilitavit hic martyr sanctissimus? Nam et sacramentum ipsum appellat, non solum quia interiorum Spiritus Sancti unctionem significet, sed quod divina pactione, dum ipsa exterior illinitio fidelibus applicatur, interiorum hominem Spiritus Sancti gratia corroboret, qua in re ratio sacramenti proprie sumpti consistit. Subscribit etiam huic sanctae institutioni (a) D. Fabianus martyr et pontifex ante mille et trecentos annos in epistola ad Orientales Episcopos loquens de die coenae et huius sancti unguenti confectione: *In illa, inquit, die Dominus Iesus, postquam coenavit cum discipulis suis, et lavit eorum pedes, si-*

cut

(a) Fabian. cit. Epist.

cut a sanctis Apostolis praedecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit: ipsa enim lavatio pedum nostrum baptisma significat, quod sancti Chrismatis unctione perficietur. Ubi duo vides ab hoc sancto martyre affirmari: alterum, quod Chrismatis confectio Traditio divina est: alterum vero, quod ad perficiendum Christianum a Deo est institutum, idque unctione facta ex hac sacra confectioe divinitus procul dubio consequi. Dionysius libro saepe allegato perficientem unctionem, hanc illinitionem vocat. Item Hieronymus contra Luciferianos signans scripturae locum, unde descenderit ritus iste sacrosanctus, sic docet (a): *Si imponit manum Episcopus, his imponit qui recta fide baptizati sunt: quod si hoc loco quaeris quare baptizatus in Ecclesia, non nisi per manus Episcopi accipiat Spiritum Sanctum? discite hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensionem Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit.* Constat autem Spiritus Sancti descensum auctoritatem esse divinam. Quare et hic sanctus divinum esse institutum confirmationis sacramentum praesensit.

Eusebius etiam narrat (b), quod quia in Novatohaeretico ea quae baptisma subsequi solent, non fuerunt solemniter impleta, nec signaculo Chrismatis consignatus fuerit Spiritum Sanctum non potuerit promereri: ut videas effectum huius sancti instituti, quod mortuam ceremoniam nonnulli Protestantes irrisione blasphema vocant, collationem esse Spiritus Sancti. Omitto hic posteriorum synodorum de hac re consensum (*), utpote Toletanae primae, quae aperta voce hoc institutum sacramentum vocat, et per solos Episcopos dari posse affirmat. Item concilium Hispalense secundum, Bracharense secundum, Wormatiense etiam canone secundo, Constantiense etiam, et Florentinum,

(a) Hieronym. contra Luciferian.

(b) Euseb. Hist. Lib. VI. cap. 33.

(*) Toletana synodus. Hispalens. Bracharen. Wormat. Florent.

num, quae huius etiam sanctae Traditionis apertissimam fidem faciunt. Haec omnia testimonia si ad invicem conferat pius lector, et temporum, quibus dicta sunt, simul collationem faciat, inveniet procul dubio totum universalis Ecclesiae decursum a Christo usque in praesens tempus contra novatores huius temporis esse, ac subinde confirmationis sacramentum a divina Traditione promanasse, quod nos intendimus. De qualitate vero ministri huius sacramenti (*), non est quod multum inquiratur, cum non nisi magnis sacerdotibus, hoc est, Episcopis, qui Apostolis successerunt, divina Traditio huius sacramenti administrationem commiserit, saltem quantum attinet ad manuum impositionem.

Nam quantum ad unguenti delibutionem non videtur quin a presbyteris possit confici. Dionysius enim (a) affirmat presbyteros perficere regenerationem cum sacratissimo unguento, per cuius delibutionem Clemens dixit, cum de hac materia loqueretur, Christianum perfici, et habere locum inter perfectos. Adde quod eiusdem rationis videtur esse haec illinitio, cum ea quae fit a presbyteris in baptismo, quae in locum illius episcopalis unctionis quae ab Episcopis fiebat, videtur subrogata, fortassis propter periculum; et consequenter dicendum videretur substantiam huius sacramenti potissimum in impositione manuum Episcopi consistere, ut D. Urbanus dixit: et hoc modo conciliari possent Decreta moderna cum antiquis super qualitate ministri: sed hic nihil definitio. Illud tamen certum est, impositionem manuum solis Episcopis convenire, et id quidem citra ullam controversiam: ut ex Actis etiam Apostolorum (b) constat. Et Divus Damasus in epistola de chorepiscopis recte deducit. Quod si aliquando sacerdotibus minoribus concessum est huiusmodi mi-

(*) Qualitas ministri confirmationis.

(a) Dionys. Coelest. Hier. cap. 5.

(b) Act. VIII. 17.

nisterium, ex privilegio particulari Christi forte collatum est, ut Ananiae discipulo, vel ex permissione, aut si mavis ex errore accidere potuit. Atque haec sunt quae de confirmatione divina Traditio et universalis Ecclesiae consensus nobis reservavit.

TERTIA CONSIDERATIO.

De Traditione auricularis confessionis, et poenitentialis satisfactionis.

Nunc ut de confessione agamus ipsa rei series, et ordo nos vocat. Videbimus autem quid in ea introduxerit sancta et divina Traditio. Quamvis enim auricularis haec singularium delictorum confessio in lege veteri fuerit adumbrata, Levitici tertio (a), quarto, et quinto capitibus, et per praedicationem praecursoris Christi inter partes poenitentiae commendata, dicitur enim Marci I. de illis, quos ad parandam viam Domini convertebat Ioannes Baptista, quod (b) *universi baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua*: et tempore Apostolorum etiam usitata, ut decimo nono capite Actuum Apostolorum scribitur, quod (c) *multi credentium veniebant ad Apostolos, confitentes et annunciantes actus suos*: et tandem ab Iesu Christo Redemptore videatur esse instituta, ut patet ex illo Ioannis loco (d): *Accipite Spiritum Sanctum, et quorum remiseritis peccata remittuntur eis; quae autem retinueritis, retenta sunt*. Cuius quidem potestatis executio, quantum ad retentionem peccatorum saltem, sine particulari cognitione criminum exerceri nequaquam potest, unde satis aperte colligitur ex necessitate usus clavium necessitas etiam huius confessionis vocalis, ut Augustinus optime arguit. Nam eo ipso quod iudex aliquis legitime super aliquos consti-

Tom. I.

X

tui-

(a) Levit. III. IIII. et V.

(b) Marci I. 5.

(c) Act. XVIII. 18.

(d) Ioan. XX. 22.

tuitur, tenentur illi, quibus praeficitur, si causas habent coram eo ventilare, non in genere solum, ut Lutherani male praetendunt (nam hoc modo nec sententia nec medicina sacerdotis debite applicari posset) sed in particulari.

Tamen nuda et clara huius sacramentalis instituti ratio quantum ad substantiam et circumstantias eius divina Traditione solum constat; quam ex Petri Apostolorum principis mente sanctus martyr Clemens assiduus eius auditor hoc modo Ecclesiae promulgavit (a): *Si forte alicuius cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex iis, quae superius commemoravimus (recensuerat autem fere omnia genera peccatorum) latenter irrepserit, non erubescat qui animae suae curam gerit, confiteri haec huic qui praeest, ut ab ipso per verbum Domini et consilium salubre curetur: quo possit integra fide et operibus poenas aeterni ignis effugere, et ad perpetuae vitae praemia pervenire (*)*.

Hanc Traditionem si cum praecedenti dicto Christi de clavibus contuleris, invenies sacerdotibus duplex officium in hac secreta confessione divinitus contributum, iudicis videlicet, et medici. Absolvere enim et retinere, iurisdictionis actiones sunt, quas illis tribuit Christus: medici vero munus sancta haec illis confert Traditionis promulgatio; quam ne putes esse mere humanam, aut ab hoc solum sancto adinventam, adverte quid postmodum hic vir sanctissimus quibusdam interpositis magistri sui doctrinam referens dicat (*): *Quotidiana illius (scilicet Petri) praedicatio inter cetera divina mandata haec erat: Bonorum operum inter cetera semina sunt, quantum unusquisque sapit, et potest totis intimi cordis visceribus Deum diligere et proximum velut seipsum, &c. Et paucis interpositis, subiungit: Christum sequi, et nihil eius amor praepone, cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum al-*

(a) Clem. I. Epist. Ordinat.

(*) Traditio confessionis vocalis.

(*)

Confessio vocalis divinum mandatum.

lidere, et sacerdotibus Domini manifestare. Ubi duo vides clarissime expressa: alterum, institutum de confessione vocali esse divinum; alterum vero non solum crimina aut exterius facta, sed et internas cogitationes sacerdotibus necesse esse confiteri.

Quatuor ergo habes in hoc sacrosancto instituto ex divinitus data Traditione. Primum auricularem confessionem institutum esse non humanitus excogitatum, sed divinitus. Secundum quod fieri debeat de internis etiam cogitatibus. Tertium quod proprio debeat fieri sacerdoti, cui confitentis animae cura fuerit destinata. Quartum quod per huiusmodi exercitium anima debite confitentis salubriter curatur, et vitae aeternae praemia adipiscitur.

Ostendit quoque Traditionem hanc mere divinam esse totius decurrentis Ecclesiae a Christo usque in praesentem diem generalis consensus, quae ipsissima Spiritus Sancti vox est; ut scripta fere omnium ecclesiasticorum scriptorum luce clarius demonstrant, in quibus salubritas et necessitas huius Traditionis magnopere, nec semel commendatur.

Primo Dionysius ad Demophilum veterem morem citat, quo solebant peccatores ad pedes sacerdotis se prosternere, peccata confitentes, et peccatorum remedia quaerentes. Haec sunt eius ad praefatum Demophilum reprehensoria verba (a): *Tu vero, ut tuae literae indicant, procidentem sacerdoti impium atque peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinae ordinem astans, calce abiecisti ac repulisti, cum ille quidem verecunde, quod oportuit, fateretur se ad peccatorum remedia quaerenda venisse. En iam tibi in primi scriptoris apostolici testimonio, qualiter per confessionem delictorum peccatores ad genua sacerdotis provoluti remedia cum verecundia quaerebant.*

Irenaeus exomologesis, id est, confessionis aperte meminit (b).

X 2

Nam

(a) Dionys. Epist. VI. cit.

(b) Iren. Lib. I. c. 9. et Lib. III. c. 4.

Nam de uxore Marci pseudoapostoli a peccatis et pestilentibus erroribus sui mariti conversa, dicit, quod omne tempus in exomologesi consummaverit: et de Cerdone haeretico affirmat, quod sub Hyginio, qui fuit post Petrum in Romana sede nonus, exomologesin fecerit.

Fabianus martyr et Ecclesiae pontifex affirmat (a), quod *hi qui peccatis maculati sunt, et in barathrum delapsi, nisi sacerdotali auctoritate sanentur, in gremio Ecclesiae esse non possunt.* Pontianus itidem (b) de sacerdotibus sublevandis expresse asserit *per eos peccata nobis donari, et peccatores Deo reconciliari.* Item Eutichianus tractans illud Ioannis, *Quorum remiseritis peccata,* dicit (c): *quod nisi peccatores reconciliati sint per satisfactionem sacerdotum, ianua illis coelestis clauditur.*

Tertullianus non in uno loco suae doctrinae huius sancti instituti etiam meminit, maxime libro de poenitentia, cuius verba licet prolixa sint, tamen, quia novatores istos de confessione et satisfactione contra Apostolicam Traditionem docentes, plane damnant, non gravabimur recitare (d): *Tantum, inquit, revelat confessio delictum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciae. Huius igitur poenitentiae secundae quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio; ut non sola conscientia praeferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur: non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humiliificandi hominis disciplina est, de*
ipso.

(a) Fabian. Epist. II. Ad Oriental.

(b) Pontian. Epist. II.

(c) Eutich. Epist. III.

(d) Tertullian. loc. cit.

*ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus deiicere, illa quae peccavit, tristi tractatione mutare: ceterum, pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet sed animae causa: plerumque vero ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari dies noctesque ad D. Deum tuum: Presbyteris advolui, et aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae iniungere. Haec omnia exomologesis, ut poenitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur et temporali afflictatione aeterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Quum igitur provoluit hominem, magis revelat: quum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, excusat: quum condemnat, absoluit. Hic accusationem propriae conscientiae excusationem et salutem dicit operari, et per poenitentialem satisfactionem poenitentis animam dicit relevari, et subiungit: *In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcat.**

Quod vero de confessione vocali, quae fit sacerdoti, et non de ea quae soli Deo fit Tertullianus loquatur, verba quae sequuntur aperte indicant: *Plerosque hoc opus ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre praesumo, pudoris magis memores quam salutis, velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, et ita cum erubescencia sua pereunt. Ecce salutem dicit per publicationem peccatorum procurari: contra vero silentium eorum lethale esse. Et paullo post: Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras, si quid humanae noxiae subduxerimus, proinde et Deum caelabimus. Vides ut facit presbyteros Christi vicarios in actu confessionis, ita ut qui eos per humilem confessionem adit, Christum videatur adiisse, ipsumque contrectasse: et quidquid ipsos caelaverit in confessione, Christo quoque sit*

occultatum. Post multa vero, quae de confessione vocali auctor praefatus docuit, hoc modo concludit: *Igitur quum scias adversus gehennam post primae illa intinctionis dominicae monumenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi quod scias mederi tibi?* Ac si dicat nulla ratione esse cessandum.

Haec ille pervetustus auctor, qui discipulos Apostolorum vidit et audivit, de confessione vocali, quam ad genua sacerdotum provoluti faciebant fideles: pariter et de satisfactione poenitentiali docebat sui temporis Ecclesiam: ubi neque per somnium perterrefactarum conscientiarum sermo fit, tantum abest, ut terrores conscientiae ab istis novatoribus introducti, pars integralis Christianae poenitentiae reputata fuerit apud antiquam et Apostolicam Ecclesiam. Sed neque fidei etiam meminit Tertullianus, sicut neque posteriores sancti doctores, quae altera pars poenitentiae ab istis assignatur; non quod putet non requiri eam ad veniam: nam quo modo aliquis ad Deum converti potest sine fide et fiducia misericordiae eius? (Omnia enim actionis Christianae, quae ad salutem ordinatur, praecipua basis et fundamentum fides est) sed quod specialis et integralis pars non sit poenitentiae: aliud enim est aliquid praerequiri ad alicuius rei constitutionem, aliud esse partem substantialem aut integram illius rei constitutae. Calor enim requiritur ad constitutionem compositi animati, non est tamen substantialis aut integralis pars eius: pugnat enim, quod accidens sit huiusmodi pars substantiae. Sed isti non noverunt distinguere, neque ea de quibus affirmant recte iudicare. Quare profanae istae vocum novitates iuxta consilium Pauli cum suis auctoribus evitandae sunt.

Quid ergo docuit Tertullianus pro reconciliatione impetrandam?

da? Nempe quod posteriores, et quod nunc etiam docet Ecclesia: puta moerores animi, saccos, cineres, gemitus, afflictiones, orationes, confessionem, et ad genua sacerdotum prostrationem, qui loco Dei relaxent peccata, consolentur conscientias, et recta consilia subministrent. Haec sunt quae delent peccata, et promerentur veniam apud Deum; non fides sola, et ficti illi terrores: id quod magis ac magis antea in eodem libro ipsemet declaravit, de eadem poenitentia et exomologesi loquens, his verbis: *Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis ac fletibus noctes ducere, tempus oratione, lachrymosis lamentationibus occupare: strato solo adhaerere cineri, in cilicio volutari et sordibus, post indumentum Christi perditum, nullum novum velle vestitum, post diaboli cibum malle ieiunium; iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animae liberantur.* Hic nihil habent quod dicant damnatores operum et poenaliu[m] satisfactionum; nam aperta voce definit auctor iste ante mille et trecentos annos huiusmodi operibus, quod Deum promeremur, conscientia relevatur, et peccata remittuntur.

Nec in hoc derogatur Christi gloriae, aut obscuratur iustitia et meritum eius: libenter enim fatetur Ecclesia, Iesu Christi gratia et merito inexhausto donatum esse nobis ius ad regnum coelorum, et quod corpori suo adglutinemur, et filii Dei simus, et vocemur, insuper quod haec fructuosa opera in ipso confortati faciamus et excogitemus, et non aliter; neque alio modo Deo grata esse dicimus. Nunc redeamus ad Tertullianum, et ad propositum unde digressi sumus, qui haud obscure sanctae Exomologesi tribuit multa, quae nostrae deserviunt Traditioni.

Primum fassus est, quod remissio peccatorum consequitur ipsam confessionem, id quod intelligi debet, si aliae partes poenitentiae ad-
sint.

sint. Secundum, quod est necessarium genibus sacerdotum advolvi, ex qua advolutione magna allevatio animae subsequitur. Tertium, quod non debet esse sola huiusmodi advolutio, sed cum cognitione et confessione reatuum. Quartum, quod haec confessio fieri debet speciatim et singulariter; alias quomodo sacerdos in hac sacrosancta actione munus subit iudicis sententiam dicentis, et fidelis provolutus ut reus haberi potest? Ubi etiam idem auctor a facientibus Exomologesin exigit, ut non solum facti, sed voluntatis delicta, quae in latebris occuluntur, pandant: *Non simus, inquit, sicut illi, qui morbum in verecundioribus habent partibus, et ob erubescenciam male pereunt, ut non patefiant medico vulnera.*

Nil reliquum manet, quod affirmare possit Tertullianus de nostro sacrosancto tradito: ubi vides mentis peccata etiam occultissima deberi confiteri sacerdotibus, tamquam spiritualibus medicis. Unde iterum emergit, quam stulte locutus sit Luther in eo, quod docet non esse habendam rationem de sacerdote, qualis sit, sit doctus, sit indoctus, malus, bonus, serio ne, an ioco absolvat: *nil sit tibi curae, inquit, absolutus es.* Si enim medicum debet agere sacerdos, ut hi omnes doctores docent, quid dici potest stultius, aut imaginari scurrilius, quam quod nihil de qualitate et intentione eius, qui animam debet curare, attendere debeat infirmus, et quod maiorem diligentiam velit adhiberi furiosus iste in curando equo vel asino, quam in medicanda anima per Christi sanguinem redempta. Praetereo nunc huius Pseudoprophetae antilogias, ipsis Cimmeriis tenebris obscuriores, in eo quod dicit de peccatis, quae debent confiteri (*). Nam in tractatu quem edidit de ratione confitendi capite VIII. damnat ipse apostata et privatus homuncio canonem, *Omnis*
utrius-

(*) Confessio Lutheri.

utriusque sexus, a tota Ecclesia editum: quia dicit confitenda esse peccata omnia, nec vult intelligi ipsum canonem de mortalibus, sed criminalibus, quae dicit solum debere confiteri. Et alibi in suis assertionibus conclusione septima, sui iam oblitus, dicit: *Nulli prorsus remittit Deus culpam, quin simul subiiciat eum in omnibus humiliatum sacerdoti suo.* Ubi loquitur iam de culpa generaliter sumpta.

Rursus mortale peccatum distinguit a criminali contra doctrinam sanctorum; cum nullum sit mortale peccatum, quod non sit accusatione dignum apud Deum, aut apud homines ac subinde criminale. Item numquam non inculcat iste, quod omnia peccata nostra sint mortalia, et quod oppositum existimare sit *omnium mortalium mortalissimum* verbis propriis eius utitur. Unde iterum sequitur quod omnia peccata sunt confitenda. Sed quid ego horas iam male colloco cum hoc damnato, qui post tot scelera patrata, et tunicam Christi divisam, haeresesque complurimas ab eo renovatas, et disseminatas, impoenitens iam (sic enim a fide dignis accepi) ad orcum abivit: quin potius ad sanctos Patres illi infensissimos me confero?

Cyprianus huic Tertulliano fere coevus, nostrae huic sanctae Traditioni subscribit in sexcentis suae doctrinae locis: eligam mihi tres vel quatuor illustriores. Primus est in sermone quinto de lapsis, ubi commemorat hic sanctus pater, quomodo suo tempore confitebantur occulta peccata sacerdotibus ii qui metu conterriti, mente saltem succubuerant, ut Christum negarent (a): *Quamvis, inquit, nullo sacrificii (scilicet idolorum) aut libelli facinore constricti, quia tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentur, exomologesin conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, saluta-*

Tom. I. Y rem

(a) Cyprian. Serm. V. de Lapsis.

rem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: Deus non irridetur. Ex quo loco duo manifeste constant: alterum, quod tempore Cypriani confessio fiebat sacerdotibus de occultis peccatis: alterum, quod etiam fiebat de minutis et parvis, quibus omnibus salutaris medela per confessionem et satisfactionem exquirebatur. Est alius locus in eodem libro, ubi satisfactionem confessionemque Deo gratam esse affirmat, et per utramque a sacerdotibus peccata remitti asserit: Confiteantur, inquit, singuli, quaeso fratres, delictum suum, dum adhuc delinquunt et in seculo sunt, dum admitti confessio eorum potest, dum satisfactio et remissio per sacerdotes facta Deo grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, et poenitentiam criminis dolore exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi moestitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat: ad dominum toto corde redeamus, iram et offensam eius ieiuniis, fletibus, planctibus, sicut ipse admonet, placemus. En Cyprianus iterum peccata remitti per sacerdotes affirmat, et placari Deum bonis et poenali- bus operibus aperte docet, prout alii omnes sancti.

Conqueritur etiam in hoc eodem sermone Cyprianus de quibusdam lapsis, qui ante poenitentiam et confessionem sacris se ingerebant, in quos tamquam in gravium criminum perpetratores excandescit: *Ante expiata, inquit, delicta, ante Exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, pacem putant esse, et verbis fallacibus venditant? Non est pax illa, sed bellum, nec Ecclesiae iungitur, qui evangelio separatur. Ecce dicit evangelio separatos esse, qui ante absolutionem sacerdotis et confessionem putabant se in Ecclesia recipi; et quod conscientia purgatur per manum sacerdotis in Exomologesi: unde clare colligitur ex huius patris sensu, quod secreta haec confessio non est tantum pro disciplina Ecclesiae adinventata, sed ut*

purgentur conscientiae in foro Dei instituta, ac proinde non tantum utilis, sed necessaria fidelibus est. Sine qua veram poenitentiam posse fieri manifestiori voce divus iste negat, scribens ad Clerum de modo agendi poenitentiam. *Is, inquit, veram poenitentiam agit, qui Dei et sacerdotis praeceptis obediens, obsequiis suis et operibus iustis dominum promeretur.* Ubi in eo quod dicit sacerdotis praeceptis poenitentem obtemperare debere, necessario praesupponit, quod delictorum Exomologesis praecesserit. Nam praecepta sacerdotis in poenitentia, non nisi circa satisfactionem ab eo cognitorum delictorum versari solent. Datur insuper in hoc loco intelligi, sacerdotem non tantum medicum agere in hoc iudicio, sed et iudicem. Epistola etiam decima octava suae dioecesis sacerdotibus committit, ut in eius absentia infirmorum fidelium Exomologesin recipiant delictorum (a): *Ut manu, inquit, eis imposita poenitentiae, ad dominum possint venire cum pace.*

Magnus Athanasius in quodam sermone super illa verba: *Euntes in vicum, qui contra vos est: potestatem absolvendi sacerdotibus etiam tribuit, tamquam a Christo illis collatam; ubi loquens cum peccatore, sic eum docet (b): Si nondum soluta sunt tibi vincula, trade te ipsum discipulis Iesu: adsunt enim, qui solvunt vos, potestate hac a Servatore accepta, quoniam quidquid ligaveritis super terram, &c.*

Origenes super Psalmo trigesimo septimo, et secundo capite Levitici, et libro tertio *περι ἀρχῶν* huius Traditionis illustra dat testimonia. Haec sunt verba eius in uno ex praefatis locis (c). *Si quis non prius animae suae vitia, et peccatorum suorum agnove-*

(a) Idem, Lib. III. cit. Epist.

(c) Origen. loc. cit.

(b) Athan. Sermon. cit.

rit mala, et propria oris confessione prodiderit, is purgari et absolvi non poterit.

D. Hieronymus in regula, quam scripsit ad Eustochium virginem (a), postquam dicit, ut peccata quae obviant praeceptis publicis externae commissa, virgines ipsi subiectae in publicum prodant, ait: *Nec tamen propter hoc secreta cogitamina cordium prodant, nec occulta peccata, quae solis sacerdotibus debentur confiteri.*

Basilii Magni in regula monachorum specialius etiam sanctum hoc exercitium tamquam necessarium commendat his verbis (b): *Necessarium videtur his quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata, et adducit ad hoc scripturae auctoritatem (c). Et capite LXXXVIII. tam satisfactionis quam confessionis meminit: Confessio, inquit, peccatorum hanc habet rationem, quam habet vulnus aliquod corporis, vel passio, quae medico monstranda est, ita confessio peccatorum fieri debet apud eos tantummodo, qui curare haec praevalent et emendare.*

Epiphanius contra Catharos de confessione vocali mentionem etiam facit. Chrysostomus, et si Traditionum adversarii putent eum hac in re ad se pertinere, sacerdotalem tamen potestatem super conscientias fidelium magnopere extollit, eique subiici debere Christianos affirmat (d): *Sicut pater, inquit, tradidit potestatem filio iudicium faciendi, sic filius sacerdotibus. Et paullo inferius: Insania manifesta est despiciere tantum principatum, sine quo neque salutis neque promissorum bonorum compotes fieri possumus. Hi sunt enim, qui non tantum regenerant nos in baptismo, sed peccata post baptismum remittunt, et veteris testamenti sacerdotes longe exu-*

pe-

(a) Hieronym. loc. cit. cap. 9.

(b) Basilii cap. 21.

(c) Matth. III. Actuum XVIII.

et XV.

(d) Chrysostom. Libro de Sacerdotio.

perant, qui tantum potestatem habebant probandi a lepra purgatos. At nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animae sordes non modo probare, sed et purgare prorsus concessum est. Haec ille: qui non solum Sacerdotes Dei conscientiarum iudices facit; et necessitatem, ut eis subiiciantur, fidelibus imponit, quod adversarii negant, sed efficacem circa remissionem criminum Sacerdotum potestatem praedicat, contra Petrum Lombardum, et nonnullos alios, qui ostensivam sanati iam per contritionem peccatoris facultatem istam dumtaxat unico Hieronymi verbo non satis digesto contra omnes Sanctos, et Scripturam confirmare ausi sunt. Non enim dixit Christus Apostolis: Quorum ostenderitis peccata remissa, remittuntur eis, (quomodo enim constaret sibi sententia, quod remissa essent, et remittenda) sed *quorum remiseritis, remittuntur*: verum voluerunt isti nihilo pluris facere in hac parte Sacerdotium Evangelicum quam Iudaicum.

Rursus idem auctor super Matthaeum aperte sentit (a), quod confessio et discussio conscientiae occultorum peccatorum debeat fieri sicut modo fit. Et in Homilia prima super Genesin de confessione, quae in quadragesima solet fieri, expressam facit mentionem. Illud autem quod adversarii obiiciunt huic sanctae Traditioni ex Chrysostomo in Commentariis epistolae ad Hebraeos, et Homilia II. Psalmo L. ubi dicit: *Non dico tibi ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses* &c. de poenitentia publica, qua antiquitus utebatur Ecclesia (*), et de qua mentionem agit D. Gregorius in regesto epistola III. intelligit; ubi dicit, quod antiquitus veluti in theatro sub testimonio Ecclesiae delicta pandebantur, quam iustis de caussis Leo ille magnus abrogavit, epistola LXXVII. ad universos Episcopos Campaniae, et epistola LVII. ubi revocat consuetudinem, qua cogebantur

pe-

(a) Hom. XLII.

(*) Poenitentia publica.

petentes poenitentiam ad exhibendum libellum publicae recitandum : *Cum reatus conscientiarum*, inquit, *sufficiat solis Sacerdotibus indicare confessione secreta. Tunc enim plures ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis,* Ubi vides duplicem modum confessionis et poenitentiae expressum. publicae, et secretae.

Erat etiam alius tertius modus poenitendi solemniter (*), qui semel in vita tantum permittebatur, de quo mentio est apud Ambrosium (a), et Augustinum (b), et apud Dionysium (c), et in historia tripartita. De una ergo istarum publica seu solemniter dictum Chrysostomi debet intelligi : nam pluraliter dicit, quod non se prodant apud alios, et non singulariter, sicut in hac confessione auriculari solet fieri. Hoc etiam modo intelligendus est Venerabilis Beda, cum crimina quaedam contagiosa videtur dicere solum in confessione esse deducenda. Item et Nectarii Constantinopolitani Archiepiscopi factum, quo visus est rescindere confessionis statutum, prout habetur in historia tripartita intelligi debet. Qui enim fieri potuit, ut Episcopus privatus rescindere vellet et posset divinam de secreta confessione Traditionem? At quod ipse non resciderit, aut si rescidit, recepta non fuerit in sua Ecclesia rescissio haec temeraria, satis clare constat ex verbis Chrysostomi dudum a nobis allegatis, qui Nectario huic sine aliquo intermedio in cathedra episcopali successit; et ex Ecclesiae Graecae usu. Nam et usque in praesens confitentur Graeci peccata sua Sacerdotibus, ut a multis illorum accepi.

Nazianzenus quoque ille magnus, in concione quam coram Imperatore habuit de Hieremiae dictis, iudicialem hanc spiritua-

lem

(*) Triplex poenitentia.

(a) Libr. II. de poenit.

(b) Epist. ad Maced.

(c) Cael. Hier. Cap. III.

lem potestatem super peccatorum conscientiis , et absolutionem, quam in hac confessione secreta Sacerdotes poenitentibus conferunt , bis inculcat. Inquit enim , comparans potestatem Principum temporalium potestati Sacerdotum (a) : *Lex Christi sacerdotali vos nostraeque subiicit potestati atque iustis tribunalibus , dedit etiam et nobis potestatem et principatum multo perfectiorem vestris.* Ac paucis interpositis , cum ipso Imperatore loquens : *Scio te ovem esse gregis mei , a Christo mihi summo pastore adnumeratam , et a Spiritu Sancto signatam , scio te inter sacra altaria cum veneratione subiici Sacerdotibus &c.* Quid est obsecro Laicos Sacerdotum tribunalibus subditos ex lege divina esse , et manibus eorum subiici , nisi peccatores debere ad Sacerdotum genua provolvi , et post humilem suorum reatum confessionem , sententiam et consilia salubria expectare.

Nec in hac parte solum hic beatus temeritatem Lutheranorum damnat , sed etiam in his , quae attinent ad poenitentialem satisfactionem. Sic enim docet sermone de Epiphania , dum varia recenset baptismata. *Scio , inquit , et quintum baptismum lachrymarum , quod laboriosius transigitur. Sicut ille qui lavat per singulas noctes lectum suum , et cuius computruerunt et exesae sunt cicatrices, et sicut lugens et contristatus ingreditur , qui imitatur conversionem Manasse , et humilitatem Ninivitarum , per quam misericordiam consecuti sunt , qui imitatur orationem publicam eius in templo stantis a longe , et percutientis pectus suum , qui nec ausus est elevare ad coelos oculos suos , et iustificatus descendit.*

Et infra de eodem loquens : *Hoc baptismum ultimum omnium est, quod per poenitentiam transigitur et cruciatum , qui longis suppliciis toleratur , et depascitur sicut foenum materiam corporalem , et consumit oratione , quod facturae Dei intulit et invexit humana malitia.*

Et

(a) Nazianz. Conc. cit.

Et adducens illum locum Esaiæ, *Lavamini, mundi estote*, subiungit: *Vides aliud genus baptismi, quod nos latuerat, et poenae a nobis fuerat intermissum? Ecce quomodo eleemosynae delent peccata: ecce quomodo rubrum et coccinum, in quo macula et crimina sanguinis indicantur, per misericordias et opera bona et recta iudicia, per auxilium viduarum, per defensionem orphanorum, ad purgationem lanae vertitur, et ad candorem nivis mutatur.* Et tractatu de calamitate grandinis, primas reconciliationis partes tribuit contritioni hic Sanctus Praesul: *Ego, inquit, de clementia Dei polliceor, quia statim ut nos conversi fuerimus, etiam ipse Deus irasci desinet.* Quid ergo pernitiosi isti Evangelistae de sola fide cum terroribus conscientiae sibi blandiuntur, contra Scripturam et Sanctos Patres, dicentes populo suo: *Pax, pax, et non est pax.*

Nos, ut dixi, non reiicimus a poenitentia fidem, sed neque Scholastici Doctores, quibus isti multa mendatia imponunt, fidem a negotio poenitentiae excludunt, uti apud Sanctum Thomam Scholasticorum vexillarium videre est (a) Prima Secundae, quaestione CCXIII. Articulo IV. Et adhuc apud Gabrielem ut Neotericos non sileam, in suo quarto Distinctione XIV. Quaestione II. inter septem animae actiones sive motus, quos dicit ad poenitentiam requisitos (nescio an superfluo assignatos) fidei motionem praesupponit. Sed dicimus eam solum non sufficere, nec tam propinquam causam esse remissionis peccatorum, sicut contritio: quam quidem fidem, etsi nonnulli in tractatibus, quos de poenitentia ediderunt, praetereunt, causa est quod eam praerequiri in omni exercitio Christiano persuasum omnibus esse putant, et ab omnibus Christianis haberi, utpote quae fundamentum est basis Christianae salutis; nam et viam ipsam peccatori ostendit, qua ad Deum eundum est, et

pec-

(a) S. Thom. loc. cit.

intentionem dirigit et rectam facit, et per eam spes veniae in peccatoribus adgeneratur et excitatur.

Sed obiiciet carnalis aliquis, cui haec doctrina Sanctorum minime placet: Quid tu operibus nostris iustitiam Christianam tribuis? cum gratia Dei gratis iustificemur. Apostolus enim docet, quod nemo ex operibus iustificatur, et quod ex fide et non ex operibus contingit nobis iustitia, ne quis de suis viribus gloriatur. Cui vicissim et nos possemus maiori ratione obiicere: quid tu fidei solitariae tribuis quod Christus dilectioni et devotioni mentis illius peccatricis ad se conversae contulit; dixit enim (a): *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* Et alibi: *Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis;* et quod si dimisserimus nos offensiones a proximis nobis illatas, remittet et nobis pater coelestis peccata, quibus nos ipsum offendimus, et in districto illo iudicio propter bona opera collocaturum se promittit ad dexteram suam bonos operarios. Idipsum inculcat, cum alibi dicit (b): *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui faciunt voluntatem Patris mei.* Iacobus quoque fidem inutilem et mortuam dicit sine operibus. Quid quod Paullus ipse ad Romanos dicit, operatores legis iustificari apud Deum, et quod reddet Deus unicuique secundum opera sua? Et alibi (c): *Si habuero fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Et ad Galatas (d) quae sit haec fides, quae in Christo Iesu valeat, cui ipse tantum tribuit, ipse explicat, nempe fides cum charitate coniuncta, *quae per charitatem operatur.* Hi loci et multi alii qui obiici possunt carnali Lutheranorum philosophiae, illustriores

Tom. I. Z sunt,

(a) Luc. VII. 47.

(b) Matth. VII. 21.

(c) I. Corinth. XIII. 2.

(d) Ad Galat. V. 6.

sunt, quam qui calumniam et distortam glossam patiantur. Recte distinguit (a) Augustinus in hac controversia, quae videtur esse inter verba Paulli et Iacobi de fide et operibus, quod hic loquatur de operibus, quae fidem consequuntur quando eam magnificat, et tantopere commendat: Ille vero de operibus, quae ipsam praecedunt, et solis viribus naturalibus per timorem legis ab hominibus operantur; nam de huiusmodi operibus erat Paulo quaestio, cum illa verba dicebat, non de iis, quae per fidem adiutorio Spiritus Sancti operantur, de quorum numero est contritio, et alia bona opera, quibus Deum promeremur.

Quod vero attinet ad gratuitam iustificationem quae videtur excludere opera, eo quod si gratis salvamur ut Apostolus arguit, iam non ex operibus. Hoc modo solvit Augustinus octava ad Dulcitium quaestione (b): *Haec quaestio nullo modo mihi videtur posse solvi, nisi intelligamus et ipsa bona opera nostra, quibus aeterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere. Ipsius enim sumus figmentum, in Christo Iesu creati in operibus bonis, quae praeparavit, ut in illis ambulemus. Itaque fatemur nos gratis atque gratissime iustificari, quia gloriam, gratiam, contritionem, et ipsa opera quibus ad Deum tendimus, effectus sunt gratiae et misericordiae Dei, qua nobiscum, alias ad bonum ineptis, cooperatur Deus, quibus promissit vitam aeternam. Nec ob id quod dicimus per contritionem hominem Deo reconciliari, fiduciam collocamus in operibus, sed in eo, qui per filium suum haec nostra qualiacumque obsequia ad tantam dignitatem evexit, ut inaestimabiles divitias eius promereremur. Illi enim spes nostra solum incumbit, qui coronat nos in misericordia et miserationibus; qui dixit (c): Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Et alibi*

(a) Augustin. Psalm. XXXI.

(b) Augustin. loc. cit.

(c) Matth. XI. 8.

bi (a) : *Revertimini ad me , et ego convertar ad vos.* Et per Psalmographum (b) : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicias.* Hoc docet Ecclesia , et viri in ea recte instituti.

Sed patere , obsecro lector optime , ut tibi huius Nazianzeni beati locus alius recitetur in tractatu , quem scripsit de se ipso ab agro reverso, contentus, in quo dogma istud perniciosum de sola fide plane damnat (c) : *Sicut, inquit, sine fide nullum opus bonum acceptabile dicitur, ita fides sine operibus mortua dicitur. Nemo vos seducat inanibus verbis eorum qui facile indulgent pro uno solo ut credatur, fidei mercedes pessimas praeparantes. Ego autem apostolici vobis verbi auctoritatem denuntio , ex operibus vestris ostendite fidem vestram , et ex ubertate fructus, quod bona terra sitis et optima , protestemini. Videte si est in vobis manipulus , habens in se virtutem faciendi farinam, si est in vobis fructus dominicis horreis dignus , si quis in vobis affert centesimum fructum , aut si quis sexagesimum , certe ad ultimum vel tricesimum.* Tam dilucide his verbis novos istos Evangelistas persequitur hic vir apostolicus , ut ipsos videatur habere praesentes. Nam ut a sola fide mercedem adimit , ita etiam cum fructuosis operibus eam optime coniungit , et opera bona dignos fructus per quos reponi debent Christiani in horreis Domini, vocat , nec non varios gradus meritorum in eis collocat , puta centesimum , sexagesimum , et tricesimum. Quae omnia adversarii non admittunt contra omnem consensum Sanctorum, quos in praesentia non persequor : quia multi hanc materiam exacte ac copiose tractarunt.

Scio dicent adversarii , nos cum fide coniungimus bonam vitam , quam dicimus esse a fide inseparabilem , quod et Augustinus videtur sentire ; sed falsi sunt etiam in hoc. Augustinus enim in libro de fide et operibus , non cum fide sola , sed cum

(a) Zach. I. 3.

(c) Nazianz. cit. tract.

(b) Psalm. L. 19.

fide et charitate bonam vitam inseparabiliter coniungit, dicit enim (a): *Inseparabilis est bona vita a fide quae per dilectionem operatur, imo vere ea ipsa est bona vita.* Quod si nexum alium velent fingere inter fidem et charitatem necessarium, meminerint falsi Augustiniani isti Augustinum in epistola ad Sixtum dixisse, quod *fides impetret iustificationem, quam fidem si quis dixerit esse daemoniorum, ipso est daemonio deterior.* Ante ergo quam iustificationem impetrat peccator, quis non videt eam esse sine charitate? quare ex capite suo fingunt hanc connexionem adversarii. Hieronymus confessionem hanc occultorum peccatorum particularem Sacerdotibus fiendam, multis in locis suae doctrinae, tanquam quid necessarium commendat, maxime super Ecclesiasticum (b): *Si quem, inquit, diabolus occulte momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, et non egerit poenitentiam, nec vulnus suum fratri suo et magistro voluerit confiteri, magister ei prodesse non poterit. Si enim erubescit aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat.* Idem super Esaiam dicit (c), presbyterum alligare vel solvere pro officio suo, cum peccatorum varietatem audierit et noverit, qui ligandus sit, et qui solvendus.

Augustinus efficaciam huius sancti instituti manifestis etiam verbis declarat, cum poenitentem peccatorem alloquitur (d): *Es-to tristis antequam confitearis, confessus exulta, iam salvaberis: non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat, adhibet medicus fomenta verborum, tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione, et defluat omnis sanies.* Tractatu etiam XXII. super Ioannem, comparat con-

(a) Cap. XXII.

(b) Hieronym. Cap. XVIII. in Ec-
clesiast.

(c) Cap. XIV. et super Matth.
Cap. XVI.

(d) August. super Psalm. LXVI.

fitentem Lazaro a mortuis resurgenti, et iudicem Sacerdotem Apostolis Lazarum solventibus. Auctor etiam quisquis ille fuit (nam satis vetustus est) qui librum de visitatione infirmorum Cap. IV. et de vera et falsa poenitentia composuit, aperte dicit necessarium esse peccatori, ut quaerat Sacerdotem scientem ligare et solvere, cuius iudicio et potestati se totum subiiciat, iussisque pareat: *Nec dico, inquit, ut soli Deo, sed Sacerdoti Vicario Dei confitearis, aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula. et conscientiarum verecundarum penitiora revela repagula, alioqui sine causa dictum est: Quae solveritis super terram: ergo sine causa datae sunt claves Ecclesiae Dei. Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi.* Vides ut confirmat hic auctor confessionis necessitatem ex necessitate potestatis et usus clavium a Christo Ecclesiae collatis, prout nos in principio docebamus.

Est percelebris etiam de hac sancta Traditione memoria in Concilio Ancirano ante mille ducentos quadraginta annos celebrato, quae sic habet (a): *Qui auguria, vel auspicia, sive somnia, vel divinationes secundum morem gentilium observant, aut in domo sua huiusmodi hominum genus introducunt ad exquirenda aliqua, aut domos lustrant, confessi quinquennio poenitentiam agant.* Adest tibi sensus Ecclesiae Orientis circa venerabile confessionis Sacramentum. Omitto hic Leonem, magnum Gregorium, qui poenam imposuit Sacerdotibus revelantibus confessionem, Isidorum, Bernardum, Haymonem, Hugonem, Richardum, D. Thomam, et recentiores alios, insuper determinationem Lateranensis Concilii, quae praefixit tempus auricularem confessionem faciendi, in qua ex toto orbe Patres de hac re et aliis unanimiter convenere. Quae consulto feci, ne mendaciter dicant huius sanctae Traditionis impugnatores, quod a trecentis et quadringentis annis haec institutio introducta est,

aut

(a) Synod. Ancirana.

aut a tempore Novati haeretici, prout fallit unus ex auctoribus historiae tripartitae: de industria enim eos solos recensuimus, qui in tota illa aetate martyrum floruerunt, testes doctrinae apostolicae oculatos, et omni exceptione maiores.

Latrant contra hoc institutum carnales homines, dicentes: durum iugum esse revelare secreta cordis homini, qui posset aliis si volet, propalare, ut exempla nonnulla docent. Consideratio haec a sensu carnis procedit, et in superbia videtur habere radices. Quid enim durum debet videri et factu difficile, quod saepissime dissoluti homines coram multis sponte sua, et quasi ridentes solent facere: crimina enim quae perpetrantur, et plerumque ea quae non cogitaverunt, effutiunt. Et cordati etiam homines cum amicis suis, mala quae comminiscuntur, passim communicant.

Quanto securius in sinum probi, et prudentis Sacerdotis, qui locum Dei tenet, secreta nostri pectoris refundemus? A quo salubre consilium, vulnerum medicinam, animae consolationem expectamus, Dei voluntatem in hoc complentes, qui voluit nos suis Sacerdotibus subiici, quos firma coniectura credimus famam nostram et conscientiam minime traducturos: certe qui hoc non considerat satis carnaliter sapit. Nemo offendatur propter quorundam malorum Sacerdotum exempla: noster abusus divinum institutum non potest vitiare: nihil tam sanctum et laudabile, quo non possit abuti humana malitia. Eligat unusquisque Sacerdotem sapientem et probum, et si ad manum non habet, quaerat diligenter: faciat in cura animae, quod solet facere in dispendio salutis corporis, quam ut in pristinum statum restituat semper eligit doctiorem et prudentiorem medicum, et tunc nihil vereatur; succurret proculdubio Deus necessitati suae. Nec moveatur ob id quod adversarii huic doctrinae apostolicae

imponunt, scilicet, doceri in ea miseram conscientiarum carnificinam, ut nimis anxie numerentur omnia peccata, et confiteantur: nam tantum docent confitenda esse mortalia vel dubia, quae cum moderata et prudenti diligentia et examine conscientiae possint memoriae succurrere.

Quod si istud adhuc grave alicui videtur, attendat ad fructus, quos parit hoc sanctum exercitium, et continuo sibi leve videbitur: hoc enim disciplina Christiana retinetur, conscientia sanatur, anima per consilium et vocem Sacerdotis consolatur atque curatur. Insuper evitantur multa peccata, prodest magno-
pere Reipublicae: nam peccata quae magistratus propter defectum testimonii, et accusatoris ulcisci non potest, hoc secreto confessionis iudicio, ubi omnia mortalia saltem manifestari debent, reformantur, et ad aequitatis regulam componuntur: quid plura? Necessaria et utilis est, et a Deo praecepta haec confessio, et via securior ad reconciliandum nos Deo, et idcirco minime omittenda, imo eo magis amplectenda, quo plus carnalis sensus ab ea refugit.

Sed quia cum Traditione confessionis in locis Sanctorum, quos adduximus, coniungimus contritionem et satisfactionem, qua perfecte Deo reconciliantur peccatores per bona et poenalia opera. Videamus paucis quid ex Petri doctrina, quae vere Traditio Dei est, in hac parte mutuaverit praefatus Clemens, diligentissimus Traditionum custos. Is ergo beatus referens ea, quae a Petro acceperat, de conversione sic docet (a): *Tam iuvenes quam senes de conversione et poenitentia valde esse sollicitos oportet, satisque agere ut haec quam digne agant.* Et infra postquam exercitium omnium virtutum ad poenitentiam recte agendam commendavit, subiungit: *Orare oportet semper Deum ex toto corde, et*

ab

(a) Clemens epist. II.

ab ipso petere quae decet, ipsi gratias agere, veram poenitentiam agere praeteritorum gestorum, aliquantulum etiam si possibile est per misericordias pauperum iuvare poenitentiam: per haec enim facilius venia datur, et indulgenti citius indulgetur; et concludit post multa: Itaque festinet omnis aetas, omnis sexus, omnisque conditio ad poenitentiam, ut vitam consequatur aeternam.

Vides quommodo Petrus per bona opera poenitentiam adiuvare dicit, Deumque illis poenitentes promereri affirmat? De ira et vindicta, quam peccator poenitens adversus seipsum debet excitare, modo a Deo ipso non velit severe puniri, sic docet idem Sanctus (a): *Festinandum est ad salutem, ne forte mors repentina praeveniat, ob idque acrius innitendum est, ut male consuetudinis collecta vitia resecentur: quod non aliter facere potestis, nisi ut irascimini adversus vosmetipsos, pro his quae inutiliter et turpiter fecistis: haec enim est utilis et necessaria iracundia, ut unusquisque in quibus erravit, et perperam gessit, indignetur, et semetipsum accuset, ex qua indignatione accenditur in nobis ignis quidam, qui velut agro sterili immissus, consumptis, et excoctis pessimae voluntatis radicibus, bono seminis verbo fecundiolem cordis praeparet glebam.*

Quam clarum et facilem, verum et simplicem nobis proposuit iustificationis ordinem, qui per poenitentiam fit hic beatus. Nam primo praesupposuit fidem, et id quidem recte: sine illa enim neque irasci peccatis possumus, nec ad salutem nobis paratam festinare, ut ipse dixit, neque ad Deum oculos sublevare, aut a peccatis expergisci. Deinde iracundiam, quae ex recognitione miseriae peccatorum procedit, posuit, quae illorum detestationem necessario includit: detestamur enim id adversus quod ex odio irascimur. Tertio amorem, quem ignem divinum appellat, et in nobis, et per nos Deus facit, qui forma contritionis est,

(a) Epist. IV.

est, et per quem apta redditur anima ad recipiendum Deum ipsum in se, et tertio et ultimo loco assignat. Utinam tam plano pede doceretur nunc iustificationis ordo, et non tam rixosis concertationibus confunderetur Christiana iustitia: certe cessarent tot dissidia, tot librorum quinterniones, qui in immensum quotidie excuduntur, nescio an cum sola papyri et attramenti iactura.

Hunc ordinem fere docent omnes Sancti, et praesentis Ecclesiae Doctores, quamquam diversitate opinionum, circa ea quae hanc materiam concernunt, multum confusionis inductum sit: a quo longo intervallo hi (qui se dicunt Protestantes) distant. Nemo enim Sanctorum Patrum, partes substantiales poenitentiae fidem et terrores assignavit, nec Sanctus iste horum meminit. Sed neque Ioannes Apostolus, cum Angelos, id est, Asianos illos Episcopos a peccatis vellet retrahere et Deo reconciliare, aliquam mentionem facit de fide, sed operum et resipiscentiae (a): *Habeo* (inquit Angelo Ephesi) *adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et agere poenitentiam, et prima opera fac.*

Nec cum iuvenem dissolutum illum, de quo fit mentio in historia tripartita ad poenitentiam idem Ioannes recipit, dicit illi ut fidem habeat, sed per lachrymas uberrimas, et cordis gemitus, quos in eo vidit, dexteram illi dedit, et in Ecclesia recepit, purgandum ulterius per crebra ieiunia, et orationes fidelium; et merito id quidem. Nam alterum, puta fides, actio intellectus est, et, ut adversariorum verbis utar, assensio est Evangelii, quam existentes in peccato haberi posse, etiam cum aliquo motu inefficaci exeundi a peccatis, ut ipsa experientia quotidiana nos docet, ne dicant adversarii illam esse daemoniorum: alte-

(a) Apoc. II. 4.

rum vero, scilicet terrores, mera passio est, et ab extrinseco saepenumero provenit.

Hae vero, qui possunt esse propinquae et substantiales partes poenitentiae, cum poenitentia ut ipsa ratio vocabuli indicat, resipiscentiam a peccatis et conversionem ad Deum prae se ferat, quae ad voluntatis propositum attinent. Adde quod non semper iustificatio a terroribus incipit, sed multoties a consideratione misericordiae Dei. Contritio autem nunquam a iustificatione, quae per poenitentiam fit, separatur. Dicit enim Chrysostomus loquens de reconciliatione peccatoris (a) : *Qui continuo suam tenuitatem agnoscit, et eminentem divinam misericordiam cogitat, quomodo res nostras gubernans et dispensans, non attendat quid mereantur nostra peccata, sed ad suam bonitatem: is nimirum mentem humiliat, cor conterit, omnem fastum atque arrogantiam castigat, discit modeste agere, contemnere praesentis vitae gloriam, cogitare futurae vitae immortalis bona: qui sic afficitur animo, verum et acceptum sacrificium Deo offert, sicut Propheta dicit, sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. Cordatos enim famulos non tam poenae supplicia emendant, ut beneficia, et agnoscere quod non iuxta delictorum merita poenam luerint.*

De contritione autem sic docet idem Chrysostomus (b) : *Tanta est Dei erga nos misericordia, quod ubi viderit voluntatis nostrae firmum propositum, et ferventi nos desiderio ad se accedere, non retardat neque differt, sed accelerat, suamque solitam liberationem exhibens, dicit: Adhuc loquente te ecce adsum. Hactenus de traditione confessionis et suis annexis dixisse sufficiat, reliquis consulto praetermissis, tamquam ad hoc nostrum institutum minime pertinentibus.*

QUAR-

(a) Chrysost. Hom. IX. in Genes.

(b) Idem Hom. XXII.

QUARTA CONSIDERATIO.

De Ordine.

NOta sunt satis Scripturae loca, quibus sacratus Ordo sacerdotalis et episcopalis fulcitur a Sanctis et Catholicis Doctoribus. Nam Matthaei XVIII. potestatem quam hodie exercent Episcopi Apostolorum successores, puta excommunicandi, et indignos, ac rebelles a dignis Christianis separandi, simul cum obedientia quae illis debetur, Apostolis et successoribus suis Christus Dominus noster contulit. Dicit enim postquam de fraterna correctione disseruit (a): *Si Ecclesiam non audierit* (rebellis et contumax) *sit tibi tamquam ethnicus et publicanus*; et conversus ad Apostolos, quibus id muneris delegabat, adiecit (b): *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis in terra, erunt soluta et in coelo.* Adest tibi potestas, quae iurisdictionis dicitur, Sanctis Apostolis et eorum successoribus delegata, quantum ad formam Ecclesiae externam.

Sic enim interpretati sunt istum locum omnes Sancti, maxime Cyprianus et Alexander primus, Apostolorum discipulus, epistola II. ad Aegyptios, et Fabianus martyr epistola ad omnes Christianos, Athanasius in quodam sermone super illud: *Euntes in Castellum*; Episcoporum potestatem et obedientiam commendantes. Quantum vero ad munus doctrinae, et potestatem iurisdictionis erga conscientias fidelium attinet, eam Christus post resurrectionem suam illis etiam contulit, Ioannis XX. (c): *Pax vobis*, inquit Apostolis post resurrectionem: *Sicut misit me pater, ego mitto vos*; et hoc dicens insufflavit, et dixit (d): *Accipite Spiritum*

Aa 2

tum

(a) Matth. XVIII. 17.

(b) Ibid. v. 18.

(c) Ioann. XX. 21.

(d) Ibid. v. 22. et 23.

tum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum autem retinueritis, retenta sunt. Quae verba tractans D. Ambrosius non solum divinam hanc potestatem Apostolis collatam affirmat, sed et successoribus eorum Domini Sacerdotibus (a): *Munus, inquit, Spiritus Sancti, officium Sacerdotis est, ius autem in solvendis ligandisque criminibus Spiritus Sancti est. Et capite primo: Quid interest utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc ius remittendorum peccatorum omnium Sacerdotes sibi vendicent? unum in utroque ministerium est, ut in lavacro operatur mysteriorum gratia, ita in poenitentia nomen Dei.* Et libro II. Sacerdotes comparat Apostolis (b), qui Domino iubente Lazarum suscitatum solverunt. Haec de potestate Apostolis et successoribus collata super corpore Christi mystico, quod est Ecclesia.

De potestate vero super vero Christi Corpore, puta conficiendi sacram Eucharistiam, est locus apud Lucam (c): *Hoc facite*, inquit Christus in coena postquam Sacramentum instituit, *in meam commemorationem*; quibus imperativis verbis actio communicandi et consecrandi Apostolis praecipitur; illud enim iubet facere, quod Apostoli ipsum Christum videbant facere: ille autem non solum corpus suum distribuit, sed et consecravit. Cum igitur actio ista, quae omnis excedit creaturae potentiam, fieri non possit sine facultate et potestate collata divinitus, consequitur faciendi subinde potestatem et consecrandi, et Corpus Christi distribuendi illis fuisse concessam; maxime cum actiones istae non semel aut bis aut pro tempore Apostolorum, sed usque ad finem seculi, ut Paullus (d) exponit, in Ecclesia exerceri debuissent: quod satis confirmat potestatem istam, sicut

ne-

(a) Ambros. de Poenit. Libr. I.

(b) Ibid. Cap. V.

(c) Luc. XXII. 19.

(d) I. Corinth. XI. 26.

neque alias, ad solos Apostolos pertinere, sed ad successores eorum usque ad finem seculi.

Quod vero successio haec per Dei voluntatem in Ecclesia sit introducta, multi etiam loci scripturae demonstrant. In Actis enim Apostolorum (a) manifesto id indicat Paullus, cum a Presbyteris Ephesiorum discederet, quibus hoc modo praefatur: *Attendite vobis, et universo gregi vestro, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Idem ad Titum (b): *Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt, corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego constitui tibi:* Quibus verbis satis notum evadit, non solum Apostolos successoribus suis potestates has delegasse (nam et hunc a Paulo fuisse creatum Episcopum Ambrosius affirmat) sed et ordinatos ab eis rursus alios loco sui cum similibus praerogativis posse subrogare.

Unde D. Augustinus versans illud: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii*, illustre de hac successione dicit testimonium, loquens cum Ecclesia (c): *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti Episcopi: hodie enim Episcopi unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres ipsos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos instituit in sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paullum, quia non vides illos per quos nata es: de prole tua tibi succrevit paternitas, pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Et B. Cyprianus epistola ad Cornelium (d) perditam et sacrilegam mentem putat eam, quae Episcopum aut Sacerdotem sine iudicio et voluntate Dei ordinari autumat: id quod factis suis Apostoli omnes demonstrarunt. Nam nemo eorum fuit qui instinctu et voluntate Dei successorem

rem

(a) Act. XX. 28.

(b) Titum I. 5.

(c) Aug. in com. super Psal. XLIV.

(d) Cyprian. Epist. III.

rem aut successores non subrogaret, quos in tantum Ecclesia venerata est, ac si Apostolos ipsos praesentes habuisset.

Est etiam ad hoc ratio, quae satis urget: nam cum Christus Deus noster non ignoraret Ecclesiam suam per omnes aetates seculi propagandam, et ad utilitatem eius (ut Apostolus dicit, omnia propter vos, sive Paullus, sive Cephas) potestates has ordinasset, et instituisset, ex consequenti etiam volebat cum ipsa iugi Ecclesiae successione potestates has spirituales continuo a patribus in filios, a filiis in nepotes derivari, et continuo tenore fluere: ex necessitate enim finis sumi debet necessitas eorum, quae sunt et ordinantur ad finem.

Quo autem modo potestas ista communicaretur, et conferretur, Scriptura Sacra non omnino silet. Legimus enim Act. XIII. Paulum et Barnabam per impositionem manuum divina dispositione ad Apostolatus munus fuisse ab Apostolis delegatos, ieiunio et orationibus praecedentibus: unde puto aliam laudabilem Traditionem in Ecclesia ortum habuisse, ut non nisi praecedenti ieiunio Ordines in ea ab Episcopis celebrentur. Item Apostolus ad Timotheum (a): *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum του πρεσβυτεριου*, id est, *presbyterii*; quasi diceret, et quae data est tibi per manuum impositionem, qua dari solet ordo presbyterii. Et (b): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*, inhibet Timotheum Apostolus, ne sine delectu ordinet Presbyteros, sed matura deliberatione (c): *Manus, inquit, nemini cito imposueris, nec communicaveris peccatis alienis.*

Hic autem ritus impositionis manuum unde processerit, videtur mihi cum Tertulliano ipsum ex antiqua lege defluxisse, quo
prae-

(a) I. Timoth. IV. 14.

(b) II. Timoth. I. 6.

(c) I. Timoth. V. 22.

praerogativas dignitatum solebant posteris suis impartiri vetusti illi Patres. Nam Iacob patriarcha per impositionem manuum nepotes suos Ephraim et Manassem ad ius filiationis et haereditariae successionis ascripsit. Et Moyses sanctissimus non aliter Iosue filium Nun loco sui moriturus subrogat, quam imponendo ei manus, et per huiusmodi impositionem Spiritum Sanctum ad recte gubernandum conferendo; dicitur enim (a): *Iosue filius Nun repletus est Spiritu Sancto, quia Moyses posuit super eum manus suas:* ut videas non esse levem ceremoniam hanc impositionem manuum, quam Deus primitus introduxit, et filius eius gratiarum omnium distributor ratam esse in lege voluit: id quod Dionysius significat (b).

Quare non assentior iis, qui dicunt non esse de substantia Diaconatus, et Presbyteratus manuum impositionem, ducti solummodo cuiusdam decreti Gregorii noni auctoritate, ubi dicitur quod si manuum impositio omissa fuerit in ordinatione istorum graduum, postea non iteretur ordinandi ritus: quia si bene advertissent ad ea quae sequuntur, aliter forte sentirent: Praecipitur enim ibi, ut postea statuto tempore, caute suppleatur huiusmodi defectus manuum impositionis: quod non diceret nisi ad substantiam collati ordinis hic ritus pertineret.

Etiam ex eadem scriptura constat tres esse gradus ordinis et potestatis ecclesiasticae. Invenimus enim Diaconos ab Apostolis ordinatos, ut patet Actuum VI. Presbyteros vero et Episcopos ab ipso Christo Redemptore nostro: et postmodum dispositione divina ab ipsis Apostolis ordinatos, ut longe lateque deduximus. Aliquando autem vidimus, quod nomina Presbyteri et Episcopi se mutuo in scriptura confundunt, quod non parum negotii olim exhibuit Divo Hieronymo adeo ut in commentariis

epi-

(a) Deut. XXXIV. 9.

(b) Dionys. cap. 5. Eccles. Hier.

epistolae ad Titum et epistolae ad Evagrium, visus fuerit dicere, olim eundem fuisse Episcopum et Presbyterum, sed propter schismata vitanda, unus inter multos electus est, qui omnibus praeficeretur, ne scilicet unusquisque ad se ipsum traheret Ecclesiam, dicente alio ego sum Pauli, alio vero, ego sum Cephae: quod et Acrius etiam praesensit, ut auctor est Epiphanius.

Et quamvis crediderim confusionem, quam D. Hieronymus praetendit fuisse olim inter Episcopum et Presbyterum, debere intelligi solum quantum ad potestatem iurisdictionis, et exterioris superintendentiae, eo quod ipse epistola XXXV. ad Nepotianum clare dicit, hoc esse Episcopum et Presbyterum, quod Aaron et filii eius, et epistola ad Heliodorum, pontificem parentem aliorum graduum facit: tamen propter contentiosos, qui Hieronymum in suas partes conantur detorquere, etiam si ab illo esset assertum, minime verum puto, salva reverentia quae tanto viro debetur. Nam praeter hoc quod sanctis Traditionibus repugnat, ut videbimus, sacrae etiam scripturae videtur adversari, in qua hos ordines sacerdotum adumbratos legimus. Christus enim Redemptor noster post electos duodecim Apostolos, designasse etiam dicitur alios LXXII. discipulos (a), quos misit binos ante faciem suam; quibus omnia ecclesiastica officia exercere minime licebat, nisi ex particulari Christi privilegio, ut Ananiae discipulo, qui Paulo manus imposuit forte concessum est. Unde in Actis (b) Apostolorum Petrus et Ioannes inter Apostolos primarii ad Samaritas mittuntur, ut per manus impositionem ipsorum Spiritum Sanctum reciperent recens a discipulis baptizati: id quod Philippus et alii Christi discipuli minime ausi sunt attentare (c). Rursus cum aliqui delegebantur ad discipulatus

(a) Luc. X.

(b) Act. IX.

(c) Cap. 6. ibid.

tus munus , a solis Apostolis mittebantur per impositionem manuum ordinati : quod magnum indicium est , Apostolos et discipulos Domini , ex Christi instituto non esse aequalis potestatis aut auctoritatis.

Habes ergo ex divino scripto iure primo tres ordines principales ; habes potestates his ordinibus annexas ; habes successionem et creationem istorum ordinum : et quomodo per Apostolos fiebant , et non per magistratus seculares , ut temere faciunt Lutherani.

Habes etiam quodammodo adumbratam distinctionem sacerdotalis ordinis in duos ordines praecipuos , Episcopii et presbyterii : nunc videamus quid hic suppleat et declaret divina Traditio , et Ecclesiae Apostolicae unanimis assensus.

Primo , hos duos sacerdotii ordines a Domino fuisse distinctos in Episcopos et sacerdotes , Clemens beatissimus I. sua epistola clara voce praedicat , loquens de his , quae Petrus illum docebat (a) : *Episcopos* , inquit , *vicem gerere Apostolorum Dominum docuisse Petrus aiebat*. Quod et D. Anterius affirmat in epistola ad Episcopos Baeticae. Sanctus quoque Ignatius Apostolorum discipulus ad Magnesianos (b) , assignans rationem obedientiae , quae debetur Episcopo , et quam ipse vehementer commendaverat , ait : *Quia Episcopus non ab homine , sed a Deo habet promotionem*. Idipsum tamen D. Anacletus martyr , successor huius in III. sua epistola expressius confirmat (c) : *Sacerdotum , fratres , ordo bipartitus est , et sicut Dominus illum instituit , a nullo debet perturbari*. Et infra : *Episcopi Apostolorum locum tenent ; Presbyteri autem 70. discipulorum*. Et postquam dixit Episcopos non debere praefici in castellis aut modicis civitatibus , Presbyteros

(a) Clemen. cit. Epist. I.

Anaclet. Epist. III.

(b) Ignatius Epist. III.

vero in illis collocari debere, concludit: *Amplius quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis a Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Ecce a Deo dicit esse institutos atque distinctos hos duos sacerdotii ordines. Post vero dicit, quod Episcoporum unus est ordo, quamquam inter eos sit aliqua graduum differentia, ut puta primates et Archiepiscopi; quorum constitutio et divisio mera Apostolica Traditio est, et non divina.

Hic clare convincitur sententiam illam, quae Divo Hieronymo tribuitur, dominicae Traditioni repugnare: Nam si divina auctoritate ordo sacerdotum bipartitus est, scilicet in Episcopos et Presbyteros, et Episcoporum omnium unum esse ordinem fatetur, quamvis inter ipsos sint gradus dignitatis; clare consequitur ex dominica Traditione multo magis differre Episcopum a Presbytero, quam Archiepiscopum ab Episcopo: sed inter hos est huiusmodi differentia gradus praecminentiae, ergo inter illos est multo maior differentia, quae non videtur qualis sit nisi ordinis et divinae potestatis, quam habeat Episcopus prae sacerdote simplici.

Adde quod istud olim, in quo videtur Hieronymus dicere, quod idem erat Episcopus quod et Presbyter, nusquam fuit, neque signabile est: nam tempore Apostolorum distincti erant Episcopi a Presbyteris ut patet per ea, quae in regulis ipsorum (a), quas constat ab Apostolis Antiochiae institutas fuisse, ut iam videbimus, tradita legimus: ubi de Episcopo, Presbytero et Diacono fit expressa mentio: et gradibus inferioribus saepissime inculcatur obedientia quae Episcopo debetur, maxime in Canone XXX. et XXXIII. qui sic statuit: *Si quis Presbyter contemnens Episcopum suum, seorsum collegerit, et altare aliud erexerit, deponitor.* Et Canon I. (b) modum ordinationis utriusque Pres-

by-

(a) Canones Apostolorum XXX. et XXXIII. (b) Canon I. Apost.

byteri scilicet et Episcopi praefigit. Item Petrus in epistola Clementis distincta illis tribuit munera. D. Ignatius in prima epistola ad Trallianos, et epistola ad Heronem. Ubi igitur latet tempus istud, quod qui Traditioni huic adversantur, affirmant fuisse? certe quod numquam fuit, mirum non est quod non compareat. Sanctus quoque martyr Urbanus peculiarem hanc Episcopi potestatem non tantum ex electione, sed divina auctoritate collatam illis esse dicit, epistola ad omnes Christianos: *Sedes, inquit, Episcoporum in Ecclesiis speculationem et potestatem iudicandi, solvendi, atque ligandi, sibi a Domino datam docet.* D. Dionysius loquens de ordine Pontificum (a); huic, dicit, *praeter ordines ceteros in sui ministerium divina lex officia sacratoria tribuit.* Amplius si Episcoporum status et dignitas esset ab hominibus duntaxat, posset etiam per homines tolli: quare in potestate subditorum esset suos pastores a sedibus propriis remove, ac subinde totum Ecclesiae statum et ordinem subvertere, ut qui modo esset Episcopus, cras esset Presbyter et Diaconus: certe haec concedere manifeste est Christum de improvidentia arguere, qui praesidentes et vicarios suos voluerit ex arbitrio minorum dependere, quod non modo periculosum, verum et seditiosum est.

Pugnat etiam cum hac sententia alia de missione et creatione Episcoporum divina Traditio, cuius meminit idem D. Clemens in prima sua epistola referens mandatum Petri (b): *Episcopos per singulas civitates, quibus ille (scilicet Petrus) non miserat, doctos et prudentes iuxta Domini praeceptionem nobis mittere praecepit:* ubi vides in creatione et missione Episcoporum duplex mandatum, Christi videlicet et Petri: non ergo Episcopalis dignitas ab hominibus solummodo dependet.

Bb 2

Sed

(a) Dionys. cap. 5.

(b) Clemens Epist. I.

Sed et D. Damasus ante mille centum annos Episcopos distinguit a sacerdotibus, non nomine solum et iurisdictione, sed potestate: cum in epistola ad Episcopos Africae, Chorepiscopos, id est, villarum parochos, qui solum presbyterii praerogativa gaudebant, in simplicium sacerdotum ordinem redigit, eo quod munia Episcoporum sibi arrogabant (a). *Ipsi, inquit, Chorepiscopi, idem sunt, qui et presbyteri, qui ad formam et exemplum inveniuntur prius instituti, sed quia Deo gratiae modo in ministerium, sicut in primitiva Ecclesia necessarii non sunt, et illicita praesumunt, ideo ab omnibus Episcopalibus sunt remoti officii.*

Observa hic lector obiter in hac D. Damasi sententia causam, cur fortassis in Paulli epistolis et Actis Apostolorum nomina Episcopi et Presbyteri invicem confundantur: nam quia Apostoli in uno loco non semper residebant, sed in varias regiones gratia disseminandi evangelii migrabant, et penuria erat tunc hominum doctorum et spiritualium: aut si copia erat, non vacabat tamen Apostolis tam exacte eos exquirere, multis in locis Presbyteros relinquebant, quibus Episcopii, id est, superintendendae munus impartiebantur, propter Ecclesiae necessitatem, aliqua munia Episcopalia illis permittentes: a quibus puto profluxisse in Ecclesia Chorepiscoporum gradum: non quod illis simpliciter Episcopalis dignitas conferretur: nam non omnia in principio perfecte fieri poterant in Ecclesia, sed in multis ab imperfecto ad perfectum procedebant Apostoli: sicut Deus etiam solitus est in operibus naturae procedere.

Atque haec fuit causa, quod Apostolus Ephesios illos, quos prius vocavit Presbyteros, postea appellaverit Episcopos. Episcopi enim nomen, ut hoc loco docet Damasus (*), non simplicis, sed multiplicis significationis est. Pergit tamen Damasus eos-

dem

(a) Damas. Epist. cit.

(*) Episcop. nominis multiplicitas.

dem Chorepiscopos, nostra hac Traditione removere: *Si Presbyteri, inquit, volunt vocari, quid erunt? aut sunt nihil aut aliquid? si nihil, ut cadant necesse est, non oportet ut sacerdotali catalogo censeantur: si aliquid, cum Episcopi non sint, restat ut sint Presbyteri: nam eorum ordo in divinis literis auctoritatem non habet: et postquam discurrit per ea munera, quae Chorepiscopis Traditione divina erant denegata, et vice versa Episcopis concessa, subiungit: Solis Apostolis eorumque successoribus proprii officii est tradere Spiritum Sanctum: nullus enim ex 70. discipulis, quorum isti in Ecclesia speciem gerunt, legitur donum Spiritus Sancti per manuum impositionem tradidisse. Et paullo post clarius hos ordines distinguens, ait: Non amplius quam duos ordines inter discipulos Domini esse cognovimus, id est, duodecim Apostolorum, et septuaginta discipulorum: unde iste tertius scilicet Chorepiscopatus processerit ignoramus, quod enim Episcopi non sint, pateat, quia, ut bene nostis, prohibitum est a sanctis Patribus, ut qui vel ab uno vel duobus sunt ordinati Episcopis, non nominentur Episcopi: si nomen non habent, qualiter officium habebunt? quidquid enim de rebus ad Episcopos pertinentibus egerint, necesse est irritum fiat: quia quod non habent, dare nequaquam possunt, praesertim cum nullus ex 70. discipulis, quorum isti speciem gerunt, aliquid de his quae Apostolis debebantur, legitur assumpsisse. Vides ut dividit divina Traditione Episcopum a Presbytero.*

Quae vero officia ex potestate sibi divinitus collata exercere possit Episcopus, quae non possit simplex sacerdos, sancti Patres Apostolorum discipuli docent. D. Ignatius officia Episcopi numerat his verbis (a): *Episcopi baptizant, praedicant, et Eucharistiam conficiunt, et manus imponunt: sed hic sanctus, sicut sacerdotis officia coniungit cum Episcopalibus, ita neque Episco-*

pa-

(a) Ignatius ad Heron. Epist.

palia omnia numerat. Dionysius exactius rem tenet atque persequitur, idque ex divina Traditione (a): *Divina, inquit, lex pontificalium ordinationum sanctimoniam, et divini confectionem unguenti, sacramque altaris consecrationem reverendissimorum Pontificum officiis atque virtutibus aeterna sorte distribuit. Ecce ex aeterna lege dicit Episcopis convenire tres praecipuas illas actiones. Sed intellige tu in unguenti confectione sacrosancta potestatem impositionis manuum, qua confirmantur baptizati, debere includi: alia vero munera quae Sylvester et Damasus et nonnulli alii patres Episcopis tribuunt, ut est virginum consecratio, Ecclesiarum dedicatio, poenitentium publicorum reconciliatio, magis videntur apostolica institutione introducta, quam a divina Traditione suborta.*

Et haec est ratio quare in Decretis aliquorum sanctorum Patrum confirmatio et ordinatio sacerdotis irrita esse et vana, si ab alio quam ab Episcopo attentetur, dicitur: de aliis autem huiusmodi rigorem non legi. Unde clare iterum emergit aliquam esse in Episcopo facultatem et potestatem, qua haec efficere potest, quae non est in sacerdote simplici. Nam Ambrosius in commentariis epistolae ad Titum, nefas esse ducit, quod Presbyter ordinet Episcopum (b): *Quia nemo tribuit quod non accepit*: Et in I. Canone Apostolorum, Presbyterum ab Episcopo ordinari praecipitur (c): nec unquam visum est in Ecclesia, quod hoc munus impositionis manuum alii quam Episcopi obierint, qui vere Apostolis succedunt.

Ex quibus omnibus in stabilimentum huius Episcopalis potestatis huiusmodi conficio argumentum (*): Quotiescumque aliqua

(a) Dionys. cap. 5. Ecclesiast. Hierarch.

(b) Ambros. Com. citat. Epist.

(c) I. Canon Apostolorum.

(*) Ratio qua probatur Episcopatum esse ordinem.

qua actio adeo proprie et peculiariter alicui determinato agenti competit, quae nec sibi similis alii videtur posse competere, concedere necesse est, in illo esse aliquam vim, et facultatem, a qua actio illa proficiscitur, quae in aliis minime reperitur; sed ordinare sacerdotes, et alios ordines creare in Ecclesia, quod munus vere hierarchicum est, sic est huic statui et ordini annexum, ut nulli alii unquam sit communicatum: ergo in hoc statu est peculiaris aliqua vis et facultas, qua tantum munus exerceri possit, et quae statum hunc ordinem esse facit, et qua specialiter nobilitatur.

Discursus iste notus est; maior propositio fundamentum est totius philosophiae, nam non ob aliud philosophi veras naturas distinguunt, quam per differentiam actionum et proprietatum, quae in rebus naturalibus conspiciuntur: minor vero ex usu totius Ecclesiae Apostolicae, et sensu sanctorum Patrum constat: quare Episcopatum proprie ordinem esse probatum est. Quod vero nonnulli arguunt, nitentes Episcopatum a vera ordinis ratione secludere, quia Episcopus ea ratione qua Episcopus est, nihil muneris exercet circa corpus Christi verum, facile reiici potest, tum quia non est adeo firmum quod assumunt scilicet potestatem ordinis in hoc constare, quod possit aliquid exequi circa corpus Christi verum; tum etiam, quia licet hoc eis gratis concedamus, satis erit quod huius ordinis munus, et exercitium versetur erga eos, qui ad consecrandum Christi corpus ordinantur, creando, ordinando et perficiendo eos, ut Dionysius ait. Itaque sufficit quod eorum actio praecipua ad corporis Christi consecrationem, mediate saltem pertineat, et Hierarchiam in Ecclesia perficiant: id enim concedere oportet eos, qui Diaconatum proprie ordinem esse affirmant.

Neque aliud, puto, sibi vult illa manuum impositio Apo-
sto-

stolorum super Paullum et Barnabam, qua ab Apostolis tanta cum solemnitate ieiunii, et orationis iussu Dei missi sunt, quam Episcopalem quandam designationem et Apostolatus illorum confirmationem: nam et si ipse Deus interna vocatione et unctione Paullum et Barnabam fecerit Apostolos, voluit tamen ut hoc signo sensibili Ecclesiae innotesceret, quod in ipsis Apostolis a Christo factitatum fuisse in die ascensionis, D. Augustinus auctor est libro de quaestionibus novi et veteris Testamenti. Dicit enim (a): *Quod priusquam Deus in coelos ascenderet imponens manum Apostolis, ordinavit eos Episcopos. Cuius exemplum secuti Apostoli, Iacobum fratrem Domini (quanquam secundum multos hic fuerit ex numero duodenario) Hierosolymorum Ecclesiae, per impositionem manuum cum sacro unctionis ritu Episcopum ordinaverunt et praefecerunt: quem modum Dionysius capite dudum a nobis citato, cum ritum ordinationis horum trium graduum explicat, describit.*

Modus ordinationis Episcopi sic habet: *Praesul ubi sacrandus offertur, utroque genu posito ante altare, super caput habet a Deo tradita evangelia, manumque Pontificis, atque hoc modo a consecrante Pontifice castissimis imprecationibus consummatur.* Ecce mentionem facit hic vir apostolicus de consecratione, et manuum impositione. De sacerdotis vero ordinatione sic dicit: *Sacerdos coram sancto altari ponens utrumque genu, in capite habens Pontificis dexteram, et in hunc modum a sacrate praesule sanctissimis invocationibus consecratur: ubi vides manuum impositionem simul cum consecratione: quamquam aliter, et alio modo in ordine sacerdotali. In Diaconi autem ordinatione nulla fit mentio de consecratione, sed duntaxat de manuum impositione.*

Integram tamen ordinationem Episcopi sanctus martyr Anacle-

(a) August. loc. cit.

scaletus ex Traditione divina ab Apostolis observata nobis exposcit (a) : *Ordinationes*, inquit, *Episcoporum auctoritate apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerunt provincia, Episcopis sunt celebrandae* (*), *qui simul convenientes, scrutinium diligenter agant, ieiuniumque cum omnibus celebrent precibus, et manus cum sanctis evangeliiis (quae praedicaturi sunt) imponentes, Dominica die hora tertia orantes, sacraque unctione, exemplo prophetarum et regum capita eorum more Apostolorum et Moysi ungant : quia omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cuius virtus invisibilis sancto chrismate est permixta, et hoc ritu solemnem celebrent ordinationem : quod si simul omnes convenire non potuerint, assensum tamen suis precibus praebeant, et ab ipsa ordinatione animo non desint. Et subiungit (Ne putarent fideles haec e proprio capite comminisci) : porro Hierosolymitanus I. Episcopus, beatus Iacobus, qui iustus dicebatur, et secundum carnem Domini nuncupatus est frater, a Petro, Iacobo, et Ioanne Apostolis est ordinatus, successoribus videlicet dantes formam, ut non minus quam a tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum praebeantibus Episcopus ordinetur : reliqui vero sacerdotes a proprio ordinentur Episcopo, ita ut cives et alii sacerdotes assensum praebeant, et ieiunantes ordinationem celebrent : similiter et Diaconi ordinentur. Ex huius Traditionis evulgatione habes integram ordinationem Episcopi nobis descriptam : quam ideo apostolicam nuncupavit, ideo Apostolorum exemplo, et decretoria ipsorum manifestatione Ecclesiae innotuit, ut habet I. Canon Apostolorum.*

Ceterum a Domino Episcopalem hanc ordinationem fuisse institutam sancti fatentur, maxime Anicetus martyr, qui vix quinquaginta annis fuit isto Anacleto posterior, in ea quam ad Ecclesias Galliae misit epistola : ubi cum de ordinatione Iacobi mentionem facit, hoc modo docet (b) : *Si non minus quam a*

(a) Anaclet. cit. (*) Ritus ordinationis Episcopi. (b) Anic. Epist. cit.

tribus Apostolis tantus vir fuit ordinatus, patet profecto formam ordinandi instituentem Domino Apostolos tradidisse. D. quoque Cyprianus de ordinatione Episcopi loquens, a Traditione Domini eam profluxisse declarat his verbis (a): *Diligenter de Traditione divina et apostolica observatione servandum, quod apud nos quoque et fere per omnes provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, Episcopi eiusdem provinciae proximi quique convenient, et Episcopus deligatur plebe praesente. Et epistola VI. dicit (b), quod qui non ordinatur secundum evangelicam et apostolicam Traditionem, non est capax qui Ecclesiam teneat aut regat. Epistola quoque III. et VIII. ad Cornelium, et libro III. epistola II. idipsum confirmans.*

Et si de ritu unctionis nihil meminerit Cyprianus, sat est tamen, quod Clemens et Anacletus Apostolorum discipuli de illa fecerint mentionem, alter in III. epistola, alter vero in secunda. Dicit enim Clemens (c): *Omnis Pontifex sacro chrismate perunctus, et in civitate constitutus, scripturis sacris eruditus, charus et pretiosus hominibus esse debet. Anacletus autem epistol. II. specialem effectum tribuit Episcopali ordinationi, atque is est proprius, gratia nempe gratis data, qua potest in Ecclesia munera hierarchica obire: id quod Paullus etiam contestatus est in illo loco dudum a nobis citato: noli negligere gratiam, quae in te est per prophetiam, &c. Quod si charisma peculiare huic statui hierarchico, per ritum sacrosanctum, ex pactione divina annexum est, aliis ordinibus minime commune, quid prohibet, quo minus strictissime ordo sacramentalis sit et dicatur? Certe non video, quare Episcopi ordinatio, nuda electio dici possit, et super alios sibi aequales externa quaedam nominatio, et non potius simul mystica et sacramentalis perfectio.*

Ha-

(a) Cypr. Epist. III. (b) Epist. VI. (c) Clemens Epist. III.

Habes etiam ex hoc dicto Anacleti, distinctionem et patentem differentiam Ecclesiastici ordinis a plebe promiscua, simul et ipsorum graduum Ecclesiasticorum. Quamvis enim Ecclesiasticorum portio unico ordinis nomine nominetur, sunt tamen infra latitudinem eius longe differentes gradus et differentiae: nam hic beatus praeter tres sacros gradus, scilicet, Episcopatum, Presbyteratum et Diaconatum, confusa quadam narratione reliquos gradus conclusit, dicens; *ceterorum autem graduum distributio trium veracium testium praesentia, et Episcopi probatione fiat.* Meminit etiam huius distinctionis et differentiae Divus Clemens in prima epistola ex mente ipsius Petri (a), ubi comparat Ecclesiam visibilem hanc magnae molis navi, quae per undosum pelagus e diversis locis et regionibus homines ad coelestem Hierusalem transportat, cuius dominium habet Deus, gubernator est Christus, proreta Episcopus, nautae Presbyteri, dispensatores Diaconi, nautologi catechizatores, epibatae, id est, ascensores navis qui vehuntur, fratres alii multitudinis.

Nec hoc contentus D. Petrus, unicuique istorum graduum sua tribuit specialia munera. Dicit enim de Episcopo, ut tanquam proreta vigilanter et sollicite Christi verba custodiat, oret, vacet Dei verbo, ut omnia pericula huius maris navigantes superent: arduum sane munus et cui vix sufficiunt humani humeri; Presbyteris committit, ut aptent singula ad instructionem navis, et parent quae suo tempore requirenda sunt. Diaconis vero, ut tanquam oculi sint Episcopi, et oberrantes circumlustrent cum verecundia actus totius Ecclesiae, quatenus Episcopo denuncient. Laicis vero, ut praebeant se morigeros his quae sibi praecipiantur, et ut sint quieti unusquisque in loco suo, ne vagantes a munere suo nautas impediunt, et in alterum latus per

(a) Clemens Epist. I.

eorum inquietudinem navis pressa demergatur. Et Canone Apostolorum quadragésimo primo et quadragésimo secundo sex ordinum gradus numerantur sub hac forma (a) : *Episcopus , Presbyter , Diaconus , aleator vel ebriosus deponitor , Subdiaconus autem, Cantor , aut lector , vel definito , vel a communione seiungitor*. D. Clemens in III. epistola sua , *Episcopos , Presbyteros , Diaconos et Subdiaconos numerat*. Tertullianus libro de fuga , tres primos sacros gradus recenset , eos vocans clerum , quos distinguit a communi Ecclesia , dicens (b) : *Numquam magis disperguntur oves , quam cum deseritur Ecclesia a Clero*.

D. Ignatius paullo prolixius ecclesiasticos gradus describit, epistola I. et epistola ad Antiochenos. Primo loco sic dicit , commendans Episcopi et Presbyteri obedientiam (c) : *Quid est Episcopus , nisi omnem principatum et potestatem omnium illorum scilicet fidelium tenens , imitator Dei factus secundum virtutem ? quid est Presbyter , nisi institutio sancta , et consiliarius et confessor Episcopi ? Quid Diaconi , nisi imitatores Christi , ministrantes Episcopo sicut Christus patri , ut Stephanus Iacobo , Linus et Timotheus Paullo , Anacletus et Clemens Petro ?* In altero vero loco postquam meminit Presbyteri et Diaconi et virginum , ad gradus alios Ecclesiasticos se convertit , dicens : *Saluto Subdiaconos , lectores , cantores , ostiarios , laborantes , exorcistas , atque confessores : saluto custodes sanctarum portarum , diaconissas , quae sunt in Christo , et in fine : Saluto plebem Domini a minimo usque ad maximum ;* ubi praeter tres ordines principales discipulus iste Apostolorum Subdiaconatum et alios numerat : Divus Hieronymus et Epiphanius fossores his addunt.

Synodus D. Sylvestri (d) quinque ordinis gradus recenset, *Episcopos , Presbyteros , Diaconos* : nam duos *Diaconos* in qua-

li-

(a) Canon Apostol. XLI. et XLII.

(b) Tertull. Lib. de Fug.

(c) Ignat. Epist. I. et ad Antioch.

(d) Synod. Sylvest.

libet parochia iussit esse, et Romae septem ex iis instituit, quos appellavit Cardinales (*), et uni istorum erant subditi a Subdiacono usque ad lectorem: unde puto nomen cardinalatus primitus fuisse memoratum, pariter et Diaconi Cardinalis officium, quo eo tempore utebatur. Cardinalis enim ea ratione qua Cardinalis est, ordinem per se in Ecclesia non facit, ex divino iure, dico, aut Apostolica Traditione, sed tantum eo temporis munus istud prae se ferebat principalitatem quandam in illo ordine in quo talis Cardinalis creabatur, Diaconus super Diaconos, et Subdiaconus super Subdiaconos.

Fabianus martyr ad divinum officium applicuisse videtur Subdiaconum, qui et septem (*) Notarios ad scribendum gesta martyrum pie satis creavit: quod alii praedecessori suo tribuunt, unde credo Protonotarios istos procedere: qui quid modo scribant illi viderint: multos tamen eorum scimus suis exemptionibus Ecclesiae ordinem perturbare, ita ut per privilegia sua liceat illis ut lubet, vivere. Zepherinus martyr ordinationis Presbyteri et Diaconi mentionem facit. D. Cornelius in epistola ad Fabianum Antiochenum, quam allegat Eusebius in sua historia, loquens de Novato haeretico, quo modo in sacrum Episcopalem ordinem irruperit, fere omnes gradus Ecclesiasticos numerat his verbis (a): *Nesciebat (Novatus scilicet) in Ecclesia Catholica unum Episcopum esse debere, ubi videbat esse Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, acolytos quadraginta duos, exorcistas cum lectoribus et ostiariis 52.* Nicaena synodus differentiam assignat inter Diaconum et Presbyterum, Canone XIII. (b) et Diaconissas in alio Canone ab ecclesiastico ordine excludit, quia manuum impositionem non habent, quod nonnihil videtur fa-

ve-

(*) Cardinalatus.

(*) Notarii Protonotarii.

(a) Cornel. Epist. ad Fabian.

(b) Nicaena Synodus Can. XIII.

vere ordini Diaconatus, ad hoc quod inter sacros ordines recenseatur.

Nam de Subdiaconatu ut obiter quod sentio dicam, crediderim illum cum D. Isidoro, septimo libro Etymologiarum (a), et cum Gratiano titulo de bigamis distinctione XXII. ad sacros ordines minime pertinere. Nam praeter hoc quod Dionysius nullam de eo facit mentionem, cum sacros ordines recenset, sed tantum commemorat tres principales, nec ego Traditionem Apostolicam de eo habeo, et ministerium eius valde remote subservit divinae Eucharistiae, et id munus quod circa altare habet, a D. Fabiano videtur illi concessum: adde quod conferri potest gradus iste a Chorepiscopis, qui plane, ut dudum vidimus, Episcopi non sunt, sed Presbyteri, quibus minime conceditur Presbyterorum et Diaconorum ordinatio, prout constat Canone X. concilii Antiocheni, et ex concilio (b) Ancirano, Canone XIII. Sed nec impositionem manuum recipit Subdiaconus, concilio Carthaginensi quarto id affirmante et attestante Canone V. Quod si synodus Nicaena non ob aliud Diaconissas a sacratis ordinibus repellit, nisi quia manuum impositionem non habebant, consimili argumento Subdiaconi ad sacrum ordinem non pertinebunt, et a contrario sensu argumentum deducetes.

Diaconi pars sunt sacrati ordinis, qui licet a Christo non legantur instituti, sed ab Apostolis ordinati, ut habetur (c) Actuum VI. fieri tamen posset, ut Christo hoc tradente vel Spiritu Sancto privatim revelante hic ordo in Ecclesia institutus fuerit. Cyprianus (d) epistol. V. de ordinatione lectorum mentionem

(a) Isidorus Etym. Lib. VII.

(b) Synod. Antioch. Can. X. et
Conc. Ancir. Can. XIII.

(c) Act. VI.

(d) Cyprian. Lib. II. Epist. V. et
XIII.

nem facit, et epistola XIII. Presbyterorum et Subdiaconorum: ubi Diaconis dicit incumbere, ut admonitiones martyribus faciant, et alio loco Acolytorum meminit. Synodus Carthaginensis quarta psalmistas recenset, tertia Cathaginensis lectorem, et Episcopi et Presbyteri ordinationes praescribit. Secunda Toletana tempus limitat ordinationis in tribus ordinibus principalibus. Toletana quarta idipsum, quantum ad sacerdotii ordinem, attinet, confirmante. Bracharensis, quomodo gradus isti Ecclesiastici occupari debeant, optime tradit; D. Hieronymus super Leviticum et Amos prophetam unctionem sacerdotis.

Venerabilis quoque Epiphanius in compendiaria doctrina Episcopum a Presbytero in potestate separat, cum contra Aerium haereticum, Lutheranorum parentem agit his verbis (a): *Dicere Episcopum et Presbyterum aequales esse, quomodo erit possibile? Episcoporum enim ordo Patrum generator est, Patres enim generat Ecclesiae, Presbyter vero non potest Patres generare.* Et respondens ad quandam Aerii obiectionem fundatam in eo quod diximus de confusione nominis Presbyteri et Episcopi in Paullinis epistolis dicit, quod non omnia statim Apostoli potuerunt constituere, nec erat eis copia ministrorum, qui pontificatus possent obire munia: idcirco ubi tales non reperiebantur, Presbyteri interea sufficiebantur, qui in multis exercebant Episcoporum officia. Paulus vero quando scribebat Ecclesiis ubi erant Episcopi, nominabat Episcopos; ubi autem erant solum Presbyteri, scribebat ad Presbyteros.

Idem ipse Epiphanius in fine magno stomacho invehitur in quendam, qui sacrificia cum laicus esset, impudenter tractabat, et his muneribus, quae ad Episcopos attinent, se ingerebat, et causam assignans: *quia quae ad se non pertinebant, temere perfice-*

ce-

(a) Epiph. adv. Aerium.

cere tentabat. Post vero in compendiaria doctrina recensens multa de statutis, quae sola constant Traditione, sic docet: *De Traditionibus et statutis necessarium est me per brevibus apponere, earundem formam ex parte, et quaecumque servantur in ipsa Ecclesia, partim ex praecepto, partim per successionem voluntariae promptitudinis: et postquam narravit ea quae voluntaria sunt, numerat gradus Ecclesiasticos, incipiens a sacerdotio, quod in duos gradus dividit, Episcopatum scilicet et Presbyteratum. Deinde ponit officium Lectoris, Diaconissae, Exorcistae, Ianitoris. Item Subdiaconi.*

In veteri etiam Synagoga, quae typus sanctae Ecclesiae fuit, minores sacerdotes segregati erant a summis Pontificibus, neque omnino licebat minoribus sacerdotibus magni sacerdotis insignibus uti, aut ritu quo ille consecratur consecrari, nec munia illa sibi usurpare, quae Pontificatus illius propria erant, neque eius officii aliquid attentare. Praeterea qualitas corporis mystici, id est, visibilis Ecclesiae, quam Paullus docet prima Corinthiorum duodecimo, quod sint multa membra diversas actiones habentia, et inter se ordinem servantia, hanc etiam graduum diversitatem videtur exposcere (a): *Vos enim, inquit, estis corpus Christi, membra de membro, et quosdam posuit Deus in Ecclesia pastores et doctores: alias nullo pacto corpori naturali organico posset comparari.* Gregorius Nazianzenus in sermonibus de Hieremiae dictis coram Valente Imperatore, ex lege Christi affirmat, tribunal sacerdotii, et commissionem ovium Episcopis esse delegatam.

De sacerdotum vero peculiari potestate mira dicit etiam Chrysostomus, in aureo illo libello de sacerdotio, sed unum ipsius duntaxat testimonium referam: *Agitur, ministerium in terris, sed of-*

(a) I. Corinth. XII. 27.

ficium eius coelestibus officiis continetur : non homo , non angeli , non archangeli , aut alia quaevis creatura , sed Spiritus Sanctus hoc munus instituit , atque adhuc manentibus in carne , ministerio praestitit fungi angelorum. Clarissime hic sanctus haereticorum temeritatem retundit , in eo quod dicunt , omnes fideles ex aequo esse sacerdotes : nam munus sacrosanctum istud peculiare posuit , et non omnibus commune fecit , et a Spiritu Sancto institutum esse affirmavit : quod praetendit nostra divina Traditio. Concilium quoque Lateranense , ubi convenerunt ex Graeca et Latina Ecclesia Patres , solis sacerdotibus istud munus convenire aperta et unanimi voce declaravit.

Confirmat hanc sententiam Divus Augustinus contra Parmenianum , comparans sacrum ordinationis institutum cum sancto Baptismate (a) : *Utrumque , inquit , quadam consecratione homini datur , ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex Donatistis venientes , correcto schismatis errore , suscepti sunt , etsi visum est eadem officia gerere , quae gerebant , non sunt tamen rursus ordinandi , sed sicut Baptismus in eis , ita et Ordinatio mansit integra : quia in praecisione erat vitium , quod unitatis pace correctum est , non in sacramentis , quae ubicumque sunt ipsa , vera sunt , in neutro sacramento iniuria est facienda.* Idem sentit in epistola ad Crispinum Donatistam , ubi ordinem Episcopatus , quantum ad id quod iterari non potest , aequiparat Baptismo. Ubi per istum patrem non solum habes ordinationem esse sacramentum , et proprie sacramentum , sed quod effectum indelebilem in eo , qui ordinatur , ex divina pactioe efficiat : et quia putare possit aliquis effectum hunc secundum recipientis meritum , vel malitiam variari , aut sine ordinationis ritu potestatem hanc posse conferri , libro Quaestionum novi et

(a) August. Lib. II. Epist. cit.

veteris Testamenti scrupulos hos tollit idem Augustinus : *Spiritus Sanctus*, inquit, *non sequitur dignam aut indignam personam, sed ordinem Traditionis, atque ita quamvis sit aliquis boni meriti, non tamen potest benedicere, nisi fuerit ordinatus.*

Super omnes tamen D. Caius martyr, generalis Ecclesiae Pontifex, ante mille ducentos annos assignans modum per quos gradus debeat ascendere Episcopus, antequam ordinetur, omnes gradus Ecclesiasticos, quos modo Ecclesia veneratur, recenset his verbis : *Si quis Episcopus esse meruerit, primo Ostiarius, deinde lector, post exorcista, deinde sacretur acolytus, dein vero Subdiaconus, Diaconus, et postea Presbyter, exinde si meruerit, Episcopus ordinetur.* Quaeres fortassis quae sit ratio distinctionis horum ecclesiasticorum graduum, D. Gregorius tibi aperit in epistola ad Episcopos Galliae. Attende verba eius (a) : *Divinae dispositionis provisio gradus et diversos ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores prioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordia ex diversitate fieret.* Bernardus quoque ad Eugenium loquens de iisdem gradibus (b) : *Non ut vilem reiicias formam hanc, quia in terra est; exemplar enim habet in coelo.*

Alios innumeros testes possem producere, sanctos quidem et Deo dignos doctores, Divo Augustino aetate posteriores : sed quia adversarii impudenter affirmant sanctam Ecclesiam ab huius divi temporibus multis erroribus obrutam esse, consulto eos dimittimus, contenti solum eos produxisse : quibus, qui contradixerit, Christo et Apostolis manifesto videatur repugnare : eo quod multi eorum vel Apostolos audierunt, aut a discipulis Apostolorum edocti sunt, per quos haec sancta Traditio ad nos devenit.

Er-

(a) Gregor. cit. Epist.

(b) Bernard. ad Eugen. Lib. III.

Ergo ut quae sparsim et diffuse dicta sunt, brevibus sententiis colligamus, Apostolicorum virorum testimonia et antiquae Ecclesiae, tam Latinae quam Graecae unanimes consensus simul cum scriptura ipsa, haec nobis in hac Traditione exposuerunt. Primo, quod Ecclesiasticus ordo a plebe promiscua divina dispositione et non humana electione seiunctus est. Secundum, quod ipse ordo Ecclesiasticus magnam intra se continet graduum latitudinem. Tertium, quod maiores gradus ex his, utputa Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, magno intervallo a se invicem distant, et peculiare habent annexas a Deo sibi collatas potestates, tam ad corpus Christi verum, quam ad mysticum spectantes. Quartum, quibus succedant Episcopi, quibusve Presbyteri, et quod successio haec per Dei voluntatem fiat.

Ex quibus omnibus clare etiam emergit, quod Ecclesia Catholica, quae in hoc mundo militat, ex divina Traditione habet sacerdotium visibile, ab ipsa plebe discretum, per quod visibiliter in viam Dei dirigatur: quod et ipsa ratio suadere videtur. Nam cum nulla congregatio ab ipso orbe condito, quae religionis nomen usurpaverit, absque visibili sacerdotio unquam fuerit, ut antiqua omnia testimonia testantur, quod fieri potest, ut Christiana congregatio, dum in hac peregrinatione visibiliter versatur, quae regnum coelorum, quae sagena in mari ex omni genere piscium congregans a Christo dicitur, quae arca Noe, in qua munda et immunda animalia, perfecti et imperfecti, boni et mali sunt, appellatur, suis visibilibus sacerdotibus careret, a quibus visibiliter admoneretur, instrueretur, orationibus et sacrificiis iuvaretur, et in viam salutis dirigeretur? certe manca et mutila esset Christiana politia, si sine visibili sacerdotio esset instituta, quod nefas est de Deo institutore eius sentire.

Licet enim Christus Deus noster principalis Pontifex et sacer-

dos fidelium corda suorum moveat et illuminet, et per seipsum etiam posset, si vellet, omnes, quantum ad visibilia attinet, regere, et pro uniuscuiusque capacitate visibiliter instruere, tamen cum omnia disponat suaviter per humana media nostrae fragilitati congruentia, veluti instrumentis quibusdam voluit haec determinata officia exerceri, et suas gratias nobis communicare. Nam et quando ipse Ecclesiae suae corporaliter praesens erat, et per seipsum populos visibiliter instruebat, per Apostolos etiam vicarios et ministros suos evangelium divulgabat, gratiam sacramentorum conferebat, miracula et alias virtutes operabatur; quod multo maiori ratione ipsum voluisse putandum est, ut per Apostolos et successores eorum in Ecclesia fieret, postquam ipse in regionem profectus longinquam, puta in gloriam patris sui, Ecclesiam suam corporaliter dereliquit, operationibus suorum ministrorum infallibiliter assistens, et eis cooperans, non tam propter nos, qui multoties indigni sumus, quam propter sponsae suae utilitatem, cuius culturae gratia, sacerdotium istud Christus instituit. *Vobiscum sum* (inquit Matthaei ultimo) *usque ad consummationem seculi*. Quare qui sacerdotium istud visibile in Ecclesia esse negat, aut intellectum scripturae, et ecclesiasticae atque apostolicae dispositionis, quae ipsam scripturam exponit, non tenet, aut libertatem carnis amat, et ut ipsam sequantur per inobedientiam sacerdotum populos seditiose et barbaramente invitatur.

Nam quod isti nugantur omnes baptizatos in Christo esse sacerdotes, non solum falsum est, sed diabolicum et seditiosum. Idem enim cum Chore, Datan, et Abiron, seditiosis olim dicunt, qui adversus Moysen et Aaron conspirantes, dicebant (a): *Sufficiat vobis, quia multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus: cur elevamini super populum Domini?* qui meritas suae rebellionis

poe-

(a) Num. XVI. 3.

poenas luerunt : nec minores manent eos , qui sacerdotium evangelicum a Deo institutum , et per Apostolos et apostolicos viros consuetudine roboratum , sola sua libidine nullis aut debilibus ducti argumentis ludibrio exposuerunt , et explodere conati sunt , nisi Dei adiutorio iam resipiscant.

Nam locum illum ex epistola Petri petitum , in quo Christiani appellantur *genus electum* , *regale sacerdotium* , *gens sancta* , *populus acquisitionis*. Similiter et Apocalypsis : *Fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes* ; quis unquam sanae mentis homo dubitavit de sacerdotio duntaxat spirituali debere intelligi , quo omnes Christiani offerre tenentur Deo corpora sua , hostias vivas , rationabiles , sanctas Deo placentes , item cor et omnia desideria sua , et non de visibili et proprie sumpto sacerdotio ? Nam si omnes ex aequo sunt sacerdotes iure regenerationis baptismalis , licebit profecto mulieribus consecrare , absolvere , docere , et sacramenta ministrare : quibus Apostolus in Ecclesia nihil horum permittit , sed neque in Ecclesia loqui. Et si omnibus ex divina dispositione haec praerogativa est communis , qua ratione ducti Lutherani , quicumque illi sunt , qui hoc munus sacrilego ausu administrandum usurpant , quosdam eligunt ad ministerium , et alios ministrare non dimittunt ? in qua potestate haec faciunt magistratus ? quo iure privant eos a collato sibi divinitus munere ? quae scriptura hoc dicit , ut potestas quam Deus ex aequo contulit omnibus , per coaequales possit coarctari , et usu sibi annexo omnino frustrari ? Nam sive tollant ab eis potestatem sive usum , perinde est , contra divinam ordinationem agunt , qui sine auctoritate Dei divinas praerogativas impediunt.

Dicent fortassis : Paullus iubet ut omnia secundum ordinem fiant , ideo non omnibus usus potestatis debet concedi. Esto , sed tali lege hoc voluit Paullus , ne sutor , quod aiunt , ultra cre-

pidam aliquid attentet. Numquam Deus voluit ut per quosvis homines spiritualia moderarentur, neque per reges adhuc hoc fieri permisit, sed solum per illos, quos ad id muneris destinavit: et hoc est vere secundum ordinem facere, si vellent Lutherani sapere, scilicet lineam a Deo et Apostolis praefixam non excedere. Quare non per quoscumque homines hic ordo in rebus spiritualibus debet statui, sed per hos quos Deus elegit. At seculares magistratus, hisce in rebus aequales sunt infimae plebi. Rursus si omnes sunt ex aequo sacerdotes, omnes sunt similiter reges. Utrumque enim affirmat locus ille ab adversariis allegatus: quod si res ita se habet, omnes ex divino iure sunt vere reges, duces et imperatores. Tyrannice ergo et contra divinam dispositionem occupatur omne regnum, et dominatio terrena.

Et huc tendebat in suis initiis sacrum et seditiosum Lutheri evangelium (nisi armis et potentia principum eius temeritas compesceretur et reprimeretur) contra doctrinam Apostoli, et totam scripturam, et adhuc contra rationem et ipsam naturam. Tunc enim nemo alteri deberet obedientiam: permissum esset unicuique pro suo lubito vivere: omnia quantum ad divinam dispositionem attinet essent inordinata, omnia confusa, et ipsissima barbaries. Adde, quod si omnes ex aequo sunt reges, ut alicuius regni sint reges necesse est: nam rex et regnum correlativa sunt. Aut ergo tot debebant esse regna quot sunt fideles, aut unusquisque esset rex totius universi: quorum alterum plane falsum esse palpamus; alterum vero confusionem et contradictionem implicat. Et ex hoc enim quod reges omnes sunt universi, sequitur neminem fidelem esse regem: nam nomen regis singularitatem et praeminentiam dicit super omnes alios sibi subditos. Si dicant eos esse reges in potentia, qualis et potentia

tia haec, quae numquam reducetur ad usum? Eadem ratio procedit contra eos qui dicunt omnes baptizatos esse Episcopos, et sacerdotes: Sed tam barbara sunt haec et inhumana, ut pudeat vel unam lineam in eorum impugnationem protraxisse.

Quod si in assentationem magistratum, aut propter timorem principum, hanc regni potestatem spiritualiter, non corporaliter et civiliter intelligant adversarii, et in odium ecclesiasticorum, sacerdotium omnibus proprie et aequaliter convenire dicant, valeant cum suo argumento pseudo isti Apostoli, tamquam qui verbum Dei ventris et vanae gloriae gratia adulterant, et pro suo arbitratu moderantur, intelligentes quod ad regnum baptizatorum attinet spiritualiter, quod vero ad sacerdotium, proprie et veraciter: cum ambae dictiones similem exposcant intellectum, spirituales scilicet, propter mysticam unctionem, qua veluti reges et sacerdotes in Spiritu Sancto baptizati, sumus delibuti, prout omnes sancti intellexerunt, maxime Hieronymus adversus Luciferianos, nec non usus totius Ecclesiae interpretatus est: quippe quae reges et principes temporales non solum permittit, sed magnopere veneratur, et obedientiam eorum merito commendat. Haec de sacratis ordinibus, maxime de Episcopali, tam late tractavimus, tum quia pauci aut nulli, quos ego viderim, radicitus hoc argumentum tractarunt, tum etiam quia plurimum iuvat huiusmodi consideratio ad statuendum robur eorum, quae a nobis in hac tertia parte dicenda sunt.

CUM PRIMIS OBSERVANDO,
 ET VERE RELIGIOSO PATRI FR. PETRO DE SOTO, THEOLOGO
 PRAESTANTISSIMO, MAXIMI CAROLI CAESARIS QUINTI
 POENITENTIARIO PERQUAM DIGNO, AUCTOR
 SALUTEM IN DOMINO IESU.

*C*onstitueram, Pater optime, nostram hanc de venerando al-
 taris sacrificio considerationem angustissimis quibusdam
 repagulis coarctare, tum quia instituti nostri non erat singu-
 las divinas Traditiones percurrere, sed generali quadam anim-
 adversione extremis saltem digitis attingere, tum etiam, quia
 compertum habebam me tam praeclaro argumento non posse
 pro eius dignitate ita curriculo satisfacere, maxime cum sim
 importunis aliis occupationibus distractus. Sed nescio an uber-
 tate illectus argumenti, aut potius τῆ ἀντιχριστῆ τῶν προδρομῶν, qui
 in venerandum altaris sacrificium numquam non debacchantur,
 procacitate irritatus eo pervenerim, ut dum argumentum hoc
 magis ac magis conor suppressere, et pressius tractare, me
 pene invito prosilierit, et in iustum volumen sese effuderit:
 cuius dilucidationem tuae Reverendae Paternitati, cui omnes
 pietatis cultores tantum debent, mittere destinavi, ne sine
 Theseo, quod aiunt, in publicum prodiret. Ad quem enim per
 Deum immortalem potiori iure monumentum huiusmodi mitti
 potuit, quam ad te, qui praeter hoc quod de religione Chri-
 stiana tam es bene meritus, hanc mensam altaris supercoe-
 lestem, in qua divinum hoc memoriale corporis et sanguinis
 Iesu Christi recolitur, tam religiose et devote frequentas?
 Vale pater optime, et meum hoc xeniolum, symbolum tam-
 quam amoris in te mei grato animo suscipe, et Deo me tuis
 orationibus commenda.

CON-

CONSIDERATIO QUINTA.

De oblatione et tremendo altaris sacrificio.

Proxima huic sanctae a nobis iam stabilitae Traditioni, se offert consideratio de oblatione illius incruenti sacrificii, quod Dominus Iesus, transiturus de hoc mundo ad Patrem, ad magnum nostrarum animarum solatium et profectum instituit, et suae sponsae Ecclesiae, usque ad finem seculi in memoriam suae benedictae passionis celebrandum, et recolendum praecepit. Pignus certe pretiosissimum, et inaestimabilis amoris et gratiae symbolum, in quo omnium beneficiorum Christi summa continetur. Siquidem totum quod pro nobis assumpsit, et cruci, et flagellis, ut nos immeritos redimeret, exposuit in hoc tremendo altaris mysterio, modo quodam admirabili carnalibus oculis minime pervio, manducandum nobis praebuit, ut cibum animae suavissimum. Non ut ipsum nos in nostram substantiam convertamus, sicut in aliis cibariis solet contingere; sed ut ipse vice versa fideles suos digne manducantes in se quodammodo transformet, et convertat: cuius virtute roborati, iam non vivant secundum veterem Adam, sed vita eius, qui postquam a mortuis resurrexit, iam non moritur, nec mors illi ultra dominabitur. Sic enim ipse antea dixerat (a): *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo, et ego resuscitabo illum in novissimo die; et alibi (b): Qui manducat me, ille vivet propter me.*

Cuius sacratissimi corporis et sanguinis communio, sicut est pro omnibus fidelibus (qui inter panem materiale, et hunc coelestem, quo spiritualiter vegetamur et roboramur noverunt

Tom. I.

Ee

di-

(a) Ioan. VI. 55.

(b) Ibid. v. 58.

discernere) instituta, ita eius consecratio et oblatio non omnibus est concessa, neque a Deo permissa: sed solis sacerdotibus, Ecclesiae sanctae Presbyteris, secundum ipsius normam ordinatis. Quibus licet Petrus Apostolus cum in ordinatione Clementis ecclesiasticorum officiorum munera impartitur, nonnulla iniungere videatur, quae ad munus presbyterii pertinent, ut puta quod in hac Ecclesiae navi per undosum pelagus delatae, nauatarum agant officium, ut singula aptent ad huiusce navis instructionem, ut curam teneant castitatis et sobrietatis circa membra Ecclesiae, fidelium dissensiones componant, et lites dirimant, et tandem hanc Iesu Christi sponsam pro sua virili excolant, poliant et adornent; tamen potissimum huius sacrosancti status, ex data sibi divinitus sacerdotii potestate munus et officium est, venerandam Eucharistiam in Christi corpus verum, et sanguinem eius sacramentaliter conficere, ipsamque pro peccatis tam vivorum quam mortuorum Deo patri offerre, et aliis Ecclesiae membris, cum opus fuerit recte distribuere.

Porro cum in praecedenti consideratione, sacerdotium visibile in hac ecclesia visibili debere esse, divinis institutionibus et apostolicae ecclesiae assensu concorditer demonstraverimus, sintque tria haec, lex, sacerdotium, sacrificium, de numero eorum quae ad aliquid dicuntur, sicut translato sacerdotio, ut Apostolus arguit, necesse est, ut legis translatio fiat, et e diverso: necesse subinde est, ut novo introducto per Traditionem divinam visibili sacerdotio, nempe secundum ordinem Melchisedech, novum etiam eadem Traditione designatum intelligatur visibile sacrificium, quod huic sacerdotio visibili mutua quadam relatione specialiter respondeat: ea enim quae ad aliquid actu, et re ipsa dicuntur et simul natura sunt, et cum convertentia se inferunt.

Dicit namque Paullus ad Hebraeos (a) : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus , pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum , ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ; idque sit evangelici sacerdotii correlativum , sacrificium nempe istud mundissimum incruentum , quod hodie sancta frequentat Ecclesia , et usque in finem seculi (et si rumpantur et latent haeretici) frequentabit , recolens cruentum illud sacrificium , Christum scilicet Iesum pro nobis immeritis passum , et quotidie ipsum vere offerens , et repraesentans Deo Patri , sacratissimo ipso Iesu Salvatore nostro Filio eius hoc ipsum volente et instituyente (b). Hoc facite in meam commemorationem , dixit Iesus Apostolis suis et eorum successoribus : Facite, inquam, sicut me videtis facere: ipse autem confecit , et se in Sacramento praesentem fecit et distribuit , et offerendi se Deo Patri voluntatem tunc expressit.*

Quare cum ipsa Ecclesia maneat , et manebit usque in seculum , istudque sacrificium ad magnum illius commodum et solatium sit institutum , consequitur , potestatem ipsum conficiendi continuo tenore in Sacerdotibus , usque in aeternum permanere : alias non videretur quomodo Christi sacerdotium maneat in aeternum in Ecclesia secundum ordinem Melchisedech. Licet enim fructus sacrificii , quod Christus in cruce obtulit Deo Patri in die passionis suae , perpetuo maneant in Ecclesia , et nobis in Sacramentis divina liberalitate communicentur , actio tamen ipsa cruenti illius sacrificii transivit , et iam non est : quippe cuius Sacerdos offerens iam non moritur , nec mors illi ultra dominabitur.

Non hoc confingimus ex nostro capite: habemus testes viros apostolicos , probatos et ecclesiasticos , qui ante mille annos istud idem senserunt , et ex illo loco hanc intelligentiam extraxerunt.

Ee 2

D.

(a) Ad Hebr. V. 1.

(b) Luc. XXII.

D. Dionysius Apostolorum discipulus, cum sanctae istius oblationis ordinem describit (idque ex divina ut ipse dicit traditione) in hunc modum docet, postquam accessum Pontificis ad haec mysteria celebranda proposuit (a): *Peracta laude ad sacra mysteria Pontifex celebranda progreditur, idque ex Traditione divina; quo circa reverenter simul et ex pontificali officio, has sacras divinorum operum laudes, quod hostiam salutarem, quae supra ipsum est, litat, se excusat, ad ipsum Deum primo decenter exclamans: Tu dixisti, hoc facite in mei commemorationem.* Vides quomodo in illis verbis, quasi reconvenire videtur Deum Sacerdos, utpote quibus tempore Apostolorum potestas haec offerendi Sacerdotibus collata intelligebatur.

Nec te praetereat quod Eucharistiam sanctam hostiam appellavit, et hanc quidem sacrificante longe perfectionem, ipsamque actionem sacerdotis in his mysteriis litationem dixit: quae proculdubio non diceret, si in his divinis mysteriis Iesu Christi corpus sacratissimum non continetur. Christus enim etsi principalis sacerdos Ecclesiae sit, largitur tamen etiam suas dignitates absque sui diminutione, uti testatur magnus Basilius (b) sermone de poenitentia; *Lux est, et dicit Apostolis: Vos estis lux mundi; Sacerdos est, Sacerdotes facit.* Et Synodus sacrosancta Nicaena (c), sive huic loco Scripturae innixa, sive divinae Traditioni, solis Sacerdotibus hanc potestatem facit, canone decimo quarto, denegans eam Diacono, et aliis ecclesiasticis gradibus. Et Chrysostomus libro de Sacerdotio, uti iam allegavimus, aperte hoc munus a Deo esse institutum affirmat.

Rursus D. Dionysius (d) potestatem conficiendi sacra mysteria

(a) Dionys. Coelest. Hiera. C. III.

(b) Basilius loc. cit.

(c) Synod. Nicaena Can. XIV.

(d) Dionys. Eccles. Hier. Cap. XV.

ria Sacerdotibus solis facit, quos dicit Sacerdotes non esse, nisi pontificalibus officiis fuerint ad hoc promoti, per quorum ministerium Christo Iesu cum illis cooperante, perpetuum illud Melchisedech sacerdotium, continuo tenore (quantum ad actionem sacrificii attinet) perguit et conservatur, contestantibus id venerabilibus Patribus Photio et Oecumenio ante nongentos annos. Alter enim in Commentariis epistolae ad Hebraeos versans locum illum, *Tu es Sacerdos in aeternum*, loquens de Melchisedech et Christo: *Hic primus, inquit, sine sanguine hostiam Deo obtulit, deinde postmodum suum etiam corpus.* Vides ibi duos perspicuos modos oblationis Corporis Christi, alterum incruentum, alterum vero cruentum a Christo fuisse introductos, quorum incruentum Christus iussit facere, et potestatem faciendi fecit, et alterum repraesentandi.

Hic vero de Christi Sacerdotio non tantum quoad fructus eius, sed quoad actionem, sic docet in eodem loco, de sacrificio passionis Christi loquens: *Licet Christus non obtulerit carentem sanguine hostiam, siquidem suum ipsius corpus obtulit; attamen qui ipsius fungerentur sacerdotio, quorum Deus Pontifex esse dignatus est, sine sanguine offerunt, nam hoc significat in aeternum.* Quod ne putes dici de sacrificio spirituali, quod quilibet Christianus debet Deo offerre, ut eluere videntur adversarii, vide quod adiungat hic bonus Pater: *Neque enim de ea quae semel a Deo facta est oblatio et hostia, dixisset in aeternum, sed respiciens ad praesentes sacrificos, per quos medios Christus sacrificat et sacrificatur; qui etiam in mystica coena modum illis tradidit huius sacrificii.*

Hucusque ille, qui usque ad apices ipsos nostram expositionem confirmavit, et Sacerdotes ipsos visibiles sacrificos clara voce appellavit, per quos quotidie Christus sacrificat hostiam hanc altaris mundissimam: de qua multi Sancti intellexerunt
illud

illud Malachiae illustrissimum (a) de legalium sacrificiorum cessatione vaticinium, maxime D. Martialis et Irenaeus: *Quis est (inquit Deus Israelitis) qui claudat hostiam, et incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Nec desunt nonnulli docti et antiquissimi Rabbini, qui Christum Iesum secundum carnem praecesserunt, qui locum istum de sacrificio mundissimo panis et vini a vero Messia instituendo intelligi veraciter affirmant, putantes huc pertinere illum locum Psalmi: *Erit frumentum in terra in summis montium (b):* ubi cum statum veri Messiae per Spiritum Sanctum ad vivum exprimat sanctus David, inter spiritualia et inextimabilia dona, quae per Messiae adventum humano generi donanda erant, hoc unum refertur potissimum, frumentum hoc altaris sacrosanctum, quod ab eo, ut sacrificium mundissimum, omnem pinguedinem gratiarum continens ad refectionem spiritualem suorum fidelium instituendum erat: ob idque hoc modo praefatum locum mystice exponendo legunt: *Erit placenta super capita Sacerdotum.*

Ecquis plus certos nos reddere possit de Iesu Christi Redemptoris nostri voluntate circa hoc sacrificium, et aeternum memoriale, an ipsemet veraciter in eo offeratur necne; quam sanctissimi Apostoli, qui Christum viderunt, et doctrinam ab ipso oretenus audierunt, et a Spiritu Sancto illustrati, quae audierunt, intellexerunt: aut ab eis edocti sancti discipuli martyres Dei, quibus cum apostolici muneris successione perfectam doctrinae Christi intelligentiam reliquerunt Christi Apostoli? Age

(a) Malac. I. a v. 10.

(b) Psalm. LXXI. 16.

igitur ab ipsis Apostolis usque ad tempus, in quo novatores isti Ecclesiam sanctam a vera doctrina incepisse deviare falso affirmant, huius nostrae divinae Traditionis veritatem construamus.

Est in Actis Apostolorum locus perspicuus capite decimotertio, ubi Lucas narrat divinam illam segregationem Paulli et Barnabae ab aliis discipulis qui erant Antiochiae, de quibus dicit (a): *Sacrificantibus illis Domino et ieiunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paullum et Barnabam.* Sic enim recte interpretatur Erasmus. Ex quo loco clare constat Iesu Christi discipulos in hoc sacrosancto mysterio saepe fuisse occupatos, maxime quando aliquid magnum volebant auspiciari, et a Deo ipso interpretare. Nec refert quod in editione vulgata legatur *ministrantibus*: nam perinde fere est, quamvis vocabulum ministrantibus, non prorsus respondeat genuinae significationi *λεειτουργουιτων* eo quod generalius quodvis ministerium significat. Caeterum ministerium sic absolute dictum, non videtur quid possit esse, nisi actio quaedam externa publica: verbum enim *λεειτουργω* non significat qualecumque ministerium obire, sed externum et publicum, quod recte per participium *sacrificantibus* interpretatur. Unde descendit nomen *λεειτουργια* quod significatur apud sanctos et Graecos Auctores venerandae Missae actio. Vocabulum sane satis frequens, praecipue in libellis, quos de eadem Missae actione D. Basilius et Chrysostomus ediderunt.

Quale ergo hoc sacrificium esse potest, de quo tam particularis fit in praesenti loco mentio? Non certe laudis in oratione, quia in hoc eodem contextu de oratione particulariter fit mentio: dicitur enim, quod orabant et ieiunabant. Neque etiam de sacrificio, quo se, ut hostias sanctas Deo offerebant illi Sancti, quia hoc nunquam non fiebat ab Apostolis et Christi di-

sci-

(a) Act. XIII. 2.

scipulis : Quippe erant castigationi corporis intenti , spoliantes veterem Adam , et magis ac magis quotidie in imagine novi Adam trasformabantur.

Restat igitur ut sacrificium altaris sit illud , quod sancti illi Christi discipuli , de quo in loco illo tam particularis fit mentio , eo temporis perfecerunt , quo sacratius sancta manuum impositio , et duorum Apostolorum missio , gratiusque fieret. Is enim erat mos in antiqua Ecclesia , nihil arduum auspiciari , nisi praecedenti hac sacrosancta oblatione , qua Deus placaretur , et suscipiendo negotio libentius aspiraret. Id quod Divus Dionysius significat (a) ubi loquitur de modo quo ista sacrificii actio admiranda tempore Apostolorum celebrabatur : *Neque enim , inquit , ferme fas est sacerdotalis muneris aliquod mysterium peragi , nisi divinum istud Eucharistiae augustissimumque Sacramentum compleat.*

Legitur etiam apud D. Gregorium in epistola ad quendam Syracusanum Episcopum , quod D. Petrus Apostolorum Princeps , Missam celebraverit Antioquiae , et verbis consecrationis dominicam orationem addiderit. Idem confirmante Divo Isidoro in haec verba (b) : *Ordo Missae vel oblationum , quibus oblata Deo sacrificia consecrantur , primo a S. Petro institutus est , cuius celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis : haec ille ante annos 900. Et Remigius idem astruere videtur libro de Divinis Officiis. Pisis (quae nobilissima totius Etruriae urbs est) ad oram Thyrtanii maris , Basilica quaedam est in illa Provincia celeberrima , D. Petro Apostolorum Principi dicata , ubi constantissima et antiquissima fama est , Petrum cum quinque vel sex discipulis primo Italiam appulisse , ibique Missam celebrasse : ob idque ab antiquis temporis usque in praesentem diem magna fi-*

(a) Dionys. Ecclesiastic. Hierarch. Cap. III.

(b) Isidorus Libr. I. de Offic. Cap. XV.

nitimorum populorum frequentia quotannis devote et religiose visitatur : certa parte altaris ubi celebravit in sacrario templi maioris venerabiliter recondita , una cum testimonio literis valde authenticis et vetustis huic rei fidem minime suspectam facientibus : quae omnia mihi anno iam proxime elapso licuit videre et legere , dum Pisis aliquot diebus agerem.

Iacobus quoque frater Domini legitur Missam celebrasse Hierosolymis : saltem de ritu huius sanctae actionis celebrandae , allegatur scriptum eius una cum libello de Missa , quem edidit D. Basilius a sexta Synodo , Canone XXXII. Verba Synodi (cum hydroparastarum errorem damnat) sunt haec (a) : *Etenim Iacobus ille secundum carnem Christi Dei nostri frater , qui Hierosolymitanae Ecclesiae primus sedem concreditam habuit , et Basilius ille Caesareae Episcopus , cuius gloria omnem terram pervagata est , scriptis mysticum nobis sacrificium tradentes , sic consummatum in divino sacramento , ex aqua et vino sanctum illum calicem tradiderunt.*

Percelebris est etiam de hoc sacrificio memoria , et ut a Domino tradita commendata , in tertio canone Apostolorum , quem Sanctus Martyr et Ecclesiae Pontifex Eutychianus allegat in prima epistola sua ad Episcopum Beticae , qui sic habet (b) : *Si quis Episcopus aut Presbyter praeter ordinationem Domini , quando sacrificium instituit , aliud quidpiam , puta aut mel aut lac , aut pro vino siceram , aut confecta quaedam aut aliqua animalia aut legumina super altare obtulerit , ut qui contra ordinationem Domini facit , deponitor.* Nescio quid clarius aut dilucidius possit afferri ad damnandam impietatem adversariorum Eucharistiae : bis enim hic retulerunt Sancti Apostoli , altaris sacrificium Traditionem et institutionem esse Dominicam. Non est tergiversationis aliquis locus , cum aperte faciat mentionem sacrificii altaris et particula-

(a) Sexta Synod. Can. XXXII.

(b) Canon. Apostolor. Can. III.

ris ministri, puta sacerdotis: neque est etiam quod Canon iste non recipiatur, tum quia huius instituti multa posteriora Concilia et Decretales Patrum meminerunt, et confirmarunt ipsum: tum etiam quia in magno semper praetio habiti sunt ab Ecclesia hi Canones Apostolorum, ut iam iam videbimus.

Audisti vocem Apostolorum de sacrificio vere et proprie sumpto, ut condistinguitur a sacrificio laudis et obedientiae, audi nunc eosdem, ipsam actionem sacrificii a communione Eucharistiae seiungentes; ne propter multiplicationem significationis vocabuli in re divina et merito adoranda pernitiouse ludant sectarii: quorum verba Canone VIII. continentur hoc pacto (a): *Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, vel quilibet Sacerdotali Catalogo adscriptus oblatione facta non communicaverit, causam dicat, ut si rationabilis fuerit, veniam consequatur, aut si non dixerit, communione privetur, tamquam qui causa laesionis extiterit, dans suspicionem de eo, qui sacrificavit quod recte non obtulerit.* Iam vides ibi oblationem et sacrificium Eucharistiae, a communione seiuncta.

Legimus etiam in historia martyrii D. Andreae, quam Sacerdotes et Diaconi Achaiae conscripserunt, cum ab Aegea Praefecto Achaiae Provinciae ad sacrificandum idolis compelleretur idem Andreas, hoc modo respondisse (b): *Ego Omnipotenti Deo agnum immaculatum quotidie offero, qui posteaquam a toto populo commestus fuerit, integer perseverat: id ipsum testante Beati Matthaei historia, quae asserit, sanctum hunc Apostolum dum Sacrificium hoc incruentum celebraret, a gentili Rege fuisse interemptum.* Quare ab ipsis Apostolis Sacrificium altaris habes fuisse frequentatum, cum eadem fide quae nunc est in Ecclesia. Et huc videtur illud ex Actis Apostolorum (c) tendere, quod de

(a) Canon. Apost. Can. VIII.

(b) Andreas in Act. (c) Act. II.

de Apostolis dicitur, eos scilicet post adventum Spiritus Sancti, perseverasse unanimiter in templo, frangentes circa domos panem cum exultatione.

Quod Corpus Christi maneat in consecrata hostia etiam sine usu communionis.

DIvus Clemens, discipulus et successor Petri, inter ea quae ab ipso Magistro suo accepit, et commendat, multa inculcat, imo manifestat, circa hoc Sacrificium Corporis et Sanguinis Domini, tam quae ministros, quam quae munditiem celebrationis concernunt, sic habet una ex iis Traditionibus, quae ibi promulgantur. Tribus gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum, presbytero, diacono et ministro, qui cum timore et tremore reliquias Corporis Domini debent custodire fragmentorum, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne cum negligenter agitur, portioni Corporis Domini gravis inferatur iniuria. Et subiungit: *Tanta in altari holocausta offerantur quanta populo sufficere debent.*

Iam hic vides quae docebant Apostoli tempore suo de sacrosancta Eucharistia. Primo determinatis gradibus officia quae circa ipsa erant commendabant. Deinde modum et numerum offerendarum hostiarum praescribebant, nomine oblationis et sacrificii. Tertio fragmenta Eucharistiae portiones corporis Domini vocabant, et cum timore et tremore tractari iubent: quae verba manifestam faciunt praesentiam realem corporis Christi sub Sacramento. Quarto, quod reliquiae istae observabantur et venerabantur, magnopere caventes ne portioni Domini iniuria irrogaretur. Sed pergens Clemens in his quae a Petro se dicit accepisse: *Qui residua corporis Domini, quae in sacrario relictas sunt, consumunt, non statim ad communes cibos accipiendos accedant, nec*

putent sanctae portioni commiscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur; si ergo mane dominica portio editur, usque ad sextam ieiunent ministri.

Iterum confirmat Clemens quae dicta sunt, et manifeste vocat corporis Domini reliquias, quae in sacrario servabantur, ipsaque ab aliis cibariis materialibus secernit, nec per indigna loca emitti docet, quae non esse sacram Eucharistiam panem tantum materiale, satis indicant; alias quid prohiberet, quominus sicut alia cibaria digereretur? et quorsum tanta reverentia, tanta cautela, tanta custodia in hoc prae aliis signis sacramentalibus, si non ibi adest sacramentaliter corporis Christi praesentia? Illud ergo clare constat ex verbis Clementis, quod ibi Christus re et signo existit, non solum cum consecratur, aut communicaturis distribuitur, sed etiam post consecrationem dum asservatur: quorum contrarium docent etiam Lutherani, qui erga Sacramentum hoc minus impii videntur.

Et miror sane ut obiter errorem istum et blasphemiam impugnemus, protervam ipsorum ignorantiam, qui sine scriptura et ratione, audeant gratis in tantas blasphemias prorumpere: dicere enim, quod Christus dum communicatur et participatur in Eucharistia est, et quod cessante usu communionis, non est, etiam si hostia consecrata servetur: insuper quod quando distribuitur, adorari non debet; impium plane est, et irrationabile: sequitur enim ex prima parte huius maledicti dogmatis, quod virtus verborum consecrationis, et potestas consecrandi pendet a voluntate accipientis, quia si quis ad communionem paratus sacrae communionis particeps esse vult, Christus ibi est; et si non vult, non est.

Sit ergo rei veritas, quod aliquis Sacerdos consecret, et alius accipere nolit, vel plures hostias consecret, quam sint com-

municaturi : tunc quaero in his hostiis quae minime accipiuntur, an est corpus, nec ne : si non est, iam praesentia corporis Christi realis in sacramento ab accipientium voluntate pendet, et non prorsus a ministro debite ordinato, et verbis prolatis super convenienti materia, et intentione faciendi id, quod Christus faciendum instituit. Item sequitur quod nunquam possit scire sacerdos quando consecrat, aut quando non consecrat; eo quod nequit illi constare de veraci proposito eorum qui accipere debent.

Rursus ponatur quod aliquis velit communicare, et sacerdos consecret eo animo, ut Eucharistiam illi communicet, et post consecrationem, ille cui parabatur, nolit communicare; tunc quid possunt isti dicere de reali Christi praesentia, est in hostia consecrata, an non? Si est, per aliquod ergo tempus est, quamvis non distribuatur, aut ab aliquo accipiatur: sit ergo tempus illud una, quarta vel media hora: quare ergo non erit per aliam dimidiam horam et per diem et per annum, denique quousque sacramentales illae species corrumpantur, ut recte docent Catholici Theologi? Non enim est Christi pactio in hoc ineffabili sacramento, quod scilicet ei assistet, si voverint fideles communicare; quamvis finis praecipuus institutionis eius sit, ut Christus ipse per manducationem sacramentalem maneat in fidelibus, et vice versa fideles in eo: tantum dicitur in institutione eius: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Quorsum, quod Christus non praescribit institutione Eucharistiae, fastuosi isti novitatum inventores e suo privato capite tam impie et temere ausi sunt affirmare? Quod si dixerint nullo pacto manere ibi corpus Christi, quam primum ille, qui communicare volebat, abiicit a se propositum communicandi, tunc si ille, vel alius rursus vellet communicare, necesse esset ean-

dem hostiam denuo consecrare, iamque per solam voluntatem ipsius accipientis Christus inciperet et desineret esse in sacramento. Quare non opus erat ut Christus diceret sacerdotibus: *Facite*, sed ut cum communicantibus loqueretur, dicens: *Consensum vestrum praebete huic sacramento conficiendo, alias nihil fiet: quae quam sint ridicula, et absurda, viderint sanae mentis homines.*

Adde quod sanctus Dionysius narrans modum conficiendi sacram Eucharistiam et communionis, dicit, quod *sacerdos volens illam distribuere, prius sacra mysteria iis, qui debent communicare, reverenter ostendit. Tunc vero castissimi sacratissimorum signorum ministri et studiosissimi spectatores sacrosancta mysteria digna cum veneratione contuentes, beneficium illud principium ac totius indultorem bonitatis, catholica laudatione concelebrant.* Haec verba manifesto indicant tempore Apostolorum divinae Eucharistiae exhibitam fuisse magnam reverentiam.

Damnat etiam cum hoc Clemente dogma istud perversum, sanctus pater Cyrillus, ante mille annos, ad Callosirium Episcopum loquens de quibusdam aliis nebulonibus, isthuc ipsum, quod isti, sentientibus (a): *Audio quod dicunt illi mysticam benedictionem, si ex ea remanserint in sequentem diem reliquiae, ad sanctificationem inutilem esse, sed insaniunt haec dicentes: non enim alius fit Christus, neque sanctum eius corpus mutabitur, sed benedictionis virtus et vivifica gratia, perpetuo manent in illo.* Vides quomodo hic S. Pater aperte fatetur praesentiae Christi veritatem in his mysteriis, et gratiam vivificam ab eis minime discedentem. Quare ergo non ipsum adorabimus, et symbolum eius sacratissimum non venerabimur, cum per psalmographum adorari iubeat Deus scabellum pedum eius, quoniam sanctum est?

Si

(a) Cyrillus ad Calloss.

Si dicant non debere adorari, quia nullum extat praeceptum de huiusmodi adoratione: incusent ergo tres illos Magos sanctissimos, qui ab oriente venerunt adoraturi Christum in cunabulis vagientem. Damnent pastores illos ad praesepe ipsius humiliter provolutos. Damnent Magdalenam, mulierem Cananaeam, et aliam Syrophenissam, et alios multos, quos Christus laudavit, ob sibi divinos exhibitos honores, et a se minime praeceptos. O manifestam insaniam! Nam vel Lutherani isti credunt ex verborum et pactionis Dei, Christum veraciter in altaris mysteriis contineri, vel non: si non credunt, cum impiis sacramentariis plane sentiunt; quod scio non dicent, quamvis in hoc corrupto dogmate ostium ad sacramentariorum impietatem plane aperuerunt: si autem credunt illum ibi esse praesentem, cur non ibi illum adorant? Numquid quia ibi aliter est quam sit in coelo, vel fuerit olim vivens in terra? Quid ad rem facit, quod aliter sit, si credo eundem Christum substantialiter ibi esse, qui et in coelis est, et in terris vixit? Ergo si habitu alio alicui contingerit Christum corporaliter videre, certo sciens ipsum esse, prius debuisset ab eo interrogare, an velit adorari, nec ne, quam ei honor aliquis exhiberetur. Ridicula certe sunt haec, et prorsus indigna, quae ab hominibus qui tantum sibi tribuunt, affirmantur.

Quid quod Divus Augustinus, adorandam Christi carnem benedictam in sacramento altaris affirmat? Ait enim in expositione Psalmi XCVIII. (a) *Invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim Christus de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit, et quia in ipsa carne ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo illam manducat ni-*

si

(a) August. in Expos. Psal. cit.

si adoraverit. Inventum est quemadmodum tale scabellum pedum Domini adoremus, et non solum non peccemus adorando, sed et peccemus non adorando. Hoc in loco (si bene advertis) D. Augustinus omnes nebulas ambiguitatis circa hoc sacrosanctum mysterium dispellit, et utramque haereticorum factionem plane damnat. Qui enim iubet adorare carnem Christi benedictam, quam in sacramento altaris manducamus, ipsam ibi realiter et non in signo existere indubitato affirmat.

Habes ergo iam (ut multos alios taceam) tres sanctos Patres quae ex professo sathanicum istud dogma Lutheranorum condemnant. Primum, Dionysium Apostolorum discipulum. Secundum Augustinum. Tertium, Cyrillum: tam in eo quod dicunt Christum sine usu communionis in sacramento non existere, quam in eo quod impie negant ibi adorandum esse. Quod si de praecepto in scripturae contento literatores isti circa huiusmodi adorationem tantum sunt anxii, habent cui obediant. Est enim divinum praeceptum: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Et illud: *Isti omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Cumque realiter et sacramentaliter lateat sub illis speciebus, et nefarium ducant istud non credere, ibi adorare eum oportet, ubi ipsum credunt specialiter esse.

Nec opus fuit, ut de hac re novum daretur praeceptum, sicut neque quando Imperatorem video, aut obvium habeo, quamvis in habitu dissimulato videam, praecepto novo opus est ad hoc, ut ipsum reverear, sed satis est quod mihi non prohibeatur reverentia. Parciores tamen volunt esse isti evangelici in cultu Dei quam in cultu hominum, ne dicam *impietiores*. Et certe si libere loqui liceat, dogma istud satis arguit eos plane dementes esse, aut solum corpus Christi, et non totum Christum in Eucharistia contineri, aut Oecolampadianas partes apud Lu-

the-

theranos obtinuisse in impio dogmate suo victoriam. Hunc morem divinae Eucharistiae servandae renovarunt synodus Wormatiensis, et generalissima Lateranensis (a), constitutione XX. *Ut sub fideli custodia clavibus adhibitis Eucharistia conservetur, tum pro consolatione fidelium, tum propter infirmorum necessitates, quae occurrere possunt: quibus de visitatione infirmorum viaticum iubet (b) Augustinus adferri.* Sed institutum hoc magis apostolicum, quam divinum est. Iam redeamus ad nostram de venerando sacrificio Traditionem. Idem Clemens (c) aperta voce etiam fatetur sacerdotes offerre et sacrificare, et longo intervallo actionem hanc sacrificii a communione secernit: cum enim poenam imponat ibi sacerdotibus, qui coelibatum non servant, dicit: *Sacrarii non intrent limina, nec sacrificii portitores fiant, nec altare contingant, nec ab offerentibus holocausti oblationem accipiant, nec dominici corporis portionem accipiant.* En vides tempore Apostolorum Eucharistiam portari, offerri, holocaustum et sacrificium dici, et communicari.

S. Dionysius mysterium istud sacrificium appellat (d), exponens venerandae Missae ceremonias: *Oportet nos nudata primi et praecipui intelligentia signi, intra sacrosancta transire, divinamque principalem huius signi speciem intueri, ac Pontificem augustius cernere a divino altari usque ad fani novissima cum odoris suavitate pergentem, ac rursus ad altare ipsum consummandi sacrificii gratia remeantem: ubi advertis sacrificium dici altaris mysterium.* Et capite V. dicit, quod *sacrosanctae communionis sacramenta non perficiat sacerdos, nisi signis tanti mysterii altaribus venerandis impositis.* In altari autem debere perfici sacramenta, manifestam fidem fa-

Tom. I.

Gg

cit.

(a) Synodus Lateranensis. Const. XX.

(c) Clemens Epist. II.

(b) August. Lib. II. cap. 4.

(d) Dionysius Coelest. Hierarch. cap. III.

cit sacramentum hoc esse sacrificium. Et adverte quod haec mysteria sacrosancta iam hic doctor sanctissimus appellat sacramentorum consummationem, dicens hanc appellationem a Divo Paulo praeceptore suo didicisse, iam divinum et augustissimum sacramentorum, iam divinum munus, iam communionem divinam, iam divinum panem, iam dona supercoelestia, capite tertio, quarto et quinto.

Subscribit huic sanctae Traditioni sanctus Martialis, unus ex Domini discipulis, qui Petri Apostoli comes individuus fuit, et ab eodem Petro Apostolo, ut creditur, in Galliam Aquitanicam Apostolus missus est: qui etiam Christum se dicit vidisse, epistola ad Burdegalenses (a). Cuius pervetustum exemplar licuit mihi videre in Bibliotheca illustris D. D. Didaci de Mendoza, dum apud eum Tridenti agerem, quod credo iam typis esse mandatum. Is loquens de seipso et Ecclesiae sacerdotibus, illustrissimum de altaris sacrificio praebet testimonium: *Sacrificium Deo creatori offertur in ara, non homini, neque angelo, nec solum in ara sanctificata, sed ubique offertur Deo oblatio munda, sicut testatus est, cuius corpus et sanguinem in vitam aeternam offerimus, dicentes: Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare: ipse enim corpus habens immaculatum, et sine peccato, quia conceptus est de Spiritu Sancto, natus est de Maria Virgine, in ara crucis ipsum permisit immolari. Quod autem Iudaei per invidiam immolaverunt, putantes se nomen eius a terra abolere, nos causa salutis nostrae in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam praestandam, et mortem effugiendam.*

Sufficeret testimonium huius testis tam venerandi, qui Christum ipsum huius mysterii institutorem audivit et vidit, ad tollendas in Ecclesia circa hoc pacis et unitatis sacramentum per-

ni-

(a) S. Martialis cit. Epist. cap. 3.

niciosas controversias. Nam quid obsecro dixit hic sacratus Christi discipulus, quod hodie non teneat Catholica Ecclesia, quae Apostolis successit, et ab eis edocta est? Dixit enim aperta voce duplex sacrificium a Christianis offerri, et hoc ex Christi doctrina: alterum mere spirituale, et invisibile, quando scilicet humiliati et obediens Deo toto cordis affectu, nos et omnia nostra illi commendamus, ut fiat in nobis eius voluntas, et debita ei servitute placeamus: Alterum, quod in ara sanctificata quotidie offert Ecclesia verum Christi corpus, sacrificium illud unicum crucis repraesentando. Aperuit etiam quid apud Deum valeret huiusmodi visibilis oblatio, nam dixit per eam nobis vitam conferri et mortem effugari: quae ne quis putet hominum commenta, sic clausit suae orationis periodum hic sanctus Christi discipulus: *Hoc enim ipse Dominus Iesus iussit nos agere in sui commemorationem.* Hucusque Divus Martialis.

Nec reliquit mysterium illud intactum sanctissimus martyr Ignatius Ioannis Apostoli discipulus, quem Dionysius praefatus libro de divinis nominibus reverenter allegat, obedientiam Episcopi commendans, epistola ad Philadelphienses, ubi presbyteros Philadelpiae sic alloquitur (a): *Non licet sine Episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Missas celebrare.* Adest tibi sacrificium, et oblatio altaris a Divo Ignatio memorata, una cum nomine Missae, quam impii isti novatores non solum negant, sed abominandam meretricem esse e suggestu boant: flagitium certe durissima animadversione dignum.

Simile institutum, et quasi sub hac forma, legimus in epistola Clementis, quod ex D. Petro in libro Recognitionum desumpsit, quo Presbyteris praecipit, et aliis Clericis (b), *ut nihil absque proprii Episcopi licentia agant, neque Missas, inquit, sine eius*

(a) Ignatius Epist. ad Philadelph.

(b) Clemens Epist. III.

iussu. Et paucis inter positis addit sanctus martyr: *In aliis locis sacrificare et Missas celebrare non licet, nisi in his in quibus Episcopus proprius iusserit.* Quid ergo nebulones isti papisticum institutum sacrosanctam Missam esse affirmant, cum discipuli Christi reverendam de ea faciant mentionem? neque hoc quidem quasi ab Apostolis traditam, sed ut a Domino nostro Iesu Christo institutam. Non capit certe intellectus humanus rem tam arduam, tam excellentem, tam a carnis sensu remotam, ubi Christus non solum operatur, sed modo mirabili nobis ignoto sua reali praesentia assistit, hominum esse posse institutum; tantum abest ut sit commentum.

An necessaria sit adstantibus communio, cum Eucharistia consecratur.

ANacletus martyr sanctissimus a Petro Apostolo presbyter (ut ipse dicit) ordinatus, in prima suarum epistolarum ter vel quater sacerdotes et Episcopos sacrificatores appellat: non quidem propter sacrificium laudis aut spiritualium hostiarum, nam hoc modo omnes vere Christianos potuisset sic appellare, sed propter visibile istud quod illis divina dispositione datum est in altari visibili Deo offerre sacrificium, prout ipsius verba declarant, quae sic habent (a): *Deo sacrificantes perfecte non debent vexari, sed portari, consolari, atque ab hominibus venerari: ipsi autem quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Domino perfecte in sacratis Deo sacrificare locis probentur; ait namque auctoritas legis divinae: Vide ne offeras holocausta in omni loco quem videris, sed in loco, &c.* Et subdit: *Episcopus Domino sacrificans, testes, ut praefixum est, habeat plures quam alius sacerdos: sicut enim maioris honoris gradu fruitur,*
sic

(a) Anaclet. cit. Epist.

sic maiori testimonio eget. In solemnioribus quippe diebus, aut septem aut quinque aut tres Diacones, qui eius oculi dicuntur, et Subdiacones, et reliquos ministros secum habeat: qui sacris induti vestimentis in fronte et a tergo, et Presbyteri e regione dextera levaque contrito corde et humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum a malevolis hominibus, et consensum eius praebeant sacrificio: peracta autem consecratione, omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus: sic enim Apostoli statuerunt, et sancta Romana Ecclesia.

Huc usque Anacletus; qui non solum de sacerdotum principali munere, quod est visibiliter sacrificare, apertam mentionem fecit, sed et modum quem servare debent Episcopi in publica venerandae Missae celebratione descripsit, quem hodie etiam servat Ecclesia. Nec non tremorem, et reverentiam quam adstantes altaris ministri, divinae Eucharistiae debent exhibere, haud obscure intimavit: Iussit enim ut contrito corde et humiliato spiritu, et prono vultu assistant, quae plane signa adorationis et reverentiae sunt, hoc testimonium reiicere adversarii, quippe quo ipsi utantur contra nos, quasi regulam apostolicam non teneamus, in eo quod post Missae celebrationem, communicantes non semper adstant, quibus dominicum corpus distribuatur: cuius contrarium dispositione apostolica hic Apostolorum discipulus, visus est iubere: sed res salva est. Nam D. Anacletus solum id iubet fieri in solemnioribus diebus, et quando Episcopus cum pompa illa publice celebrat.

Et quamvis generalis esset institutio, cum mores solum concernat, et non fidei dogmata, variabilis res est, et pro loco et tempore, fidelium infirmitate, et multitudine pensatis, ab Ecclesia mutari potuit. Id quod D. Fabianus martyr, isto Anacleto non multo posterior, visus fuit moderari, communionis tem-

pus

pus fidelium ad tres duntaxat solemnes festivitates coarctans, Natalis Domini, Resurrectionis et Pentecostes, hoc ipsum confirmante Agathensi synodo. Miror sane praeposterum et corruptum adversariorum iudicium, qui cum apud eundem auctorem, et in eodem contextu, de sacrificio et oblatione altaris simul cum fidelium communione videant fieri honorificam mentionem, et quod de sacrificio et oblatione dicitur, constet esse dogma invariabile, et ad fidei doctrinam pertinens, quod vero de communione affirmat, ad mores Ecclesiae pertinet, et res plane sit a voluntate instituentium dependens, illud tamen reiiciunt, irridet, et ab Ecclesia volunt explodi, alterum vero admirantur, et tanquam rem simpliciter necessariam inculcant: nec pudet eos allegare virum sanctissimum: qui si falsum dicit in eo, quod de sacrificio Missae docuit, ut illi falso autumant, non est quod illi in re alia multo minoris momenti credatur.

Putabis fortassis reverentia Apostolicae Traditionis eos ductos fuisse, quatenus haec institutio servari debere existiment. Aliter tamen res se habet: nihil enim minus curant quam Apostolica tradita, quibus passim detrahunt et repugnant, in rebus alioqui magni momenti et ad salutem necessariis: quin potius eo tendit versipellis eorum astutia, quatenus erroneam doctrinam suam, qua docent sacram Eucharistiam ad solam communionem a Christo Iesu fuisse institutam, falsa quadam apostolici nominis umbra promoveant, aut quoquo modo obtrudant: sed sufficiat circa haec ista dixisse.

Iam accedat alius testis non minoris fidei aut auctoritatis, quam praecedens, Alexander scilicet primus huius nominis martyr sanctissimus, qui sextus post Petrum Romanam sedem tenuit, et Adriani temporibus martyrio coronatus est: is in prima epistola sua, quam ad omnes fideles misit, fere omnia quae

nunc Catholica docet Ecclesia, de his divinis altaris mysteriis approbat, et clara voce praedicat, his verbis (a) : *In sacramentorum oblationibus, quae inter Missarum solemnias a Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut eius cuius corpus et sanguis conficitur, passio celebretur; ita ut repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur: non debent enim, ut a Patribus accepimus, et ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua solum offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere eius in passione profluxisse legitur: ipsa vero veritas instruit calicem et panem in sacramento offerre, quando ait: Accipit Iesus panem et benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate, hoc enim est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter postquam coenavit, accepit calicem, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes, quia hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Crimina enim atque peccata oblatiis his Domino sacrificiis, delentur. Idcirco et passio eius in his commemoranda est, qua redempti sumus, et saepius recitanda, atque haec Domino offerenda: talibus enim hostiis delectabitur et placabitur Dominus, et peccata dimittet ingentia: nihil enim in sacrificiis maius esse potest, quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, sed haec omnes prae-cellit: quae pura conscientia Domino offerenda est, et pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda, et sicut potior est ceteris, ita potius excoli et venerari debet.*

Multa hic habes ab isto haerede Apostolorum et martyre sanctissimo, circa divina altaris mysteria praedicata, atque clara voce confessa. Primo habes in sacrosancta Missa Eucharistiam offerri. Secundo, corpus et sanguinem Christi Iesu in ea confici. Tertio, quod haec confectio et oblatio Domino instruente

(a) Alexander I. citat. Epist.

te introducta est: dixit enim; *Sicut ipsa veritas nos instruit panem et calicem in sacramento offerre.* Quarto, quid crimina et peccata his sacrificiis delentur: non tantum eius qui communicat, sed eius pro quo offertur, et repraesentatur, modo impedimentum non ponat, et hoc quidem ex vi ipsius institutionis, et excellentiae illius qui in his mysteriis offertur, et merito rei oblatæ, quod scholastici dicunt ex opere operato. Valent ergo sacrificia oblata ad remissionem criminum et peccatorum, id est reliquiarum, quae in nobis remanserunt post indulgentiam culpæ. Et quod istud sic debeat intelligi, satis clare patet. Nam cum hic Divus affirmet, pura conscientia debere offerri et summi hoc sacramentum, constat non digne recipi, nisi conscientiam Deo sit reconciliata. Quae erunt ergo haec crimina et peccata, quae dicit remitti propter oblationem et communionem Eucharistiae? Certe non videntur alia nisi reatus poenae temporalis, quae pro peccatis debetur, et aliae peccatorum reliquiae, quibus post peccatum (adhuc quo ad culpam remissum) manet anima languens et infirma ad bonum operandum, et in via Dei incedendum: ob idque sancti viri divinam Eucharistiam animæ robur et fortitudinem solent appellare.

Nec propter hoc putes divinum hoc sacramentum non sustentare animam, aut minoris efficaciae esse, quam reliqua Christi sacramenta, quod primam gratiam non conferat, sed suscipientis recte dispositam conscientiam postulet; quia sat est, quod illam augeat, et mirum in modum animam ipsam confortet panis ille supersubstantialis et coelestis, sicut nec dicendum est panem materiale istum, quo vescimur, corpori non prodesse, quia ad hoc quod prosit necesse est ipsum corpus esse bene dispositum. Et sicut cibus materialis tanto magis prodest, quanto melius ille qui accipit est dispositus, sic etiam variatur sacrae

Eucharistiae profectus in communicantibus. Quintum quod bis sanctam Eucharistiam, appellat Sacrificium maximum. Sextum, quod ab omnibus coli, et summopere venerari debet: quorum contraria omnino tenent sanctae Eucharistiae adversarii: et quo magis confirmetur quae dicta sunt, scias Sanctum hunc Patrem, ut Platina et alii referunt, verba illa: Qui pridie quam pateretur, usque in finem verborum consecrationis in sacrosancta Missae actione apposuisse. Sicut Sixtus I. qui huic Divo successit, *Sanctus* ter repetitum, in eadem Missa ante consecrationem dici voluit.

Sanctus Thelesphorus, idemque Martyr, octavus a Petro in Romana Sede, Missarum celebrandarum tempus statuit, et Sacerdotes huius mysterii proprios ministros appellat: dicit enim nonnulla decernens, quae a Sacerdotibus debent observari circa hoc venerandum altaris sacrificium (a): *Nocte sanctae Nativitatis Domini Salvatoris Missas celebrent, et Hymnum Angelicum in eis solemniter decantent, reliquis vero temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam non sunt celebrandae, quia et eadem hora Dominus crucifixus est, et Spiritus Sanctus in Apostolos descendit. Veritatem autem corporis CHRISTI, et Sacerdotum peculiarem circa hoc potestatem in Sacramento, statim commemorat hic Sanctus Pontifex, loquens de Sacerdotibus: Hi (inquit) qui proprio ore corpus Domini conficiunt ab omnibus sunt obediendi &c.*

De Pio primo Martyre sanctissimo, qui tempore M. Antonini martyrio coronatus est, legimus in fidedignis historiis, quod cum prohibiti essent Christiani huius Imperatoris edictis sacra mysteria in publico loco conficere, ipse in Beatae Potentianae domo sacrificia faciebat, qui iuxta Gratianum, consecrationem Ecclesiae absque Missa fieri prohibuit, et sacrae Eucha-

(a) Decret. Thelesphori de Missa.

ristiae particulas, quae in terram deciderint lambere iussit, multam poenae negligentibus adiiciens: quae omnia veritatem corporis Christi in Sacramento demonstrant, et sacrae Missae actionem probant.

Idipsum confirmat Sanctus Pontianus martyr, qui tempore Alexandri Mameae exilium pro Christo perpessus est, in epistola sua ad Felicem de non vexandis Sacerdotibus, cuius verba sunt haec (a): *De Sacerdotibus quos nos audivimus contra pravorum hominum insidias adiuvere, eorumque causas portare, scitote vos in eo illi valde placere, qui sibi eos ad serviendum asseruit, et familiares in tantum sibi esse voluit, ut etiam aliorum hostias per eos acceptaret, atque eorum peccata donaret, sibi que reconciliaret, ipsi quoque proprio ore corpus Domini conficiunt et populis tradunt.* Quibus verbis, et Christi corporis veritas, et Sacerdotum potestas iterum clare satis exprimuntur, hoc idem approbante D. Fabiano Martyre, qui tempore Philippi Imperatoris martyrio coronatus est, in secunda epistola sua ad Orientales (b): *Sacerdotes Dominus sibi elegit, ut sacrificent et offerant Domini oblationes.*

Haec de sacrosancto altaris sacrificio et reali praesentia Christi Redemptoris nostri in eo docebantur olim in Ecclesia Dei unanimi consensu, tenore continuo, quando nulla in ea regnabat ambitio, nullus abusus, quando denique apostolica simplicitas, et doctrina regnabant, et Iesu Christi sanguis in pectoribus fidelium fervebat, quam aetatem si recte supputes a Christi morte usque ad Divum istum, fluxerunt anni ccxv. In qua isti viri sanctissimi Apostolorum discipuli, Martyres Deo digni floruerunt, et Ecclesiam docuerunt, et ni fallor duodecim numero sunt, qui nostrae considerationi de venerando Sacrificio Missae, et reali praesentia corporis Christi in Eucharistia, et de gratia et valore

(a) Pontian. epist. cit.

(b) Fabian. cit. epist.

re eius subscripserunt. Atque hi sunt Dionysius, Martialis, Clemens, Ignatius, Anacletus, Alexander, Thelesphorus, Pius primus, Pontianus, Fabianus, omnes Martyres et Pontifices Ecclesiae.

Iam accedant testes subsequenter aetatis, viri sanctissimi, qui discipulos Apostolorum viderunt, et cum eis conversati sunt, vel ab eorum auditoribus sunt edocti, qui huic sanctae Traditioni praeclara praebeant testimonia.

Primus occurrit D. Irenaeus Doctor percelebris, qui Policarpum Ioannis Apostoli discipulum dicit se vidisse, et cum eo conversatum fuisse: qui loquens de Christo et de hac sacrosancta oblatione, eadem omnino docet, quae praesens Ecclesia in his sanctis altaris mysteriis confitetur (a): *Suis discipulis dat consilium (Christus) primitias Deo offerre ex suis creaturis: non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, cum ex creatura panis accepit, et gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus: et calicem similiter, qui est eadem creatura quae est in nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis praestat: de qua in Malachia (b): Non est mihi voluntas in vobis, &c. Per haec signans, quoniam prior populus cessavit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur, et hoc purum: haec ille. Multa habes ex verbis istius venerandi Patris, quae Lutheranos et Sacramentarios in hac parte condemnant. Primo, institutum Christi esse dicit altaris oblationem. Secundum, veritatem corporis et sanguinis Christi in his mysteriis fatetur, et quod Christus hoc idem confessus fuerit illis verbis sacratissimis: *Hoc est Corpus meum; hic est sanguis meus: veraciter inquam, non in figura. Tertio, quod hanc doctrinam offerendi Ecclesia ab**

(a) Iren. adv. haeres. Libr. IV. cap. 34. (b) Malac. I. 10.

Apostolis accepit in universo ; quae omnia verbis tam clare egit, ut nulla possint nec confusione , nec tergiversatione eludi.

Post vero (a) hoc testimonio minime contentus , praesul hic beatus, longum texit de oblatione divinae Eucharistiae sermonem: *Ecclesiae oblatio quam Dominus docuit offerri in universo mundo , purum sacrificium reputata est apud Deum , et acceptum est ei : non quod indigeat a nobis sacrificio , sed quoniam is qui offert , glorificatur ipse in eo quod offert , si acceptetur munus eius. Per munus enim, erga regem et honos et affectio ostenditur , quod in omni simplicitate et innocentia Dominus volens nos offerre praedicavit , dicens : Cum offers munus tuum ad altare &c. Et addit : Offerre igitur Deo oportet , sicut Moyses dicit : Non apparebis in conspectu meo vacuus. Et paullo post : Sed genus oblationum reprobatum est. Oblationes enim illic in veteri Testamento , oblationes autem hic in novo , sacrificia in populo , sacrificia in Ecclesia , sed species immutata est. Vides quomodo sacrificium visibile et oblationem ex divina institutione dixit esse in Ecclesia , sicut olim in populo Israel : hoc excepto, quod sicut translatum est sacerdotium , translata et mutata est species sacrificii.*

Et infra , concludens utramque oblationem corporis et sanguinis Domini, quae in Ecclesia fit, visibilem et invisibilem esse, diversis tamen rationibus , subiungit : *Oportet nos oblationem Deo facere , et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo , conscientia pura , et fide sine hypocrisi , in spe firma , in dilectione ferventi , primitias eorum , quae sunt eius creaturarum offerentes : et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori , offerens ei cum gratiarum actione ex eius creatura. Iudaei iam non offerunt , quia manus eorum repletae sunt sanguine : sed neque omnes haereticorum synagogae , quae alium dicunt fabricatorem praeter patrem , quomodo autem constabit*

eis

(a) Cap. IV.

eis eum panem in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicunt? et quomodo dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur, quare aut sententiam mutant, aut abstineant ab offerendo quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiae: et Eucharistia rursus confirmans sententiam nostram: offerimus ei, quae sunt eius congruenter, communicationem, et unitatem praedicantes carnis et spiritus, quaemadmodum enim qui est a terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, duabus rebus constans, terrena et coelesti, sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, sed speciem resurrectionis habentia. Haec ille.

Hic iterum habes quod Ecclesia Dei sola offert ex primitiis creaturarum puram oblationem fabricatoris sui. Habes etiam quod panis in quo gratiae actae sunt, corpus est Domini, et calix sanguis eius, et quod non communis est panis post gratiarum actionem, id est verba illa consecrationis, sed Eucharistia. Nec te moveat quod panem Eucharistiam appellat, ut subinde putes panem materiale ibi manere, nec quod dixerit Eucharistiam ex duabus rebus constare, quarum alteram terrenam vocavit, nam utrumque verum est, et pium sensum admittit: panis namque coelestis, Christus a Sanctis Patribus solet nuncupari, quo videlicet animae nostrae sustentantur: et quicquid sit de hoc, satis nobis est, quod ipsemet auctor se exponendo dicit, quod panis, in quo gratiae actae sunt, corpus est Domini: iam ergo panis materialis non est, aliter locutio illa esset impossibilis.

Item si ipse dicit quod non est communis panis post gratias, sed Eucharistia, quomodo putari potest, quod hic Beatus cum appellat panem Eucharistiam, panem materiale intelligat? Ista clarissima sunt; quod vero dicit ex duabus rebus Eucharistiam

constare, terrena et coelesti ; vero verius loquitur : nam in divina Eucharistia Sacramentum est , et res Sacramenti : Sacramentum , signa illa sunt sensibilia , hoc est panis materialis accidentia : res vero Sacramenti , ipse Christus coelesti substantia veraciter ibi contentus , et sive sit ibi per modum substantiae modo quodam spirituali , quod Divus Thomas ad mentem Sanctorum antiquorum asseveravit , et mihi magis arridet , sive sit per modum substantiae et quantitatis , quamvis non habens modum quantitativum , ut aliis placet , quod non improbo , aut alio modo soli Deo noto , perinde mihi est : nolo scrutari , quod magis debeo admirari et adorare. Itaque cum dicit constare Eucharistiam ex coelesti natura , iam hic aperte fatetur praesentiam realem Iesu Christi hic vir apostolicus , nam coelestem appellavit , ut condistinguitur a terrena : et id quidem absque ullo furore et ambage verborum expressit.

Quod si percunctetur aliquis , cum duo includat in se sacra Eucharistia , coelestem naturam atque terrenam , pro quo supponitur nomen istud Eucharistiae ? Iudicio meo responderi potest (*) , hoc nomen supponitur pro accidentibus illis hostiae consecratae , prout habet certum modum se habendi nobis ignotum , ad Christum ipsum sub illis accidentibus sacramentaliter contentum : non enim placet mihi , quod nonnulli dicunt nomen Eucharistiam supponi pro ipso Christo , ibi cum connotatione illorum accidentium : quia tunc ratio Sacramenti non videtur posse Eucharistiae convenire , saltem univoce : quod non videtur mihi satis docte , nec pie dictum ; cum Dionysius Sacramentum Sacramentorum divinam Eucharistiam dixerit : item Alexander I. et Tertullianus , et omnes Sancti.

Praeter hoc enim quod ipsum datorem gratiarum continet,

(*) Pro quo supponitur nomen Eucharistiae.

gratiam et robur dat digne sumentibus, et his pro quibus offertur, modo recte sint dispositi. Quae quidem gratia effectus est reliquorum Sacramentorum: quanta autem sit, et quantum prosit accipientibus et his pro quibus offertur, solus Deus novit; varii varia dicunt; nobis non licet ista temere perscrutari, sed conscientiam ad ipsam recipiendum magna diligentia parare, ne ad iudicium sumamus ipsam vitam. In fine vero capitis expresse dicit hic Sanctus, quod sicut olim dedit populo praeceptum faciendi oblationem, quamvis non indigeret ea, ut disceret Deo servire, sic et nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter et sine intermissione: quo nihil clarius dici potest ad altaris sacrosanctam oblationem et sacrificium astruendum. Nec video quid dici possit ab adversariis gratiae, si impudenter testimonia tantorum testium, qui ab Apostolis sunt edocti, non volunt recipere.

Tertullianus huic Irenaeo coevus, quia in nonnullis locis ubi de sacris altaris mysteriis facit mentionem, vocabulum hoc figura intertextuit, magnum negotium Sacramentariis exhibuit, maxime Oecolampadio impio principi eorum: sunt enim hoc ingenio haeretici, ut deteriora illis semper placeant; et si quid minus bene aut incaute scriptum in aliquo Doctore Ecclesiastico inveniunt, continuo ad statuenda sua dogmata transferunt: nihil de aliis recte scriptis curantes; eligentes (spreto Ecclesiae magisterio) primo opiniones, quibus credant (nam hac ratione dicuntur haeretici) post vero quaerunt in Scriptura et Doctoribus Ecclesiasticis locos quibus distorte intellectis, dogmata sua quoquo modo vendibilia faciant. Tertullianus ergo contra Marcionem (a), cum pascha quod Christus celebravit, commemorat,

(a) Tertull. Libr. IV.

rat, haec verba habet, quibus Sacramentarii dogma suum probant: *Acceptum panem, et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, dicendo: Hoc est corpus meum, id est figura corporis mei.* Haec sunt verba eius: ubi quia Tertullianus dixit figura, impii illi in divina Eucharistia nihil aliud quam panem materiale esse falso affirmant, non respicientes ad id, quod prius dixit, scilicet quod acceptum panem Iesus, corpus suum illum fecit: ubi verbum illud fecit, realem operationem significat, quia panem omnipotentia sua in suum corpus convertit Dominus Iesus. Quibus verbis non solum praesentia corporis Christi in sacramento affirmatur, sed etiam conversio panis in ipsum corpus.

Quod autem figura addidit, temperamentum praecedentis sententiae est: ne scilicet corpus Christi extensive et visibiliter in illis mysteriis contineri putaremus, sed spirituali quodam modo sub illis accidentibus, sicut alii sancti Doctores fatentur. Itaque Eucharistia quantum ad rem contentam, puta Christum, vera res est, in quem substantia panis est transmutata: quantum vero ad species illas accidentales, quae ex pane remanent, symbolum et figura est: nam repraesentant nobis panem illum supercoelestem, et vinum supersubstantialiter, ibidem latentia. Adde quod ea ratione qua sacrificium altaris repraesentat Christum corporaliter pro nobis passum (non enim dicimus aliud in altari fieri sacrificium, quam in cruce, sed idem sacrificium supersubstantialiter quantum ad rem oblatam) in altari esse quod in cruce fuit, idcirco figura quodammodo dici potest. Quare cum utrumque coniunxerit Tertullianus, veritatem et figuram, placuit istis, ut sunt male affecti, id quod infirmius videbatur, puta totum figuram, et quasi vanam rem dicere.

Nec te moveat quod auctor iste panem vocat sacram Eucharistiam multis in locis; nam (ut diximus) corpus Christi sic solet

let aliquando nuncupari a Sanctis, iuxta illud Ieremiae (a) : *Venite mittamus lignum in panem eius*; quod exponens Lactantius (b) dicit corpus Christi panem esse dictum, quia ipse est cibus et vita hominum. Et aliis adhuc variis modis solet nuncupari, dicitur enim Sacramentum, et hoc est magis commune apud Latinos : sancta synaxis : Hilarius appellat cibum dominicum, et Augustinus viaticum, Hieronymus convivium, Cyrillus mysticam benedictionem, alii mysterium, alii Eucharistiam. Nec mirum, quod rem tam admirandam et stupendam uno certo vocabulo non exprimat humana fragilitas, quae ad DEI mysteria prorsus nutat atque caligat. Et quod Tertullianus non tam impie senserit, prout illi imponitur, ex aliis locis suae doctrinae licet apertam coniecturam facere. Nam libro de Corona Militis, Eucharistiam Sacramentum appellat; quod non esset, nisi spiritualem gratiam in se contineret (c) : *Eucharistia, inquit, Sacramentum omnibus mandatum a Domino, quam antelucanis caetibus, nec de aliorum manibus, quam praesidentium sumimus.*

Iam ergo primo habemus Eucharistiam non vanam rem esse, sed proprie Sacramentum. Rursus in libro exhortatorio ad castitatem, recensens ea quae Sacerdos potest efficere, secundum sanctificationem a Deo acceptam, dicit : *Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, offert et tingit Sacerdos.* Ecce iam fatetur Eucharistiam offerri a Sacerdote, ac subinde Sacrificium suo tempore actionem illam offerendi fuisse nuncupatam, non coram Ecclesia solummodo, sed privatim et in secessu : id ipsum confirman- te in libro de cultu mulierum Christianarum, quibus dicit inducens eas ad cultum honestum : *Vobis nulla procedendi causa non tetrica est, aut est imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sa-*

(a) Ierem. XI. 19.

(c) Tertull. de Coron. Milit.

(b) Lactan. instit. Libr. IV.

crificium offerendum; volens ex dignitate rerum, quibus debent adesse Christianae mulieres eas consequenter ad vestitum et cultus honestatem provocare.

Iam qui sacrificium Eucharistiam appellat, aliquid latens subinde fatetur, quod sacrificetur. Hoc vero corpus Domini esse, libro de pudicitia, loquens de ordine quem Deus et Ecclesia servant in recipiendo impio peccatore affirmat, loquens de recens generato, quod accepto pristino statu, quem in Adam perdidit per baptismum et fidem, *inde*, inquit, *opimitate Domini corporis vescitur*, Eucharistia scilicet. Quare si in communione Christianus vescitur opimitate corporis Christi dum communicat, et non alio modo, Christus ipse in Eucharistia datur, ac subinde in ea sacramentaliter est: Tertullianus ergo nostrarum partium est, non adversariorum; et esto quod nostrarum partium non esset, non ob id infirmiores essent partes Ecclesiae, quippe quae praeter testimonium Dei quod in se habet, per quod minime falli potest, praesertim in re tam ardua, testes habet suae veritatis innumeros, qui Apostolos et Christum viderunt, vel cum eorum discipulis conversati sunt, hoc Tertulliano et doctiores et digniores et antiquiores, et in fide adhuc solidiores, praeter eos qui illius aetate floruerunt, aut ipsum praecesserunt.

Inter quos merito primus recenseri debet Divus Cyprianus, martyrio clarus et doctrina excellentissimus, qui martyr non multo post Tertullianum effectus est, in ea quidem aetate, in qua Christi professores passim pro Christo caedebantur, qui in suis epistolis, tractatibus et sermonibus, nihil omittit circa divinam Eucharistiam eorum, quae praesens Ecclesia Catholica docet. Ex innumeris testimoniis quae habet, illustriora recensabo.

Epistola II. primi libri ad Cornelium, loquens de admitterendis

dis his , qui in martyrio semel defecerunt ad communionem Eucharistiae , duo nobis testificatur : alterum veritatem corporis et sanguinis Domini in illis mysteriis : alterum , quod quotidie celebrari suo tempore sacrificia dicit. Primus locus sic habet (a): *Viventibus communicatio a nobis danda est , ut quos excitamus et exhortamur ad praelium , non inermes et nudos relinquamus , sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus : et cum ad hoc fiat Eucharistia , ut possit accipientibus esse tutela , quos tutos esse contra adversarium volumus , munimento dominicae saturitatis armemus.* Alter locus sic : *Episcopatus nostri honor grandis et gloria est , pacem dedisse martyribus , ut sacerdotes qui sacrificia Dei quotidie celebramus , hostias Deo et victimas praeparemus.* Et paullo post : *Idoneus non potest esse ad martyrium , qui ab Ecclesia non armatur ad praelium ; et mens deficit , quam non recepta Eucharistia erigit et accendit.* Hic si bene advertis , peculiarem effectum spirituales tribuit reali et sacramentali communioni , prae illa , quae per fidem solam fit.

Eadem prorsus confirmante epistola IV. ad quosdam Episcopos Hispaniae : *In ordinationibus , inquit , sacerdotum , non nisi immaculatos et integros Antistites eligere debemus , qui digne et sancte sacrificia Deo offerentes , audiri in precibus possint : et non multo post : Plebs obsequens praeceptis dominicis , et Deum metuens , a peccatore praeposito separare se debet , nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere.* Ex quibus verbis satis patet publica sacrificia tempore Cypriani a sacerdotibus celebrari , et ad hoc munus exequendum specialiter ordinari : quod haeretici negant. Quod vero non sit sermo hic de laudis sacrificio solum , ut cavillantur adversarii , ex eo patet , quia ad hoc munus in Ecclesia subeundum , non opus erat ut sacerdotes ordinarentur , qui potestatem

(a) Cyprian. Lib. I. Epist. II. ad Corn.

hanc haberent peculiariter , cum quilibet Christianus teneatur orare quotidie , et seipsum illi devovere et laudare : de sacrificio ergo altaris loquitur iste Sanctus , quoties ipsum officio sacerdotum adiungit , id quod clarius epistola IX. huius libri exprimit , ubi scribens ad Presbyteros , et Diaconos Furnianos , reprehendit quendam Victorem , qui de seculo excedens Geminium Faustinum Presbyterum , tutorem testamento suo nominaverit contra statutum cuiusdam Africanæ synodi , quo cautum erat ne quis auderet altaris ministrum sui testamenti procuratorem relinquere : cuius statuti assignans rationem , dicit : *Cum singuli divino sacerdotio honorati , et cuncti in clericali ministerio constituti non nisi altari et sacrificiis deservire , et precibus et orationi vacare debeant : ubi satis clare distinguit altaris sacrificium a precibus.*

Post vero statutum synodi super hoc et poenam eius recensens , de altaris oblatione pro defunctis illustrem facit mentionem , his verbis : *Episcopi antecessores nostri religiose considerantes , et salubriter providentes censuerunt , ne quis frater excedens , ad tutelam aut curam clericum nominaret , ac si quis hoc fecisset , non offerretur pro eo , nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Et subiungit , quid per oblationem et sacrificium intelligat : *Neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece , qui ab altari sacerdotes , et ministros suos avocare voluit.* Hic nulla est in nomine sacrificii æquivocatio , qua possint evadere Ecclesiæ adversarii : nam de eo sacrificio plane loquitur , quod in altari per sacerdotes publice offerebatur , et ubi nomen defuncti pro quo sacrificium offerebatur , recensebatur. Et addidit Cyprianus : *Ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio a sacerdotibus datam , Geminium Faustinum Presbyterum , ausus sit auctorem constituere , non est quod pro dormitione eius apud nos fiat oblatio , aut deprecatio ali-*

qua nomine eius in Ecclesia frequentetur. Haec Cypriani verba, non solum sacrificium et oblationem sanctam Eucharistiam vocant, sed eam pro peccatis mortuorum suo tempore salubriter offerri, apertis verbis testantur. Nec hoc quidem tamquam a se, aut suo tempore institutum introducit, sed ut iam consuetudine per vetusta in Ecclesia receptum commemorat.

De suffragiis defunctorum.

Est orare pro mortuis etiam divina Traditio, nec ab hoc sancto solum commemorata aut commendata. Nam Divus Clemens in I. epistola sua (a) recensens divina monita, quae Petrus Apostolus praedicabat, inter alia pia opera istud Christianum obsequium posuit, quod ipse docuerit *mortuos sepelire, diligenter eorum exequias peragere, et pro eis ad Deum preces fundere, eleemosynasque dare*: si ergo orare pro defunctis divina admonitio est, ut hic aperte docet Clemens, quare non pro eis sacrificium etiam offerre? Maxime cum D. Alexander martyr, ut dudum allegavimus, dixerit, his oblatis Domini sacrificiis crimina et peccata deleri non vivorum solum sed omnium, qui redemptoris Iesu Christi possunt esse participes, ut sunt animae piorum defunctorum. Meminit horum suffragiorum etiam Divus Dionysius, Christianae sepulturae et exequiarum ritum describens, his verbis (b): *Accedens venerandus antistes precem sacram super mortuum peragit, precatur gratia illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuatur et regione, in sinibus Abrahae, Isaac, et Iacob, in loco ubi aufugit dolor et tristitia, et gemitus*: et infra declarat orationes has illis solum prodesse, qui pie in hac vita vi-

xe-

(a) Clemens Epist. I.

(b) Dionys. Eccl. Hierarch. cap. 8.

xerunt, nempe illis qui nec simpliciter mali, nec simpliciter boni sunt, ut dicit Augustinus.

Huius sanctae Traditionis Tertullianus etiam meminit, in libro de corona militis, inter alia divina et ecclesiastica tradita, et in libro de Monogamia, inter Christianae viduae officium, hoc assignat praecipuum, ut pro anima defuncti mariti oret, et refrigerium eius interim adpostulet, et in prima resurrectione consortium, et offerat annuis diebus dormitionis eius. Et libro de anima, de precibus sacerdotis pro defunctis memoriam etiam facit (a): *Scio feminam quandam vernaculam Ecclesiae, post unicum et breve matrimonium cum in pace dormisset, et morante adhuc sepultura, interim oratione Presbyteri componeretur, et primum habitum orationis manus a lateribus dimotas in habitum supplicem composuisse. D. Epiphanius idipsum contestatur, cum Arianos impugnat (qui iuxta Augustinum libro de haeresibus capite LV. pernitiose etiam docuerunt non debere in Ecclesia oblationes fieri pro mortuis) hoc modo (b): Prosunt autem hae preces pro defunctis, etiam si totam culpam non abscindunt: et pro iustis et pro peccatoribus memoriam facimus, pro peccatoribus quidem, misericordiam Dei implorantes. D. Chrysostomus idipsum confirmat (c): Non temere ab Apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio: sciebant enim multum illis lucrum et utilitatem multam inde consurgere cum enim totius populus constiterit extensis manibus et sacerdotalis plenitudo ad tremendum sacrificium, quomodo Deum pro his supplicantes non exorabimus?*

Haec ille. Qui etiam in Missa, quam composuit de spiritibus piorum defunctorum, orationem hanc habet (*), qua usque in hodiernum diem utuntur Graeci sacerdotes. Oratio haec est:

(a) Tertull. Lib. de Anim.

(b) Epiph. adv. Arian.

(c) Chrisost. Homil. LXIX.

(*) Oratio Chrys. pro defunctis.

est: *Respice nos Deus et memento omnium, qui dormierunt in spe resurrectionis et vitae aeternae, et requiescere eos facito, ubi videtur lumen vultus tui: memento Domine omnis Episcopatus orthodoxorum.* Et subdit etiam: *Offerimus tibi rationale obsequium pro orbe terrarum, et pro sancta Ecclesia Catholica.* Ecce offerunt isti Patres pro defunctis sacrificium, non in gratiarum actionem, sed etiam in peccatorum expiationem. D. Ambrosius epistola consolatoria ad Faustinum (a): *Ego non tam deplorandam, quam orationibus prosequendam reor, non moestificandam lachrymis, sed magis oblationibus Domino commendandam.* Item Augustinus in Enchiridio (b): *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur.* Idem confirmante in libris de Civitate Dei capite XX. et libro IX. Confessionum, sanctissimam matrem suam commendat, quod tempore mortis non fuerit sollicita de pompa sepulchri, sed solum ut frequens memoria de altare fieret. Et epistola ad Aurelium affirmat, credendum esse oblationes pro spiritibus dormientium adiuvari. Quid plura? librum scripsit de Cura agenda pro mortuis, ubi passim illa inculcat.

Idipsum confirmante Divo Hieronymo, cum describit mortem D. Paulli primi Eremitae, super cuius corpus mortuum dicit D. Antonium de more Ecclesiae orasse. Haec sunt verba eius (c): *Obvoluto et extracto foris corpore, hymnos quoque et psalmos de Christiana Traditione decantans, contristabatur Antonius, quod sarculum non haberet, quo terram foderet.* Gregorius Magnus (ut legitur in Decretis XIII. quaestione II.) dicit quod quatuor modis solvuntur animae defunctorum: *aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiuniis.* Concilium

(a) Ambros. cit. Epist.

(c) Hieronym. loc. cit.

(b) August. cit.

lium Vallense tempore Theodosii iunioris coactum, de defunctorum oblationibus sic decernit (a): *Qui oblationes defunctorum retinent, et Ecclesiis tradere remorantur, ut infideles sunt ab Ecclesia reiiciendi.* Et in Concilio Carthaginensi IV. (b) *Qui oblationes defunctorum aut negant, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.* Recte ergo de consuetudine pervetusta totius Ecclesiae, et maxime Romanae, cum Episcopus ordinat sacerdotem, oblato illi calice cum patena, sic ipsum alloquitur: *Accipe potestatem offerendi calicem, tam pro vivis quam pro defunctis.* Sufficiant haec obiter a tempore Apostolorum retulisse de sacrificiis et orationibus pro mortuis: nequis iam cum haereticis existimet, tam sanctum et pium obsequium avaritiae sacerdotum Ecclesiae iam labefactatae deputandum.

De communione sub altera vel utraque specie.

Nunc redeamus ad Cyprianum, et prosequamur huius sancti sacrificii tam annexa quam consequentia. Is enim epistola ad Coecilium, improbens quorundam errorem, qui in calice Domini aquam solam sine vino in altaris sacrificio apponebant, adversus quos contendit, utrumque misceri debere ex Traditione dominica, et non unum sine alio ad consecrationem parari, apertam voce sanctam Eucharistiam ipsum Christum esse dicit (c): *Si qui in praeteritum in calice dominico aquam solam offerendam esse putaverunt, quaerendum est enim, ipsi quem sint secuti: nam in sacrificio quod Christus est, non nisi Christus sequendus est: utique id nos obaudire et facere oportet, quod Christus fecit, scilicet, ut utrumque misceamus.* Et paullo post: *Quia passionis Domini mentionem in sacrificiis facimus, passio enim est Domini sacrificium*
quod

(a) Synodus Vallens. Can. IV.

(b) Synodus Carthag. IV. Can. XCV.

(c) Cyprian. Lib. II. Epist. III.

quod offerimus, nihil aliud quam quod ille fecit, facere debemus. Vides quam aperte mysterium istud Christum et passionem eius tam clara voce affirmavit.

Ex huius epistolae locis nititur Bucerus communionem sub utraque specie, tamquam simpliciter necessariam probare, damnans subinde communionem, quae modo est in Ecclesiae usu: sed frustra hoc tentat: Nam B. Cypriani scopus praecipuus in hac epistola non alius videtur, quam ut integre eo modo, quo Christus disposuit, oblatio fiat in altari, nihil de communionem statuens; sic enim habet eius admonitio: *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo dominica Traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.* Adest scopus Cypriani, id quod unica quam adducit adhortatio, et ea quidem satis efficax, aperte indicat: *Invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit, et vinum fuisse (*), quod sanguinem suum dixit, unde apparet sanguinem Christi non offerri si desit vinum in calice, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni.* Cuius rationis vis et nodus in hoc stare videtur, quod quia in oblatione altaris repraesentatur Christi passio, necesse subinde est, ut vinum offeratur in calice, quod in sanguinem conversum cruentam Christi passionem repraesentat, qua ratione magis confunditur secta Buceri (*), quam iuvetur: nam si faciendum est in oblatione quicquid Christus fecit in coena propter illam repraesentationem, cum laicalis communio non repraesentat exacte Christi passionem, eo quod communio nec est oblatio, nec includit repraesentative illud sacrificium, sed praecipue conferatur ad remissio-

Tom. I.

Kk

nem

(*) Nota transubstantiationem in eo quod dicit vinum fuisse.

(*) Cyprianus contra Bucerum in loco ab ipsomet Bucero allegato.

nem peccatorum suscipientis ; consequitur non esse necessarium sub utraque specie communicare.

Quod si alia via nos vellet urgere , ex Cypriani verbis intendens probare , quod quidquid Deus fecit , debeamus nos facere , et quod in coena fecerit et voluerit sub utraque specie communicare fideles : nihil plane efficiet. Nam quod Christus communicaverit sub utraque specie , nemo nostrum dubitat : sed non continuo quidquid ille fecit , nos oportet facere , nam ille tradidit suum corpus Apostolis suis vespere et non ieiunis ; Ecclesia autem frequentat sacramentum mane , antequam corporalis aliquis cibus degustetur. Quod vero voluerit Christus sic nos facere , de hoc est quaestio ; et hoc debuisset probare ille , quod non probat. Nam cum Christus in coena solis Apostolis Eucharistiam dederit , non est certum quod verba illa : *Bibite ex eo omnes* , extendi possint ad alios quam ad Apostolos et successores eorum , sicut neque potestas conficiendi.

Quod autem Paullus volens praescribere Corinthiis modum communionis , videtur velle verba ista esse generalia ; dici potest , quod Apostolus illis verbis non voluit praescribere modum communionis Corinthiis , nam nihil ibi de modo communionis explicat , sed tantum proponit eis mysterium in sancta Eucharistia contentum , et modum quo a Christo institutum est , quo magis eos ad reverentiam tanti sacramenti invitaret , in qua Corinthios valde culpandos intellexerat , ut ex tenore capituli videtur constare , et venerabilis Haymo , in expositione huius loci videtur sentire. Nec dubitamus modum communionis sub utraque specie esse antiquiorem , et in antiqua Ecclesia magis frequentatum. Ceterum communionem sub una specie maxime pro infirmis , crediderim etiam fuisse in usu apud priscos Patres : nam Ignatius in epistola ad Ephesios , commendat ut impraevarica-

bili sensu frangant panem, qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi : et nullam facit mentionem de vino.

Adde quod in conciliis antiquis, et apud Cyprianum (a) fit mentio de triplici communione : laicali, et peregrina, et ea qua sacerdotes in altaris sacrificio utebantur. Nec videtur quid posset esse aut laica aut peregrina communio, quam haec quae sub una specie fit. Ambrosius libro de Sacramentis, ubi de laicorum communione agit, non commemorat vinum, et ipse loquens de exitu fratris sui Satyri, affirmat quod gestaret sacramentum in libello precum suarum, et ab hoc servatum esse se in naufragio. Hieronymus epistola ad Rusticum refert de Exuperio Tolosano Episcopo, quod conservaverit Eucharistiam in corbe iunco, et Epiphanium solitum Eucharistiam gestare ex collo suspensam. Est etiam illustre exemplum in historia tripartita (b) quod tempore Fabiani Papae martyris ante mille ducentos annos videtur accidisse, ubi cum puer, nomine cuiusdam Serapionis, qui morti iam proximus erat, a Presbytero peteret Eucharistiam, et Presbyter, quia nox erat cum a se fuit petita, venire non potuisset ad infirmum, puero dedit parum Eucharistiae, ut ad infirmum, deferret : nullam faciens mentionem de sanguine. Cyprianus narrat libro de Lapsis, de quadam femina quae Eucharistiam solum reservavit in theca, non ad aliud propositum ut creditur, nisi ad seorsum communicandum.

Et in quodam Decreto Leonis I. et sermone IV. de Quadragesima (c), districte praecipitur, ut communio non fiat sub una specie, propter haeresim Manichaeorum, et eorum qui CHRISTUM corpus phantasticum sine sanguine assumpsisse prae-

Kk 2

di-

(a) Lib. IV. Epist. II. et Concilium Agathense.

(b) Hist. Tripart. Lib. VI.

(c) Leo I. Serm. IV.

dicabant, et ob id Eucharistiam sine sanguine sumebant: quod clarum argumentum est usitatae tunc communionis sub una specie: a cuius tempore consuetudo sub utraque specie iterum visa est durasse usque ad tempus Gregorii III. qui fuit post prima Hispanica Concilia, ubi etiam frequens fit mentio de communione sub utraque. Quando vero et per quas causas haec communio sub una specie iterum recepta fuerit, et universaliter introducta, certe me latet (*): etsi divinando non sine apparentia affirmari possit, eam a communione infirmorum, quam constat in antiqua Ecclesia sub una specie fuisse in usu, defluisse; et ut ex Concilii Carthaginensis quarti Canone septuagesimo sexto colligitur, eo quod sanguis diu servari non poterat, quin acesceret; nec sine periculo effusionis longe a sacrario transportari; et minime omni hora diei novum consecrare liceret: post vero crescente numero fidelium, maxime coarctato iam tempore ad semel in anno communicandum, ut ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. celebrato constat, iisdem causis pene urgentibus, et adhuc aliis, nam multi ex iis qui communicare debebant tum viri tum mulieres et puellae vinum non bibebant, sicut neque hodie multis in partibus bibunt, quae facile ad vomitum provocarentur, ut ipsa docet experientia, consuetudo illa circa omnes retenta est. Aut forte propter aliquos haereticos, qui non totum CHRISTUM esse sub altera specierum sacramentalium asserebant.

Variat enim mores sancta Ecclesia multoties et formas loquendi, ad evitanda haereticorum contagia, ut non solum verbis, sed rebus ipsis populus doceatur falsis haereticorum dogmatibus non acquiescere. Cum igitur nulla laicis inferatur iniuria in hoc instituto, quippe qui Ambrosio et veritate teste, integrum Christum

(*) Causae introductae communionis sub unica specie. Synodus I. Carthag.

stum sumat, tam sub una quam sub duabus: quaenam obsecro ratio est ut propter institutum variabile maiorum auctoritate introductum, tam acriter usque ad pugnos rixentur cum Ecclesia novi isti evangelistae, commoventes populos, et Christi tunicam scindentes? Adde quod sancta Ecclesia ad utilitatem suorum fidelium potestatem videtur habere a Spiritu Sancto variandi tempus, usum, ritus, et quadamtenus ea quae attinent ad sacramenta. Legimus in Actis Apostolorum Patres illos Ecclesiae primos formam baptismi a Christo praescriptam, pro tempore rationabiliter immutasse: et id quidem non sine magno animarum profectu, baptizantes in nomine Domini Iesu, et non in nomine Trinitatis. Et paullo post illorum aetatem usque ad tempora Augustini, Eucharistia pueris recens baptizatis dabatur, ut frequens est memoria apud Tertullianum et Cyprianum: quae postmodum iustis de caussis sublata est.

Olim etiam mortuis corporibus recens defunctis in ore ponebatur Eucharistia, ut patet ex Concilio Carthaginensi tertio: quod tamen nemo nunc facit, aut facere audebit. Beatus Sylvester in epistola ad Aegyptios, prohibet ne communicatio detur per intinctam Eucharistiam: qui mos etiam inolevit. In Ecclesiis Africanis consuetudo erat, ut die coenae Domini, pransi iam fideles communicarent: quam generalis synodus VI. Constantinopolitana revocavit (a), rursus, in die Parasceves in tota universali Ecclesia sacerdos non conficit, sed tantum accipit Eucharistiam sub una specie. Et primitus etiam in Ecclesia consecratur Eucharistia in fermentato pane, ad supercilium forte Iudaeorum deprimendum. Post vero introducta est consuetudo saltem in Latina Ecclesia, ut in azymo conficeretur. Quid quod materiam sacramenti Matrimonii multoties coarctavit et dilata-

vit

(a) Synod. VI. Canon. XXIX.

vit Ecclesia? Nihil ergo est periculi, imo laudabiliter servatur consuetudo communicandi sub altera specie: etiam si aliam non improbamus, modo maiorum auctoritate concedatur: maxime hac nostra aetate, urgentibus Wiclefistis et Sacramentariis, qui quia non credunt Christum accipi realiter nec sacramentaliter sub illis speciebus, utramque speciem improbe petunt, putantes non alio modo debite posse communicare. Haec si obiter dicta sunt de modo communionis sub altera vel bina specie, propter Bucerum, qui adeo religiosus in Cyprianum est, ut cum in sexcentis locis eum impudenter neget, non pudet eum quem non recipit, contra Ecclesiam allegare in uno aut duobus locis distorte intellectis.

Sed iam audiamus tertio Cyprianum, quatenus hanc nostram Catholicam considerationem magis ac magis confirmet, qui in Sermone V. de Lapsis, memorabile narrans exemplum, de quadam puella parvula a parentibus sub tutela nutricis relicta, quae panem mero mixtum de idolorum immolatione sine ulla iudicii discretionem, sed tantum nutrice eius ministrante, comedit (a): *Ignoracione (inquit) obreptum est, ut sacrificantibus nobis eam secum matrem inferret.* Post vero cum huic puellae inter alios sacra communio per Diaconum ministraretur, dicit eam evomuisse; quia, inquit, *in corpore et ore violato Eucharistia permanere non potuit; sanctificatus enim Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit; tanta est potestas Domini, tanta maiestas; secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt;* quae verba satis indicant divinam maiestatem in his sacramentis adesse, et a Cypriano ut sacrificia celebrata fuisse. Rursus Sermone VI. de Oratione Dominica, exponens illud (b): *Panem nostrum quotidianum,* aperte appellat Eucharistiam Christum: *Panis vitae, inquit, Christus est, quia Chri-*

stus

(a) Cyprian. de Laps. Serm. V.

(b) Ibid. Serm. VI.

stus noster cuius corpus contingimus, panis est; hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus; ne qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie et cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstinentes et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso praedicante et monente: Ego sum panis vitae, qui de coelo descendi, si quis ederit hunc panem, vivet in aeternum: panem autem quem ego dederim, caro mea est pro seculi vita. Quando ergo dicit in aeternum vivere si quis ederit de eius pane, manifestum est eos vivere, qui corpus eius attingunt, et Eucharistiam iure communicationis accipiunt. Et concludit: Ideo panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione et corpore eius non recedamus. Ecce expresse dicit Eucharistiam Christum esse, et quod in communicatione Eucharistiae corpus Christi attingitur, ubi obiter etiam praefationis qua Sacerdos utitur ante consecrationem Eucharistiae, et quae in Missa dicitur, meminit hic Sanctus Martyr: Ideo, inquit, Sacerdos ante orationem praefatione praemissa parat fratrum mentes, dicendo: Sursum corda, ut dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.

Aliis tamen locis huius Beati Martyris relictis, unum locum tantum iam referamus, omnium aliorum longe illustrissimum, in sermone de Coena Domini contentum: ubi tractans verba illa quibus haec tremenda mysteria consecrantur, hoc pacto docet: Ex quo a Domino dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, haec est caro mea, et hic est sanguis meus, quotiescumque his verbis, et hac fide actum est, panis iste substantialis, et calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum et holocaustum ad sanandum infirmitates et purgandas iniquitates existens. Manifestata est etiam spiritualis et corporalis cibi

distantia, aliud fuisse quod prius fuit appositum et consumptum, aliud quod a Magistro datum est, et distributum. Quandiu cibi illi, qui ad diem festum erant parati a convescentibus Apostolis sumebantur, veteris Paschae agebatur memoria, necdum Iudas ad veterem ritum pertinens, diabolo invadente et occupante animam eius egredi cogebatur, sed ubi sacrum cibum mens perfida tetigit, et sceleratum os panis sacrificatus intravit, parricidalis animus vim tanti Sacramenti non sustinens, quasi palea de area exsufflatus, est, et praeceps cucurrit ad proditorem et pretium, ad desperationem et laqueum. Infra vero cum exponit illud Ioannis sexto: Si manducaveritis carnem filii hominis, &c. de reali manducatione corporis Christi quamvis spirituali modo facta (ut Augustinus etiam super Ioannem exponit) dicens: Hoc Sacramentum aliquando corpus suum, aliquando carnem et sanguinem, aliquando panem Christus appellat, portionem vitae aeternae. Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus, procurat vitam et incrementum corporibus, ideoque ex consueto rerum effectu, fidei nostrae adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta est, visibilibus Sacramentis inesse vitae aeternae effectum, et non tam corporali, quam spirituali transitione Christo nos uniri. Et paullo post: Panis iste, quem Christus Apostolis porrigebat non effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, et sicut in persona Christi humanitas videbatur et latebat divinitas, ita Sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia.

Nescio quid clarius aut apertius dici potuit, ad confusionem utriusque factionis, Sacramentariorum et Lutheranorum: nam et panem dicit aperte in Christi corpus accedente consecratione transmutari, et divinam essentiam in his Sacramentis se infundere, ita ut non solum corpus Iesu Christi in illis solum sit, sed et Christi divinitas per concomitantiam ibi adsit, a qua Christi corpus numquam separatur. Deinde quasi colophonem his quae

dixit addens, qualiter Christi virtus hoc Sacramento communicetur, exponit: *Sacramenta, inquit, quantum in se est, sine propria virtute esse non possunt, nec ullo modo divina se absentat maiestas mysteriis, sed quamvis ab indignis se sumi vel contingi Sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantae sanctitudini contradicit.* Nonne vides hunc Beatum apposite satis facientem differentiam inter hoc quod est recipere Sacramentum, aut rem Sacramenti, quod alibi Augustinus videtur approbasse? sunt enim qui spiritualiter tantum communicant, de quibus dicit Augustinus: *Crede et manducasti.* Item alii sacramentaliter tantum, ut qui indigne communicant. Rursus vero alii, qui spiritualiter et sacramentaliter corpus et sanguinem Domini participant, mysterii gratiam recipientes.

Hanc distinctionem quia aut non noverunt, aut non receperunt haeretici, in fide sola putarunt huius Sacramenti communionem fieri, et Augustinum ad se in hac parte pertinere: id quod statim falsum esse ex ipsius Augustini doctrina palam faciemus. Suffragatur etiam huic nostrae de existentia reali corporis Christi in altaris mysteriis veritati Origenes contra Celsum (a), qui ideo dixit, Sacramentum hoc Eucharistiam vocari, quia *totius gratiae fontem continet*; haec enim sunt verba eius. Sed et Divus noster Laurentius Martyr, ut tradidit Ambrosius secundo officiorum libro, quia Romanae Ecclesiae Archidiaconus a Beato Sixto fuerat creatus, dum ipsum Sixtum ad passionem ductum alloquitur, ministrum corporis et sanguinis Domini clara voce se nuncupat: *Experire, inquit, utrum idoneum ministrum elegeris; cui commissisti Christi sanguinis dispensationem; cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic sanguinis tui consortium*

(a) Origen. contra Cels.

denegas? Divum Stephanum Martyrem et Pontificem huius nominis primum, etiam legimus fuisse ab idololatriis occisum, dum Missae sacrificia perageret, qui de sacris vestibus, quibus Sacerdotes in perficiendo altaris sacrificio utuntur, instituit, ne ad alios usus, neque ab aliis quam a Sacerdotibus usurparentur, in epistola quam scribit ad Hilarium: *Vestimenta, inquit, ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque divinus omni cum honorificentia et honestate a Sacerdotibus reliquisque Ecclesiae ministris celebratur, sacrata debent esse et honesta: quibus aliis in usibus, quam in eo cuius servitio dicata sunt, nemo debet frui, quae neque ab aliis debent contingi aut ferri, nisi a sacratis hominibus, ne ultio quae Balthasar percussit, super talia praesumentibus veniat.* Ubi vides vestes sacras ad divina Sacrificia peragenda in Ecclesia illa Martyrum am fuisse introductas. Nam et Divus Clemens, secunda epistola sua nonnihil de hoc apparatu altaris commemorat, ut de vestibus, de palla, candelabro et velo. Et Divus Anacletus sacris indutos esse vestimentis altaris ministros dixit in prima epistola sua, quam allegavimus.

Felix primus Martyr, qui sub Aureliano Imperatore passus est, ex decreto Synodi a se celebratae, Galliarum Episcopis praecipit in secunda epistola sua, supra memorias Martyrum Missas celebrare (a): *Vobis, et omnibus Ecclesiis tenendum et agendum mandamus, ut super memorias Martyrum Missae celebrentur, ne memoria eorum a gentilibus extinguatur, aut veneratio possit prohiberi.* Ubi simul cum Missae sacrificio venerationem Martyrum tibi inculcat, suo tempore iam usitatam hic sacratus Pontifex.

Marcellinus Martyr qui sub Diocletiano passus est, contra quosdam qui altaris sacrificia solum Deo Patri debere offerri affirmabant, hoc modo decernit, sacrificii altaris venerandam me-

mo-

(a) Felix cit. Epist. II.

moriā : *Sacrificium quod a Christianis sacris altaribus admovetur, non solum Deo Patri sed etiam Filio communi devotione offertur, quoniam nec Patri sine Filio potest offerri, neque a Filio sine Patre senti.* Haec a Christo passo usque ad Diocletiani tempora per trecentos continuos annos, docebat Ecclesia Dei de sacrificio Missae, de veritate corporis Christi in Sacramento, et transubstantiatione, prout testati sunt illi Sancti Martyres et amici Dei. Item de vestibus sacris et altaris vasis, nec non et de multis aliis quae in sacrosanctae Missae actione hodie servat et recitat Ecclesia : nam et vestium et vasorum meminerunt Clemens, Anacletus et Stephanus Martyres, et Hymni Angelici et temporibus Missae celebrandae Thelesphorus. *Qui pridie quam pateretur, Alexander Martyr ut recitaretur in Missa instituit. Sanctus ter repetitum Sixtus primus. Praefationis vero, D. Cyprianus : item D. Hieronymus in epistola ad Rusticum, aliarum orationum et nominum recitationis in Missa honorificam mentionem facit. Adde quod in Canone Apostolorum de incenso et lucernis ad altare Dei admotis, tempore sacrificii fit memoria, et B. Augustinus illorum verborum Canonis meminit, adscriptam, ratam, rationabilem. Et de D. Coelestino legitur, quod introitum in Missa dicendum statuerit, qui Augustino fuit coetaneus : ne putent Novatores isti totum Canonem et apparatus Missae paullo ante tempora Gregorii esse compositum.*

Restat iam pro nostrae considerationis complemento, ut ad pacificam Ecclesiae aetatem veniamus, in qua reddita ei pace per Constantinum magnum, pro Martyribus gloriosis, quos praecedens aetas nobis produxit, successerunt Confessores egregii, Doctores sanctissimi : casta certe generatio, in quibus magnopere et puritas conscientiae et eruditio doctrinae refulsit : cuius imperii initiis inter alia multa quae Ecclesiae advenerunt prospe-

ra, ut narrat Eusebius, illud fuit potissimum quod Christianis Sacerdotibus immolandi sacrificii liberum permittebatur officium, haec enim sunt verba Eusebii (a): *Contra vero inter dispendia quae impietate Iuliani praesensit Ecclesia, illud assignat praecipuum, quod ara et immolatio nusquam in Ecclesia comparebant.* Nunc ad Sanctos illius aetatis accedamus: praecipuos utriusque Ecclesiae Patres producemus, adiectis nonnullis antiquarum et percelebrium Synodorum testimoniis, quae multum ad nostram considerationem pertinebunt.

Procedat cum primis magnus ille Athanasius, qui in libello illo de Christi imagine, quod oblatus est Patribus apud Caesaream Cappadociae congregatis, expresse negat, ex carne et sanguine Christi aliquid in mundo inveniri, nisi illud quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur. Et in libro de peccato in Spiritum Sanctum, carnem Christi in Eucharistia esse aperte affirmat: quae verba ad significationem et figuram minime possunt torqueri.

Gregorius Nazianzenus in prima invectiva contra Iulianum, narrans illius impii apostatae impietates, dicit (b): *Mox in incruenti sacrificii oblatione manus commaculat, per quod nos Christo unimur, nec non passionis et divinitatis participes reddimur.* Et paulo post ad praefatum Iulianum se convertens, ob id quod altaris sacrificium sacrosanctum prophanaverit, dicit: *Tu ne contra Christum fidem et haereditatem? tu ne contra Christi sacrificium tuis spuritiis? tu ne contra sanguinem per quem expiatus est mundus insurges?* Hic non solum sacrificium appellavit altaris mysterium, sed in ipso verum Christi sanguinem contineri absque ullo verborum fuco concessit. De hoc divino Pontifice narrat Sozomenus (c), quod

(a) Eusebius Hist. Libr. VIII. et Libr. X.

(b) Nazianz. loc. cit.

(c) Histor. Tripartit. Libr. IX. cap. VIII.

quod intra civitatem in parvo Oratorio sacra celebrabat, quod postea Principes magnae Basilicae copulantes, ipsam Anastasiam vocaverint. Ubi vides privatas Missas antiquitus celebratas.

Concordat his Divus et magnus Basilius in expositionem Psalmi vicesimi tertii, super illo (a) : *Gustate et videte : Quando vero, inquit, panis est ipse Dominus noster, et caro ipsius vere cibus, necesse est voluptatem laetitiae panis per gustum intellectualem nobis accedere. Et libro de Baptismate (b) : Oportet accedere ad corpus et sanguinem Christi in commemorationem ipsius, qui pro nobis mortuus est, et resurrexit.*

Item in quaestionibus diffuse disputatis ab eo quaestione secunda, invitans suos ad dilectionem Dei, inter innumera beneficia a Deo nobis exhibita, dicit : *Quod requiem nobis paravit aeternam, quod sua passione nos redemit, quod se fecit socium et fratrem nostrum; denique quod se praebuerit in cibum : et non videtur qua in re nisi in Sacramento Eucharistiae. Item in dialogo suo de Dignitate Sacerdotii, adorandum Filium Dei cum carne in altaris hostia contineri, absque ullo verborum involucro praedicat : O miraculum! o Dei in nos benevolentia, qui sursum sedet ad dexteram Patris, sacrificii tempore hominum manibus continetur, traditurque lambere cupientibus eum, et cum benedictione complectitur: fitque hoc totum sub oculis humanis, cum Sacerdos Spiritum Sanctum advocaverit, et reverendam illam hostiam immolaverit. Expende qualis oporteat manus esse tantarum rerum ministras, qualem oporteat esse linguam verba illa fundentem, aut quo genere munditiei et sanctimoniae sanctam oportet esse animam talis spiritus recipientem. Tunc etiam Angeli circumstant Sacerdotem, et tribunal ac altaris locus caelestibus virtutibus adimpletur, in honorem illius qui immolatur, Haec Basilius : Cuius verba videtur usurpasse magnus Gregorius libro*

Dia-

(a) Basil. ad Psalm. XXIII.

(b) Ibid. Cap. III.

Dialogorum, cum in sacrosanctum altaris sacrificium incidit (a), affirmans in ipsa immolationis hora, *ad Sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terram coelestibus iungi.* Illustrius tamen testimonium Divi Basilii super hac re in libello de Missa ab eo composito continetur; quod sic habet: *Rogamus te Domine, ut veniat Spiritus Sanctus tuus super nos et super haec proposita munera, et benedicat ea, sanctificetque et faciat hunc eundem panem pretiosum corpus, et vinum pretiosum sanguinem Domini Salvatoris nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita.* Gratias tibi agimus, o magne et Sancte Basili, quod tam apertis verbis rem de qua agimus, aperuisti, et nullum locum proditissimis his factionibus, quae contra altaris Sacramentum, pignus pretiosissimum haereditatis nostrae, tam impudenter latrant, reliquisti; nam et transmutationem panis in Christi corpus, et vini in Christi sanguinem, veramque et realem praesentiam ibidem apertissime fassus es.

Confirmat hoc ipsum D. Epiphanius in Anchoratu, ubi tractans consecrationis mysteriorum verba, talem nobis circa praesentem considerationem ponit sententiam: *Videmus quod accepit Salvator in manus suas, veluti Evangelium habet; quod surrexit in coena, et accepit haec, et ubi gratias egisset, dixit: Hoc meum est, hoc et hoc: et videmus quod non aequale est, neque simile: non imagini in carne, non invisibili deitati, non lineamentis membrorum, hoc enim et rotundae formae, et insensibile quantum ad potentiam: et voluit per gratiam dicere hoc est meum: et nemo non fidem habet sermone, qui enim non credit esse ipsum verum sicut dixit, is excidit a gratia et salute.* Excisus est ergo a gratia, sicut ab Ecclesia impius Sacramentarius, qui verbis Christi non credit, quibus dixit, hoc meum est, et non hoc significat, ut ipse corrupte interpretatur.

Ex

(a) Gregor. Libr. IV. Dialog.

Ex verbis istius magni et Sancti Pontificis, duo clare habes ad nostrum propositum pertinentia: Alterum, quod in altaris mysteriis corpus et sanguis Christi vere conficiuntur, sicut ipsa verba Christi dicunt: Alterum, quod corpus et sanguis Christi non consistunt illic modo quantitativo, sed substantialiter et realiter, ut Catholica nunc tenet Ecclesia: sacrificium vero novi Testamenti esse in Ecclesia Dei, cum hic Pater venerabilis Coliridianos Haereticos impugnat, affirmat, dicens: *In Ecclesia Christi mulieribus non licere sacrificare, quamquam donum prophetiae illis concedatur: quod de alio sacrificio intelligi nequit, quam de eo quod in altari offertur.*

Subscribit etiam his Theophilus Alexandrinus Patriarcha, istis sanctis coaevus, in libro Paschali contra Origenem, ubi unum ex erroribus illius recensens, quod dixerit a Spiritu Sancto non sanctificari res inanimatas, ait: *non recogitat aquas in baptismo adventu Spiritus Sancti consecrari, panemque dominicum quo Salvatoris corpus ostenditur, et quem frangimus in sanctificationem nostri et sacrum calicem, quae in mensa Ecclesiae collocantur, per invocationem spiritus sanctificari.*

Eusebius Emisenus tantopere a D. Hieronymo libro de viris illustribus laudatus, de divinis his Sacramentis apertissimum quoque nobis praebuit testimonium, quod in decretis habetur, distinctione II. *Magnitudinem coelestium merito coelestis confirmat auctoritas, quia caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem quia quidator est muneris, ipse est testis veritatis: nam visibilis Sacerdos, visibiles creaturas in substantiam sui corporis et sanguinis sui, verbi sui secreta potestate, convertit, dicens: Accipite et bibite, hic est sanguis et corpus meum. Ergo sicut ad initium praecipientis Domini repente ex nihilo substituerunt excelsa coelorum, profunda fluctuum, vasta ter-*

rarum, pari potentia in spiritualibus Sacramentis, verbi praecipit virtus, et rei servit effectus. Ecce habes ibi non solum Iesu Christi realem praesentiam in Sacramento altaris, sed quod in corpus eius benedictum panis et vinum transmutentur.

Pervulgatus etiam est libellus de sacrosancta Missa, quem **D. Chrysostomus** composuit, qua tota Ecclesia utitur in quocenties fit mentio de hoc sacrificio, et reali corporis Christi praesentia, et legentibus passim obvia est: qui de vera transmutatione in mysteriis altaris, haec habet verba, loquens de Christi coena: *Non sunt humanae virtutis haec opera, quae illa coena Christus effecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit: ministrorum nos ordinem tenemus, qui vero haec sanctificat et transmutat, ipse est;* haec **Chrysostomus**. Nihil restat quod desiderari possit ab hoc Sancto Patre, nam transmutationem panis et vini in corpus et sanguinem, et veritatem Christi corporis et sanguinis, ministerium Sacerdotis, et mirabilem Dei virtutem in eo clara voce patefecit.

Venerabilis Ephren magno Basilio olim familiaris, idemque sanctissimus, et Edesenae Ecclesiae Archidiaconus, etiam in libello de Natura Dei minime scrutanda, haud obscurum huic rei exhibet testimonium, capite quinto (a): *Esto, inquit, fidelis atque innocens, participa immaculato corpori Domini tui, fide plenissima, certus quod agnum ipsum integrum comedis: ignis immortalis sunt mysteria Christi, nolite temere ea perscrutari, ne in ipsorum participatione comburaris.* Et infra: *Hoc sane excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod fecit nobis Unigenitus Filius Christus Salvator noster: ignem et spiritum manducandum ac bibendum praestitit nobis, carne vestitis, corpus scilicet et sanguinem suum.* Quorsum tanta admiratio, quorsum tanta exaggeratio miraculi, si in altaris Sacramento solum ibi significatur et reprae-

sen-

(a) Ephren cit. libr. et cap.

sentatur Christus, et non est? Certe non esset quod admiraretur iste sanctissimus, si fide cordis non intueretur dominicam maiestatem, sub accidentibus Eucharistiae latere; nec esset magis admiratione dignum hoc sacrificium, quam agnus ille paschalis, quem carnaliter occidebant Iudaei, qui typus et repraesentatio erat Christi passionis pro libertate hominum Deo offerendae.

Non silet hanc etiam coelestem veritatem Sanctus Pater Cyrillus, imo apertis eam verbis praedicat, quoties Eucharistiae materiam obviam habet, maxime II. libro super Leviticum, tractans illud: *Ego sum panis vitae (a)*: Quid igitur (inquit) pollicetur? Quid credentibus affert? Corruptibile certe nullum, sed benedictionem, quam communicatione corporis et sanguinis Christi assequimur. Unde ad eam incorruptionem integre reducemur, ut cibo et potu corporali non indigeamus. Vivificat enim corpus Christi, et ad incorruptionem sua participatione reducit: non enim alterius cuiusdam, sed ipsius vitae corpus est, virtutem incarnati Verbi retinens, et plenum potestate illius, a quo universa fiunt et sunt. Nescio quid clarius dici potuit ad probandam realem praesentiam Dominici corporis in altaris Sacramento; nam dixit ibi esse corpus vitae, retinens virtutem Incarnati Verbi. Idem loquens de decem panibus propositionis, libro decimotertio in Leviticum, quantum differant a pane coelesti, qui est corpus Christi in Evangelio, aurea verba habet de sacrosancta altaris commemoratione. Si referantur: *Haec, inquit, ad mysterii magnitudinem, invenies commemorationem istam habere ingentem propitiationis effectum: si redeas enim ad illum panem, qui de coelo descendit, et dat huic mundo vitam, illum panem propositionis, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, et si respicias illam commemorationem, de qua dicit Deus: Hoc facite in meam commemorationem, invenies quod ista est commemoratio sola, quae propitium facit hominibus Deum.*

(a) Cyrill. Libr. II. sup. Levit.

Aperte satis explicuit hic Sanctus per commemorationem huius sacrificii reddi Deum nobis propitium, et realem Christi in mystica benedictione praesentiam, et verba etiam quibus freti, ista conficiant Sacerdotes. Istuc ipsum apertioribus verbis in expositione VI. capitis Evangelii Ioannis, tractans illa verba: *Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis &c. exprimit: Non possunt cum sanctificatione beatae vitae esse participes, qui per mysticam benedictionem Iesum non susceperint: vita enim secundum naturam ille est, qui ex vivo patre genitus est. Sed non minus corpus suum vivificat, coniunctum enim est ineffabiliter Filio Dei, a quo universa vivificantur. Et paullo post: Quoniam igitur Salvatoris caro, verbo Deo quod naturaliter vita est, coniuncta est, vivifica effecta est: quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quae vita effecta est: hac de causa in exsuscitandis mortuis non solum verbo et imperio, sed carne sua velut cooperatrice Deus utebatur, ut reipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, vivificam esse. Et paucis interpositis, assignans differentiam inter manna et istud sanctum cibarium, ait: Non erat ille cibus verus, qui famis breve remedium tantum erat; sed ista caro, quae immortalitatem donat: nec ille potus aquarum verus; sed potus sanguinis Christi, quo radicitus mors evertitur: non enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius qui naturaliter vitae coniunctus, vita effectus est: propterea corpus et membra Christi sumus, quia per hanc benedictionem mysterii ipsum Filium Dei suscipimus.*

Iam nihil est hic quod subterfugere possint refractarii; nam vere et realiter dicit per mysticam benedictionem Christum sumi. Et ne aliquis intelligeret hanc coniunctionem hominis communicantis et recipientis Christum, tantum fide et charitate fieri: audi quid dicat super illud: *Ego sum vitis vera: Considerandum est, non habitatione solum quae per charitatem intelligitur, Christi*

stum in nobis esse, verumetiam et participatione naturali: nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram, alii cerae similiter liquefactae ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur; sic communicatione corporis et sanguinis Christi, ipse in nobis, et nos in ipso: non poterat enim aliter corruptibilis haec natura corporis ad incorruptibilitatem et vitam traduci, nisi naturalis ei vita coniungeretur. Nulla confusione aut ambage verborum fassus est catholicas veritates circa divinum altaris Sacramentum hic Sanctus Pater.

Theophilactus Vulgarorum Episcopus, exponens illud: *Panis quem ego dabo, caro mea est: Attende, inquit, quod panis, qui a nobis in mysteriis manducatur, non est figuratio quaedam carnis Domini, sed ipsa caro Domini: non enim dixit figura est, sed caro mea est: transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, et accessionem Spiritus Sancti, in carnem Domini.* Audi, Sacramentari, hunc venerabilem Pontificem aperte cum aliis fatentem, et tuam sententiam clara voce damnantem; dixit enim non esse in mysteriis figura dumtaxat corpus Domini, sed per veram et realem praesentiam, id quod sine furo aliquo affirmavit panem transmutatum esse. De Ecclesia Latina non est quod multum immoremur in producendis huius aetatis testibus, cum tot sint et tanti ut adversariis Ecclesiae videantur suspecti. Paucos offeremus, qui ante mille et centum annos fuerunt, et hos quidem praecipuos Latinae Ecclesiae proceres. Vidimus Irenaeum, Tertullianum, Cyprianum, et Patres alios Apostolorum discipulos, nunc recensemus alios.

Beatus Hilarius de Trinitate tractans illud: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo (a): De veritate, inquit, carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra, vere ca-*

(a) Hilar. de Trinit. Cap. IX.

ro est, et vere sanguis est: et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. An ne hoc veritas non est? Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum suum hoc quod nos sumus in Deo est. Et post pauca: *Haec ergo vitae nostrae causa est, quod in nobis carnalibus per carnem Christum manentem habemus, victuris nobis per eum, ea conditione, qua vivit ille per Patrem.* Haec Hilarius.

Divus Ambrosius in Commentariis epistolae ad Hebraeos (a): *Semel, inquit, oblata est hostia ad salutem sempiternam potens; quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? sed ad recordationem mortis eius, et una est hostia, non multae.* Iam hic habes per hunc *Beatum, Ecclesiam* quotidie offerre, non aliud, quam quod in cruce oblatum est; unde habes quod licet Christus semel introierit Pontifex factus in sancta, ut inquit Apostolus, hoc intelligi debet de oblatione illa, qua per acceptationem mortis voluntarie se obtulit Deo Patri pro nostra reconciliatione: in altari vero quotidie ad illud beneficium ingens repraesentandum, prout ipse praecepit; mortem enim Domini (iuxta Apostolum) annuntiamus, donec veniat. Quare non multiplicamus sacrificia, ut adversarii falso putant, sed unum et idem esse dicimus, quantum ad rem oblatam: quamvis non sit idem modus offerendi: id quod apertius non multo post dicit: *Quod nos facimus in commemorationem fit eius quod factum est. Hoc facite, inquit, in meam commemorationem.* Non aliud sacrificium, sed ipsum semper offerimus. Magis autem sacrificii recordationem operamur.

Post vero de eadem altaris oblatione loquens, subiungit: *In ista carne et sanguine nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat, sed vivificatricem substantiam in pane et vino credat, per quae si digne sumantur, nobis est peccatorum remissio collata.* Et ne

ex

(a) Ambros. loc. cit.

ex iis verbis suspicetur aliquis Lutheranus panis et vini substantiam cum Christi corpore et sanguine simul ibi manere, videat quid de transubstantiatione intellexerit iste Pater sanctissimus in libro de Sacramentis (*), quem librum agnoscit Augustinus esse Ambrosii: *Panis (inquit) est usitatus ante verba; ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi: quibus verbis? his: Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Idem fere habet in sermone ad Neophitos, et in libro Officiorum. Idem etiam ad Theodosium inquit: *Si indignus sum qui a te audiar, indignus etiam sum qui pro te Domino offeram: ubi oblationem hanc pro peccatis applicari etiam intelligis.* Meminit etiam sanctae oblationis altaris, ut a Domino institutae, tertia Synodus Carthaginensis, quae viventibus his Sanctis coacta est, in hunc modum (a): *In sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panem et vinum aqua mixtum, neque amplius in sacrificiis offeratur, quam de vino et frumentis.*

Idem Augustinus sentit in expositione Psalmi LIV. ubi dicit (b): *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, nec sicut carnem, quae in manceppo venit, corporaliter estis manducaturi, sed spiritualiter. Nam si videritis ascendentem me in coelum, colligetis non esse corpus meum dilacerandum, sed spiritualiter estis manducaturi.* Hic clare vides Augustinum quando dicit spiritualiter Christum esse in Sacramento, non negare praesentiam corporis Christi, sed tantum vult, ut non carnaliter intelligamus eius praesentiam, ita ut ibi sit eodem modo sicut fuit in cruce, ut vixit in terris, et illis hostiae accidentibus coextensus: sed modo quodam spirituali, ut saepius dictum est: dicit enim quod manducaturi sumus ipsum, et non ipsum: ipsum quia substantialiter et spiri-

tua-

(*) Transubstantiatio.

(b) Augustinus sententia in expos.

(a) Synod. III. Carthag. Can. XXIV. Psalm. LIV.

tualiter; non ipsum, id est, non corporaliter. Nam in Psal. XCVIII. magis hoc exponit, adiiciens illis verbis suprapositis: *Sacramentum vobis commendavi spiritualiter intellectum, quod si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen illud invisibiliter intelligi.* Quod autem secundum veritatem intelligat ibi esse corpus Christi Augustinus et non *συμβολικῶς* (*), audi quid super Psal. CXI. dicat: *Unusquisque autem corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi accipiat, et se ipsum probet, et secundum Apostolum sic de illo pane edat.* Ubi vides corpus et sanguinem Domini in communionem sacramentaliter et veraciter accipi: id quod magis ac magis confirmat in Psal. XXXIII. *Manibus, inquit, aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur, ferebatur autem Christus in manibus suis. Commendans ipsum corpus suum, ait: hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Obsecro quomodo se ferebat in manibus, nisi ipse substantialiter sub panis accidentibus contineretur: sed ferebat se spiritualiter. Eadem prorsus affirmat super hunc eundem Psalmum.

Rursus ipse libro de verbis Domini, haud obscure in proprio sensu atque reali intelligit existentiam corporis Christi in altaris Sacramento, modo tamen spirituali, loquens de Capernaitis, qui de verbo Christi scandalizati sunt: *Ne ergo, ut isti discipuli putabant, per frustra discerptus et crudus vel coctus manducari crederetur, ipse summus Sacerdos seipsum pro nobis Patri offerens, Sacramentum quo vere et salubriter manducari posset, ac bibi, confecit, tradensque discipulis, qui ne in mysterio mystice, et non proprie vel vere loqui putaretur, ait: Non futurum praedico, non absens aliquid denuncio, sed hoc quod praesentialiter do, est corpus meum: non figuratum, sed verum, ipsum quod pro vobis tradetur. Hic est sanguis idem ipse qui pro vobis effundetur.* Addens etiam proprie proprium suae

car-

(*) Aug. sensus quod vere et non figurate corpus Christi sit in Sacramento.

carnis et sanguinis effectum scilicet in remissionem peccatorum. Et post pauca : Cum igitur certissimo sui sanguinis privilegio veritatem carnis et sanguinis sui astruxerit in mysterio , ille cuius obedientia nobis iniuncta est patris edicto , restat ut scandalizatorum stultitiam vitantes, ipsum ut Pater de coelo iussit , audiamus. Tam clara sunt haec Augustini verba , ut nullam impiam tergiversationem admitant. Non enim solum Augustinus praesentiam realem Christi in Sacramento altaris fassus est ; sed et omnem figuram et mysticum essendi modum , quem impii Sacramentarii contendunt , clarissimis verbis exclusit. Et libro X. de Civitate Dei , loquens de Christo (a) : Sacerdos est ipse offerens , ipse et oblatio cuius rei Sacramentum , quotidianum voluit esse sacrificium Ecclesiae : in quo notandum est , in Sacramento vere Dei carnem esse , quae tantae dignitatis est , ut eam et angelicae virtutes honorent ministrando , et homines adorando.

Attende , Sacramentari , vere dixit in sacrificio altaris carnem esse , non *symbolicos*. Nullo ergo modo ad te pertinet Augustinus , etsi mente maligna ad tuam impietatem ipsum nitaris torquere. Nec solum in iis locis tuam incredulitatem damnat , sed multis in aliis , ut sermone de IV. feria : *Tu , inquit , anima Christiana , vide ne deseras mensam sponsi tui , ut pulchra permanear , Carnes eius quotidie manducabis , ut vitam aeternam habeas , et sanguinem eius potabis. Item super Psalmo XXXIII. et Sermone de Passione Domini , et Sermo XXXI. super Ioannem , expresse affirmat in Sacramento altaris veraciter corpus Christi edi , et sanguinem eius potari. Et epistola ad Bonifacium apertis verbis dicit , Christum in altari offerri et immolari quotidie (b) : Nonne , inquit , semel immolatus est Christus in se ipso , et tamen in Sacramento non solum per omnes Paschae sollemnitates , sed omni die populis immolatur ? Nec utique mentitur , qui interrogatus , responderit eum immolari :*

(a) Lib. X. de Civit. Dei.

(b) Epist. ad Bonifac.

ri : haec Augustinus. Item super Ioannem (a) : *Caro non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt? carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in mancello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.* Et paullo post : *Hoc ergo ad nos nobis valeat dilectissimi, ut carnem Christi, et sanguinem Christi edamus, non tantum in Sacramento, quod et multi mali faciunt, sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Christi corpore, tamquam membra maneamus, et eius spiritu vegetemur.* Et sermone ad recens baptizatos : *Qui accipit mysterium unitatis, et non servat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.* Et subdit : *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, cum in baptisate membrum Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, et calicem bibat, et de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat &c.*

Ex quibus locis manifeste habes triplicem esse modum (secundum Augustinum) communionis. Primus est sacramentalis tantum, qui malis et bonis communis esse potest; cum caro Christi editur, et sanguis eius bibitur in altaris Sacramento. Secundus est spiritualis tantum, qui iis qui in fide et charitate perseverant peculiaris est, de quo intelligitur vulgatum illud Augustini dictum super Ioannem (b) : *Ut quid paras dentem et ventrem? crede et manducasti.* Tertius est spiritualis simul et sacramentalis, de quo intelligitur illud eiusdem Augustini de verbis Apostoli (c) : *Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, et integra est vita; tunc autem hoc erit, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur et spiritualiter bibatur.* Audivimus enim Dominum dicentem (d) : *Spiritus est qui vivificat, caro*

au-

(a) Cap. V. (b) Tractat. XXV. (c) Serm. 2. (d) Ioann. VI. 64.

autem non prodest quidquam. Quos modos quia non distinxerunt Novatores isti, putarunt Augustinum sensisse, fide tantum et cordis affectu huiusmodi manducationem sacramentalem fieri. Intelligitur etiam ex his Augustini verbis, quod ipse cum loquitur de Christi praesentia in hoc Sacramento bifariam vult intelligi, aut pro vera ac reali praesentia corporali et extensiva, secundum quam negandum est, ut ipse negat, Christum in alio loco quam in coelo esse, et verum esse illud Christi dictum: *me autem semper non habebitis*: aut de vera et reali praesentia modo spiritali, et hoc modo dicit vere esse in Sacramento: sicut Cyprianus, Tertullianus, Athanasius, Epiphanius, et alii Patres in locis a nobis adductis senserunt. Si ad haec advertissent Ecclesiae adversarii non incidissent in tot impietates, nec hunc sanctum virum de blasphemia infamassent. Cuius locos tam prolixè citavimus, ut lector intelligat hunc sanctum virum Ecclesiae partes in hoc dogmate tenere, et haereticis factionibus plane contradicere.

Suffragatur his quoque sanctus Pater Hieronymus in epistola ad Edibiam (a): *Nos, inquit, audiamus panem quem fregit Dominus, deditque discipulis, esse corpus Salvatoris, ipso dicente ad eos: Hoc est corpus meum. Et calicem illum esse de quo loquutus est iterum: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Si ergo panis qui de coelo descendit, corpus est Domini, et vinum quod discipulis dedit, sanguis est illius, qui effusus est in remissionem peccatorum; non Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus: ipse conviva, ipse convivium, ipse comedens, et qui comeditur, illius bibimus sanguinem, sine ipso potare non possumus, et quotidie in sacrificiis eius de germine vitis verae et vineae Soreth, quod interpretatur electa, novum vinum bibimus in regno Pa-*

(a) Hieron. ad Edib.

tris, id est, in regno Ecclesiae, non in vetustate litterae, sed in novitate spiritus.

Quid ad haec vel mutire potest perfidus Sacramentarius? Ecce Christi verba tractans hic Beatus, quibus Christi praesentia realis in Sacramento datur intelligi, mysticam et figurativam intelligentiam illorum verborum reiicit. Idemque in Sacramento altaris adesse corpus quod tradendum erat, eundemque sanguinem qui fundendus erat, clara voce affirmat.

Neque id uno in loco ab eo assertum putes. Nam in regula quam de vita Religiosorum edidit hic Sanctus in gratiam Divae Eustochii inter alia salubria instituta, hunc de sacrosancta Missa canonem intertextuit (a) : *Laudibus horae primae expletis, sacrae Missae mysteria fiant, ut sponsi praesentia sponsarum corda laetifcet, quam iubet quotidie celebrari : nec facit hic de communione adstantium memoriam, sed in alio statuto singulis mensibus bis ut communicarent, praecipit. Quare per istum Sanctum Doctorem aliud est Missa quam communio ; nec semper, quando Missa celebrabatur antiquitus, circumstantes communicabant. Sed audi, si placet, huius Sancti Doctoris fidem et integram sententiam, quam de hoc venerabili altaris Sacramento iam morti proximus exposuit, cum Viaticum sibi offerretur, et veluti testamentum posteritati reliquit, ut refert Eusebius dilectissimus eius discipulus, et in praesidentia Monasterii successor, qui Hieronymi vitam et mortem, tamquam unicum quoddam virtutis et religionis exemplar nobis reliquit : inquit ergo, quod cum Divo Hieronymo morituro sacrum Viaticum offerretur, in terram pronus devotissimo animo in haec verba prorrupit : *Quis ego ut sim dignus quod sub tectum meum intres? discede a me Domine, quia homo vilis et peccator sum : noluisti te Moysi praesentare, et venis**

(a) Cap. XXXIV.

ad me? tu es ille Deus, qui cum sine principio genitus esses a Patre, in mundum venisti temporaliter nascens, vere Deus et Homo, non horruisti Virginis uterum.

Vides ut Christum verum Deum in Eucharistia esse confitetur hic Sanctus et subiungit: *O ineffabilis admiratio, omnium novitatum novitas, oculi in te vident albedinem, saporem sentit gustus, odorem olfactus, sed auditus cordi repraesentat, non esse haec tua accidentia, hic certe per se sola existunt accidentia sine subiecto, quia non ut humanis videtur sensibus panis est, sed Iesus omnipotens ad dexteram Patris residens Deus et Homo. Ave panis vitae, qui de coelo descendisti, dans te digne sumentibus vitam, et non sicut manna: tu panis Angelorum homines dignaris reficere, tu esca es animae, non corporis; impinguas mentem, non ventrem; qui in te non impinguatur, aeger est in virtutibus, et iacet in flagitiis: te manducantem, in te transmutas; sed vae his, qui te indigne sumunt.* Haec et multa alia ad coelum iam evolaturus Divus Hieronymus de divina Eucharistia exposuit posteritati suae, quibus fidem praesentis Ecclesiae satis aperte confirmavit: et sive haec verba sint ipsius Hieronymi, sive ipsius Eusebii, non multum refert: satis est quod ipse Divus Eusebius a Divo Hieronymo edoctus, hanc fidem de veritate praesentiae corporis Christi in Sacramento et transmutatione panis in ipsum tenuerit ante mille et centum annos.

D. et Magnus Leo de quibusdam Haereticis loquens, qui non credebant veritatem humanae naturae in Christo, et ideo sub specie panis tantum communicabant, Sermone de Quadragesima, veritatem corporis et sanguinis Domini in hoc Sacramento aperte fatetur (a): *Cum ad tegendum infidelitatem suam, inquit, nostris intersint sacris, in Sacramentorum communionem ita se temperant, ut ore indigno Christi corpus accipiant, sanguinem autem redemptionis no-*

(a) Leo Serm. IV. de Quadrag.

trae haurire omnino declinant. Et in epistola ad Anatolium de Christo Domino huius Sacramenti Institutore loquens, realem Christi corporis praesentiam aperte satis docet: Christus, inquit, licet in Patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex Virgine, Sacramentum propitiationis exequitur.

Quid quod Concilia Orientis et Occidentis Ecclesiae illa aetate celebrata, sacrificii et oblationis altaris honorificam mentionem faciunt, in quibus totius Ecclesiae sensus exprimitur et repraesentatur? Nam in Synodo Ancirana, quae ante Constantinum magnum celebrata fuit, in primo Canone eius, Sacerdotibus qui metu tormentorum idolis litassent, interdicitur ne offerant sacrificium, et aliis etiam sacerdotalibus officiis fungi. Et Canone VI. et VIII. communicare illis permittitur absque oblatione. Canon sic habet: *Hi qui nimis cedentes sacrificaverint, et tempore huius synodi se obtulerint, placuit eos usque ad magnum diem inter audientes suscipi, et poenitentiam triennio agere, et post duos alios annos sine oblatione communicare, et ita demum sex annis completis ad perfectum venire.* Ubi vides Sacerdotibus concessam esse communionem, et inhibitam oblationem: saltem ex primo Canone hoc constat, qui cum Sacerdotibus loquitur. In Synodo Neocaesariensi (a) circa haec tempora celebrata, criminoso Presbytero, qui ante ordinationem suam criminosus inventus fuerit, oblatio altaris prohibetur, relictis illi aliis officiis sacerdotalibus, et nulla ei alia poenitentia iniuncta. Item Canone XVII. *Peregrinis Presbyteris altaris oblatio inhibetur, et dare etiam panem sanctum, et calicem porrigere:* haec enim sunt verba Synodi. Synodus quoque Gangrensis circa annum Domini trecentessimum et tricesimum, de sacrificio altaris facit mentionem (b) Canone IX. contra quemdam Eustachium, qui loca Sanctorum et Basilicas

Mar-

(a) Neocaesar. praec. Can. XVII.

(b) Gangrens. Can. IX.

Martyrum, et quod illic conveniebant et Sacramenta conficiebant, reprehendebat. Est etiam percelebris de sacrificio altaris et Christi in eo praesentia memoria in magna synodo Nicaena Canone XIV. quae sic habet (a): *Pervenit ad Sanctum Concilium, quod in locis quibusdam et civitatibus Presbyteris Eucharistiam Diaconi porrigant, hoc neque regula neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi sacrificium potestatem non habent, his qui offerunt Christi corpus porrigant.*

Magnificum tamen est in Ephesina synodo (quae de numero quatuor illarum Synodorum percelebrium est, quorum statuta Divus et Magnus Gregorius sicut sancta evangelia se venerari affirmat) de sacrosancto altaris sacrificio praeconium, quo veritas praesentiae corporis Christi apertis verbis manifestatur, et sub nomine incruenti sacrificii toti Ecclesiae commendatur, hoc pacto (b): *Incruentam celebremus in Ecclesiis sacrificii servitutem, sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur, participes facti corporis Christi et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum ac redemptoris effecti; non ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati, et verbo coniuncti, secundum dignitatis unitatem, sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem, et ipsius verbi propriam factam: vita enim naturaliter ut Deus existens, quia proprie carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est, et ideo quamvis dicat ad nos: Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem, &c. non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus: quomodo enim iuxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit? sed ut vere propriam eius factam, qui propter nos filius hominis factus est, et vocatus. Ubi non solum realem Christi praesentiam vides affirmari, sed modum etiam, quo caro illa Christi sanctissima animas vivificet,*

pu-

(a) Synod. Nicaen. Can. XIV.

(b) Synod. Ephesina.

puta per coniunctionem illam arctissimam, quam cum verbo divino habet.

Omitto hic damnationem illam quae in synodo Vercellensi, et a Leone nono, magno consensu Patrum adversus Berengarium Andegavensem decreta est, qui has impietates post nongentos annos a Christo in coelum sublato, de Eucharistia disseminavit. Item Bedam, Bernardum, Haymonem, Hugonem, Richardum de Sancto Victore, D. Thomam, Sanctum Bonaventuram, et alios omnes posterioris aetatis viros doctissimos, pios et gravissimos, qui huic nostrae considerationi abunde subscripserunt, quos brevitatis gratia relinquo: quorum et aliorum praecedentium consensum sancta et generalissima Synodus Lateranensis, in qua utriusque Ecclesiae, orientalis et occidentalis Patres convenere, unanimiter nemine discrepante complexa est, his verbis (a): *Una fidelium universalis Ecclesia est, extra quam nemo salvatur: in qua idem ipse sacerdos et sacrificium: ubi corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini, veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem, potestate divina.* Praetereo quod ipsum vocabulum Missa iuxta Hebraeorum idioma, oblationem videtur significare, quae tam antiqua est, ut ipsa sacramenti Traditio, prout monstravimus.

Omitto etiam multa et stupenda miracula, quae in omnibus mundi partibus in confirmationem huius arduae veritatis Deus benedictus mirabiliter efficere dignatus est, quae vel lapides ipsos possunt ad credendum movere. Profecto qui tot et tantis testificationibus refragatur, ab Apostasiae spiritu se esse possessum plane declarat; utpote qui cum Sanctis Apostolis et Martyribus non colligat, sed eis aperte repugnet. Nec video quod possit adversarios remorari ne cum Ecclesia venerentur, et adorent tantum

(a) Synod. Lateranen.

tum beneficium, nisi mera impietas et infidelitas: cum tam clare constet vetustissimam Ecclesiam Apostolorum, et eos quos ipsi docuerunt, et quotquot illis successerunt Martyres et Confessores Deo dignos per septingentos annos continuos ab Evangelio divulgato, hanc veritatem constanter et unanimiter praedicasse, usque ad tempora Caroli magni et Paschalis Papae, quando primo coeptum est a nonnullis vanis et curiosis de hoc altaris mysterio non solum disputare, sed dubitare. Extat Bertrami cuiusdam, qui illo tempore vixit, libellus merito damnandus, in quo contentionum harum fit mentio; ubi ipse aperiens mentem suam, minime certe Ecclesiasticam, circa existentiam realem corporis Christi in sacramento, plus tenebrarum quam lucis affert controversiae.

Interposuit credo tunc temporis suam auctoritatem Paschalis ille primus, vere Apostolicus, ut patet ex ipsius quodam decreto, de consecratione, cuius verba sunt, tractans illud: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum (a): Audiant qui volunt extenuare hoc verbum corporis, quod non sit vera caro Christi, neque verus sanguis eius, nescio quid volentes fingere, quasi quaedam virtus sit carnis et sanguinis in illo sacramento, ut Dominus mentiatur, ut non sit vera caro, in quibus vera mors Christi annuncietur, ait enim non fecte, sed vere hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: unde veritas cum porrigit illud corpus, dicit quod pro vobis tradetur; et cum potum dat, qui pro vobis effundetur, erat quidem iam in calice, qui adhuc tandem fundendus erat in pretium; et ideo idem ipse sanguis iam erat in calice, qui in corpore, sicut adhuc hodie integerrimum est, sed datur in remissionem peccatorum: alioqui in aliquo alio esset remissio quam in Christo. Haec ille tempore Ludovici primi, et Lotharii Imperatoris. Post ccc. autem fe-*

re

(a) Pascas. I. De Consecr. Distinct. II.

re annos surrexit Berengarius, qui aperte ausus est adversus hoc sacramentum latrare, affirmans ibi esse panis substantiam: qui damnatus merito est a Leone nono Vercellis, et a synodo Patrum, circa annum Domini M. L. Quare catholicae origo veritatis, a Christo et Apostolis protracta est, erroris vero a septingentis annis.

Perniciose ergo et impudenter mentitur impius Bullingerus, cum origenes errorum corruptissime recenset in magnum Ecclesiae Apostolicae contemptum. Et qui fieri potest ut verum possint dicere, qui verba illa Christi, quibus haec tremenda conficiuntur mysteria, tam nefarie torquent, ut figura dicant esse quod ipse Christus veraciter affirmavit, ipsam veritatem subinde de mendacio arguentes? Clara certe sunt et fixa verba Christi, *Hoc est corpus meum*: non est quod in illis haesitetur aut quod curiose scrutetur; agnoscamus humilitatem conditionis nostrae: mortales sumus, terreni ex terra, qui vix ea quae facimus, intelligimus, neque ea quae ante pedes nostros sunt valemus intueri: vivum est verbum Dei et efficax. Et ut recte dicit Damascenus (a): *Omnia quaecumque voluit, fecit. Si dixit fiat lux, facta est lux, et ipse Deus verbum factus est homo, ex Sanctae Virginis purissimis sanguinibus, non potest suum panem ipsius corpus facere, et vinum atque aquam sanguinem?*

Si ergo potest, et se promisit facturum, proculdubio facit, id enim demonstrat Christus pronomine illo $\tau\epsilon\tau\omicron$ quod tradendum et crucifigendum dicebat: panis autem materialis non erat tradendus nec crucifigendus: nec si panis illic demonstraretur, per articulum $\tau\epsilon\tau\omicron$ exprimeretur aut demonstraretur, cum $\delta\ \acute{\alpha}\gamma\tau\omicron\varsigma$ id est, panis, masculini generis sit: quare metaphorice intelligere verba illa ipse orationis contextus prohibet; ubicumque enim

Chri-

(a) Damascen. de Fide Orth. Lib. IV.

Christus figuraliter loquitur, ipse se ipsum solet exponere: quod hic non facit. Et certe si hoc modo liceret scripturam corrumpere, aequa ratione possent dicere Sacramentarii, quod omnia Dei opera, quae in Scripturis continentur, et a nobis minime intelliguntur, ut Aeterna Generatio, Personarum Divinarum Trinitas cum Essentiae Unitate, Incarnatio, Nativitas, Passio, Resurrectio Christi, in signo et figura facta sunt, et non in veritate. Facile enim esset dicere, ei qui vellet ista asserere, quod accipitur est pro significat. Et quorsum D. Clemens, et omnes alii Sancti, tantam munditiem et cautelam commendant in servando, in recipiendo, in tractando hoc sacrosancto mysterio, si ibi Christus veraciter non continetur? Quorsum omnes appellant uno ore corpus Domini, sanguis Christi? numquid omnes isti figurate etiam loquuntur? quis hoc dicet nisi insensatus? Si enim communio cum Christo, et Christus ipse in his sacris mysteriis dumtaxat repraesentaretur, non videtur in quo agni paschalis occasionem, aut manna de coelo exhibitionem, aut sacrificia veteris legis excederet: nam illa etiam significabant Christi passionem ex voluntaria ordinatione Dei, quae si in fide morituri Messiae offerentur, quis dubitet non fieri participes secundum aliquem modum passionis Christi iam iam exhibendae?

Praetereo quod si fide creditum hoc mysterium solummodo manducatur, et fit quod Deus vult fieri, sequitur, quod quoties aliquis recordatur passionis Christi, et credit se salvum factum per illam, sacramentaliter communicat, et quidem sine signi sensibilis applicatione aut voluntate recipiendi: quid igitur opus erat huiusmodi institutione Sacramenti? Quod si dicant se non credere ea quae de hoc Sacramento dicunt, quia minime videtur possibile quod unum et idem corpus sit in diversis locis; multum falsi etiam sunt in hoc: nam Christus in Sacramento

altaris non est localiter, nec circumscriptive, nec coextensus hostiae accidentibus, sed sacramentaliter, et modo quodam spiritali, nobis prorsus ignoto: secundum quem modum nullam includit repugnantiam quod sit sub pluribus accidentibus: *Non enim est impossibile apud Deum omne verbum.* Quid isti volunt digito Dei omnipotentiam metiri? Quae inexhaustum pelagus perfectionis est, quae *dixit et facta sunt*, quae *mandat et creata sunt.*

Nam quid obsecro non credemus de corpore tam glorioso, tam excellenter et mirabiliter dotato, et omnipotenti divinitati tam coniuncto? Si autem credere non volunt, quia non intelligunt: certe hac ratione omnes fidei articulos possunt negare, omnes enim supra captum nostrae conditionis sunt. An putant Apostolos et eorum discipulos, et Sanctos omnes, qui aetate illis proximi fuerunt, fuisse tam vecordes, tam truncos, ut hanc tam arduam veritatem negligenter, et in tantum ignorarent, ut non agnoscerent, quod sibi credendum erat, et aliis praedicandum? qualiterve Christus Deus noster hoc Sacramentum instituerit, quod quotidie reverenter tractabant, et ut ipsum digne reciperent, invitabant? Quos tamen ostendimus non solum contrarium et multo diversum ab eo quod isti praedicant praesensisse, verum et scripsisse et praedicasse. Nec minus verba ista Christi Lutheranicam factionem urgent: nam pronomen illud demonstrativum in verbis istis: *Hoc est corpus meum*, non videtur quid possit demonstrare, nisi cum Ecclesia Catholica fateantur corpus Christi sub accidentibus panis fuisse demonstratum. Si enim corpus suum demonstrabat Christus, et simul cum eo erat panis substantia, non vere demonstrabat per pronomen singulare, aggregatum duarum substantiarum non constituentium quodammodo unum, nec etiam praedicatum enuntiationis illius poterat illis vere convenire: et quamvis vere fingeret Luther do-

minicum corpus esse cum pane , eo modo quo ignis est in ferro quando est ignitum , dicti Christi veritas salvari non potest; eo quod simplex praedicatum substantiae , de re quae duas substantias includit , non reddentes quodammodo unum , vere praedicari nequit. Nam neque de ferro ignito verum est dicere , quod sit ignis , quamquam vere dicatur esse ignitum.

Quare fatendum illis etiam est , si cum Ecclesia Apostolica Apostolorum et Martyrum volunt consentire , et dictis Christi non repugnare , quod Sancta Ecclesia Universalis de Sacramento altaris hodie fatetur et praedicat : alioqui ab Apostolica Ecclesia sunt exclusi , Apostolos damnant , Martyres infamant , Sanctos et antiquos Patres truncos et stipites faciunt , et quod magis sacrilegum est , suo corrupto dogmate Christo repugnant , adversantur , et mendacem faciunt. Hanc considerationem debita opera tam prolixè tractavimus , tum propter rei dignitatem , tum etiam quia impudentes isti Novatores nulla in re magis insanunt , adeo ut diabolico furore perciti , probrosis et execrandis titulis sacrificium hodie redemptionis nostrae , pignus et memoriale pretiosissimum , publicis scriptis et concionibus dehonestant. Noverint ergo Christiani institutum hoc venerandum non errore aut avaritia Sacerdotum fuisse in Ecclesia introductum , id quod non pudet adversarios affirmare ; sed divina auctoritate , Sanctis Apostolis hoc praedicantibus , Martyribus et aliis Sanctis Patribus per septingentos a Christi passione annos , idipsum (nemine in Ecclesia discrepante) asserentibus.

CUM ex consensu omnium Sanctorum antiquae Ecclesiae Patrum, altaris tremendum sacrificium ad remissionem peccatorum, tam pro vivis quam pro defunctis valere demonstraverimus; nec hoc de remissione, quoad culpam possit intelligi, ut ex ipsis etiam dictis Sanctorum demonstravimus; quid superest, nisi ut Dominica etiam Traditione fateamur esse post hanc vitam aliquem medium animarum statum, qui neque ad statum simpliciter bonorum, aut ad statum simpliciter malorum pertineat, quae possint huiusmodi sacrificiis expiari, et aliis suffragiis Ecclesiae et piorum hominum iuvari? Nam pro bonis atque beatis animabus, nemo Sanctorum iussit orare, aut sacrificium offerre, quippe quae cum Deo iam regnant, et nullius rei prorsus egent: nec pro simpliciter malis atque damnatis, haec enim sicut semper irae Dei sunt obnoxiae, ita neque capaces sunt alicuius adiutorii, quia quantum in se fuit, numquam peccato carere voluerunt: restat igitur ut medius iste animarum status assignetur, cui altaris sacrificia ad levamen et refrigerium earum applicari possit. Quare si sacrificium altaris divina Traditione constat defunctis prodesse, consequitur statum istum animarum purgandarum debere assignari.

Quantum vero illis prosit, et quantum non, solus Deus novit, qui sacrificium istud instituit; licet non improbabiliter dici possit eis prodesse tantum, quantum ipsi in hac vita meruerunt ut prodesset: id quod Deus solus novit. Unum tamen non ignoramus, quod cum mysterium hoc in memoriam Christi passionis per repraesentationem recolatur, et per ministerium Sacerdotis applicetur, ad certam eis mensuram valere, quamvis in-

finiti valoris sit id quod applicatur. Significavit hunc statum Christus (a) Redemptor noster, quando de peccato in Spiritum Sanctum dicit remitti non posse *in hoc seculo, neque in futuro*. Quod Origenes et Divus Gregorius IV. dialogorum ex hoc loco etiam intellexerunt. Matthaei quoque (b) : *Non egredieris inde donec redas novissimum quadrantem* : quod exponens Beatus Hieronymus, dicit (c) : *Non egredieris de carcere, donec etiam peccata minuta persolvas*. Rursus illud Paulli Corinthiorum tertio, de igne temporali probatorio, qui manet opera mala, leviter tamen facta (d), quae dicit *a die Domini debere declarari, et in igne revelari aut probari*.

Hic locus quamquam ab Augustino varie exponatur, nunc pro purgatorio statu, de quo nobis est sermo; nunc pro purgatione, quae per tribulationes in hac vita fit, divina hoc disponente providentia, vehementissima tamen est apparentia, quod Paullus in eo loco de statu hoc medio animarum ibi loquatur: nam dies Domini (*), cuius illic meminit Paullus, vix aut nunquam in scriptura significat nisi vel diem mortis, vel diem iudicii; quare non de tribulationibus huius mundi intelligi potest locus ille: ad quam expositionem magis videtur inclinare Augustinus (e), quatuor in locis eam plane confirmans, sermone de commemoratione animarum, de fide et operibus, in Enchiridion ad Laurentium, et in Psalterium; quamvis alio loco ad purgationem, quae fit per tribulationes, recurrat. Nec secus intellexit locum illum Origenes, cuius verba sunt (f) : *Qui salvus fit, per ignem salvus fit, ut si quid forte de specie plumbi habuerit admixtum,*

(a) Matth. XII. 32.

(b) Matth. V. 26.

(c) Hieronym. Comment. ad hunc locum.

(d) I. Corinth. III. 13.

(*) Dies Domini quid.

(e) August. in cit. loc.

(f) Orig. Homil. VI. in Exod.

tum, id ignis decoquat et resolvat, ut efficiatur aurum bonum. Si quis multa opera bona, et parum iniquitatis obtulerit, illud parum tamquam plumbum igne resolvitur et purgatur, et totum remanet aurum purum, et si quis illic plus plumbi detulerit, plus exuritur, ut amplius decoquatur, ut etsi purum aliquid sit auri purgatum, tandem resideat: quod si aliquis illic totus plumbeus devenerit, fiet de illo quod scriptum est: *Demergetur in profundum tamquam plumbum in aqua validissima.* Ambrosius quoque in Commentariis illius epistolae (a), et Chrysostomus (b) et Gregorius IV. Dialogorum in eodem sensu intelligunt ista verba, et D. Anselmus.

Nec parum debet movere illud Apocalypsis quinto, de creaturis quae subtus terram sunt, quas dicit dare gloriam et benedictionem Deo sedenti in throno, et quod Christus ad Inferos descenderit, et eduxerit sanctas illas animas ibi detentas: quae argumentum clarum exhibent esse locum in subterraneis locis huic rei deputatum: etsi crediderim cum Divo Gregorio multas animas alias aliis in locis purgari. Insuper illud Machabaeorum (c), ubi dicitur *sanctam et salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*; id enim quod fideles et probi et praecipui homines in lege veteri olim credebant, valde verisimile est, etsi alia non extaret probatio, a doctrina Moysi, et Sanctorum Prophetarum fuisse derivatum. Quem locum Divus Augustinus libro de cura agenda pro mortuis (d) ad istud idem propositum affert. Adde quod alii antiquissimi Doctores de huiusmodi statu animarum medio, quodammodo meminerunt: nam praeter id quod Divus Clemens ex Petri mente, et alii viri Apostolici de sublevandis animabus defunctorum per oratio-

(a) Ambros. in Comment. ad loc. Paull.

(b) Chrysost. Homil. LXIX.

(c) II. Machab. XII. 46.

(d) Augustin. de cura gerend. pro mort.

tiones et sacrificia praedicarunt, et definierunt, ut iam vidimus, speciatim tamen huius status mentionem (quamvis non sub huius nomine Purgatorii) fecerunt. Dicit enim Tertullianus libro de resurrectione carnis (a): *Animas torqueri foverique penes Inferos, licet adhuc exules carnis, probavit Lazari exemplum.* Item libro de Trinitate: *Locus est, inquit, quo piorum animae impiorumque ducuntur futuri iudicii praeiudicia sentientes.*

Cyprianus quoque (b) suadens ut libellatici et hi qui idolis metu mortis sacrificaverant, ad poenitentiam et pacem, nondum completa poenitentia, reciperentur, plenam horum iustificationem Dei iudicio reservat: quod plane significat, post admissum peccatorem ad pacem reconciliationem, aliquid in eo manere quod Dei iudicio repurgetur, ac subinde animam illius qui sic decedit ad istum statum medium pertinere. Verba Cypriani in duobus locis illius epistolae haec sunt: *Placuit, frater charissime, examinatis caussis singulorum libellaticos interim admitti, et sacrificatis in exitu subvenire* (erant autem libellatici nisi me fallit opinio illi, qui ad libellum eorum, qui Christianos recensebant, comparebant, redimentes pecuniis suam vexationem ne accusarentur quod Christiani essent) *quoniam Exomologesis apud Inferos non est, nec ad poenitentiam quis a nobis compelli potest, si fructus poenitentiae subtrahat.* Et addit Cyprianus: *Nec enim praeiudicamus Domino iudicaturus, quo minus si poenitentiam plenam et iustam peccatoris invenerit, tunc ratum faciet quod a nobis fuerit hic statutum.* Ac paullo post, de eisdem qui si plena poenitentia recipiebantur, ut *Sacerdotes (inquit) Dei et Christi, quod et Christus fecit et docuit imitantes, vulneratum de adversarii faucibus rapiamus, ut curatum Deo iudici reservemus.*

Ob-

(a) Tertull. cit. Libro.

(b) Cyprian. Libr. IV. Epist. II.

Obsecro quorsum hic reservat D. Cyprianus eos, qui sine poenitentia perfecta decedunt divino iudicio, si non credidisset in alia vita divinam iustitiam de huiusmodi imperfecte poenitentibus ad unguem, quod aiunt, debere compensari? Est alius locus Cypriani de purgatorio, ceteris omnibus illustrior epistola ad Antonianum, ubi loquitur de differentia lapsorum, et recipiendi eos diversitate, ubi tres status eorum qui ad veniam recipiuntur, assignat (a): *Aliud est ad veniam stare; aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem: aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatus emendari et purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse: aliud denique pendere in die iudicii ad sententiam Domini: aliud statim a Domino coronari.* Vides tres differentias ponit decedentium: lapsorum quorundam, qui per passionem martyrii purgati prorsus ad Deum veniunt; aliorum qui post mortem purgandi detinentur usque ad solutionem novissimi quadrantis; aliorum vero de quibus ratio certa haberi non potest status sui: ubi satis clare expressit hic Sanctus Pater Purgatorium.

Divus Hieronymus apertis verbis hunc statum quoque fatetur (b): *Si Origenes omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo poenitentiam tribuit; quid ad nos qui diabolum et satellites eius omnesque impios et praevaricatores dicimus esse perdendos perpetuo, et Christianos si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas?* Cum igitur multi frigidi sint, et in satisfactione poenitentiali valde remissi, insuper multi qui in hoc mundo tribulationibus, et adversitatibus pro aequalitate peccatorum minime vexantur, certe divinae iustitiae satis congruit, ut sta-

tus

(a) Id. Libr. IV. Epis. II. ad Anton. (b) Hieronym. Epist. XII.

tus iste medius pro huiusmodi hominibus assignetur : nam dicere quod per mortem naturalem omnes reliquiae peccatorum in omnibus purgantur , minime divinae iustitiae videtur congruere , quae pro mensura peccatorum infert et plagarum modum : contingit enim eodem genere mortis , homines qui inaequaliter peccaverunt , et inaequaliter poenituerunt , decedere. Adde quod Divus Ambrosius in Oratione funebri pro Imperatore Theodosio defuncto , requiem petit ei a Domino (a) : *Da* (inquit) *requiem perfectam servo tuo Theodosio , quam praeparasti Sanctis tuis : illo convertatur anima eius , unde descendit , ubi mortis aculeum sentire non possit , ubi cognoscat mortem hanc non hominis finem esse , sed culpae.* Idipsum etiam confirmat ad Faustinum , de sororis obitu dolentem. Item Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri fratris sui. Athanasius (b) ad Antiochum Principem expresse dicit *animas fidelium percipere beneficia viventium , quando propter eas fiunt conventus in Ecclesia.* Chrysostomus (c) *Sacerdotum preces magno auxilio defunctis esse ,* affirmat. Epiphanius contra Arianos , prodesse animabus defunctorum preces , quae pro ipsis fiunt , etiam clara voce docet , confirmante hoc Beato Augustino in multis suae doctrinae locis (d). Mitto hic Ioannem Damascenum , qui Sermone de his qui ex hac vita migrarunt , Traditionem Apostolicam dicit esse , subvenire defunctis.

Quae omnia satis arguunt hunc medium statum animarum , quae suffragiis viventium magnopere relevantur , fateri debere : quam quidem relevationem ipsae dum in corporibus viverent ,

Tom. I.

Pp

apud

(a) Ambros. in cit. Orat.

(b) Athanas. Quaest. XXXIV. ad Antioch.

(c) Chrysost. I. Corinth. Homil. XLI.

(d) Libro Confessionum IX. capite XIII. et in libro ad quod vult Deum , contra Arianos , et libro XX. de Civitate Dei.

apud Deum meruerunt, ne putent scioli et argutuli scrutatores, aut quod illae animae in eo statu promereri possunt, aut nos divinam sententiam nostris suffragiis variare: redditur enim illis iuxta opera sua, cum Deus statuerit per opera, quae in vita fecerunt, quod haec in alia vita eis possunt prodesse, id quod Augustinus sentire videtur in Enchiridion (a). Et licet unusquisque quoad culpam onus suum portet, ita ut alius pro eo non possit Deo satisfacere; tamen rationi valde consonum est, nec in aliquo divinae iustitiae derogatur, quando satisfactio non fit pro delicto alterius, sed pro temporali poena debita, ut alius pro alio possit satisfacere, maxime Iesu Christi merito inexhausto interveniente, et cum eis qui Christiana charitate in uno Christi corpore nobiscum sunt coadunati: sicut enim unum membrum compatitur alio membro, ipsumque per compassionem quamdam adiuvat et relevat cum male habet, ita etiam fit per charitatem in Christi corpore et membris eius, iuxta illud Psalmi: *Particeps sum ego omnium timentium te.*

SEXTA CONSIDERATIO.

De Extremae-Uctionis Sacramento.

DE Extrema-Uctione fit quodammodo apud Marcum mentio (b), ubi dicitur, *quod exeuntes Apostoli praedicabant, ut poenitentiam agerent, et daemonia multa eiiciebant, et ungebant oleo multos aegros et sanabantur.* Expressius tamen Divus Iacobus hoc ipsum Sacramentum promulgavit, seu per Spiritum Sanctum instituit, de quo sic loquitur in sua Canonica, capite quinto (c):

In-

(a) Augustinus in Enchirid. cap. CIX.

(b) Marc. VI. 12. et 13.

(c) Iacob. V. 14.

Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis sit, remittentur ei. Ubi vides signum practicum et sensibile ab Apostolo promulgatum esse, cum promissione gratiae et remissionis peccatorum, quae sunt propria et vera ratio Sacramenti. Quod et Augustinus valde commendat Sermone nono partis quartae (a): Quoties, inquit, aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi, ille qui aegrotat, accipiat, oleumque benedictum humiliter a Presbyteris fidelibus petat, et inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur quis in vobis; et reliqua verba Iacobi recenset.

Cuius Sacramenti duo sunt, ut ex hoc loco Iacobi patet, salubres effectus: alter primus et praecipuus quem numquam non consequitur infirmus fidelis, qui gratiae Dei impedimentum non ponit, et Sacramentum hoc digne suscipit, sicut neque cum alia recipit: atque is est, animam infirmi confortare per gratiam et remissionem peccatorum: alter vero minus principalis, scilicet alleviare infirmum ab aegritudine qua laborat, quo multoties caret istud Sacramentum. Quare Lutheri ratio qua Sacramentum hoc a numero aliorum excludere tentavit, non solum inefficax, sed ridicula est. Putavit enim ille, primarium huius sacrosancti instituti effectum a sanctis et ecclesiasticis viris assignari ad consecutionem corporalis salutis, quam quia raro unctus infirmus consequitur per sacram Uctionem, frustratum iam salubre hoc institutum suo praecipuo effectum falsus ipse putavit, ac subinde veram rationem Sacramenti in eo non esse impie affirmavit: sed longe aliter res se habet, ut diximus. Curationis infirmorum per oleum sanctificatum meminit Tertullia-

nus

(a) Augustinus cit. Serm.

nus (a) in libro deprecatorio ad Scapulam Carthaginiensium Praesidentem, ubi refert Severum Imperatorem per Proculum Christianum oleo illinitum atque curatum.

FINIS PRIMI TOMI.

(a) Tertull. ad Scapul.

DIGRESSIO

AD PRINCIPES, PRAELATOS, ET MAGISTRATUS.

HIC vos ego appello, o Christiani Principes, Praelati Ecclesiarum et Urbium, qui Christo nomen dedistis, Rectores, et publici Consiliarii, apud quorum multos in tantum elanguit sacrae Religionis zelus, invaluit autem carnis prudentia, ut pluris faciatis vestra isthaec humana eademque variabilia instituta, et privata commoda, aut unius Civitatis politicam consuetudinem, quam totius Ecclesiae et Sponsae Christi institutas divinitus Traditiones. Quod si vel tantillum laedatur vestra temporalis potestas, lex, consuetudo, aut particularis auctoritas, bone Deus! quanta mox indignatio, quanta ira et inimicitia (tange montes et fumigabunt) quam aegre, quam acerbè id fertis, quam celeriter delinquentem inquiritis, et quaestionibus variisque torturis, si delictum negaverit ab eo extorqueatis. Presto adsunt Consiliarii, qui dicant crimen id vergere in totius Reipublicae perniciem, Magistratum laedi, Civilem auctoritatem et potestatem subverti: parata sunt ad vindictam et supplicia omnia. Fiscalis Promotor, Iudex, Carceres, Lictor, Notarius, testes. Quid non? Si fugit reus, magnis clamoribus citatur: si non comparet, absens damnatur: misericordia est si perpetuo exulet. Si autem adest, aut graviter plectitur, aut e medio tollitur, aut solvere cogitur usque ad novissimum quadrantem: praesertim si aulicorum favoribus, atque id genus aliis, quae oculos Iudicum obcaecare solent, sit destitutus. Nec id reprehendo, sed laudo, dummodo veritas concomitetur iudicium, & misericordia Christiana rigorem legis nonnihil attemperet.

Hoc vero (ignoscite mihi) non possum nulla nec ratione nec

modo concoquere, quod in isthaec vestra temporalia et caduca, tam acute cernatis, tam duriter animadvertatis atque adeo sitis solliciti, in eos vero qui politiam divinitus institutam interturbant, Apostolicam et divinam auctoritatem laedunt, et in sacrosanctas Traditiones, quae per Christum et Apostolos Ecclesiae innotuerunt, temere et contemptim irrumpunt, privatos homines atque transfugas, tam dissimulanter, et negligenter vester iste eximitur potestatis gladius, quasi provincia haec ad vos non pertineret. At quid dico, irrumpunt? imo scriptis publicis eas impugnant, e suggestu in vestris ditionibus, in vestris domibus, in faciem denique vestram, impune docent. Et quod multo magis dolendum est, quidam ex vobis falsos hos Prophetas ad se vocant. Et dum alii annuunt, alii favent, alii vero connivent, huiusmodi perturbatoribus nunquam desunt impii patroni. In quorum delictis cognoscendis, surdus est Iudex, mancus Notarius, accusator elinguis, caret securi lictor, vigilantia carceris custos, et super haec omnia non desunt ex vobis, qui hanc impiam dissimulationem, si Deo placet ἐπιχειραίνω vocent. Aiunt non convenire publicis statibus obedientiam sibi debitam periclitari, nondum esse convictos, audiri debere prius, ac maturo iudicio quod praedicant examinari, sit ne pro eis ratio et scriptura necne, altiora et difficiliora esse haec, quam ut ad Principes temporales huiuscemodi rerum iudicium spectet. Utinam excusationes istae tales sint, quibus possint in districto Dei iudicio maiores populorum excusari. Rectores enim Urbium et Regnorum, qui causam Dei privatis commodis suis postponunt, nescio quomodo in iudicio Dei se defendent, aut qua fronte ad summum illud Tribunal comparebunt, a quo nulla usquam erit provocatio. Verum dic mihi, quisquis es, qui vel auctoritate, vel consilio gubernandae cuiusvis Reipublicae curam suscepisti, lubet enim

mihi

mihi tecum super hac re sermonem facere: Si quis fortasse privatus in legem vel consuetudinem vetustissimam sapienter a maioribus introductam, et ab omnibus receptam, in rebus gravioribus, quae ad statum Reipublicae aut ditionis tuae pertinent, publice per contemptum peccaret, sineres ne illum quaeso impune abire, aut crimen dissimulares? Non credo. Quid autem si idem ille non solum in legem tuam iustam, ac de re gravissima sancientem, arroganter et fastuose peccaret, sed ipsam impiam et sacrilegam diceret, idque publicitus facto, dicto aut scripto testatus, quin et populum ipsum manifestum in contemptum legis concitaret? Quid tu faceres o bone? imo quid non faceres, muneri tuo cupiens satisfieri, ut seditiosum et pestilentem hominem compesceres, et leges politicas a contumelia et iniuria vindicares? Scio merito scandesceres, mille cruces parares, mille fasces, mille secures, mille equuleos, mille carnifices, ne homo facinorosus ille id ferret impune. Neque magnopere morareris (si saperes) ut de contempta et violata lege causam diceret homo privatus ac seditiosus, sed tanti facinoris continuo damnatum, et indicta causa, confestim raperes ad paratum supplicium eversurus, alioquin funditus Reipublicae tuae statum, et sanctarum legum maiestatem, perditorum hominum libidini expositurus. Quid enim obsecro superesset iam, nisi ut cuicumque lubitum esset, eidem et liceret contra communem Reipublicae tranquillitatem, statum et ordinem libidinose insolescere, cum post patratum quodlibet etiam atrocissimum facinus, post violatas leges, liberum quoque esset ei impune adversus easdem debacchari, et tamquam otiosas, iniquas, impias, promiscue multitudini illudendas obiicere? Ad hunc ferme modum se habet si recte aestimas, causa eorum qui Religionem tam tumultuose perturbant, longaque et vix iam tolerabilis cum eis dissimulatio.

Habet Ecclesia Dei per mundum universum dispersa quae vere Christi non solum politia sed sponsa est, praeter Scripturam et Sacramenta, Traditiones sacrosanctas, ritus venerandos, consuetudines laudabiles, ab ipsis primordiis per Christum Dominum et Apostolos, aliosque Patres ipsorum successores introductas, atque ab omnibus universali consensu receptas, quibus salubriter regitur, prudenter ordinatur, recte in viam Regni coelestis dirigitur, quas falsi isti Apostoli diabolico furore perciti, impudentissime non sine magno totius Ecclesiae scandalo invaserunt: quod ut omnibus compertissimum est, et in confesso, ita nec ipsi eunt inficias. Proinde levius aliquanto esset ac tolerabilius, si post admissum flagitium ingenue sese deliquisse confessi, specimen aliquod praeberent resipiscentiae et poenitudinis, a qua re tam procul absunt, ut magis ac magis in Apostolicas leges, et sacrosancta Ecclesiae statuta debacchantes, non vereantur ea convitiosissimis dictis proscindere, dum impia ac vana quaedam deliramenta, modo fictitia hominum commenta vocant et instituta Papistica, quaecumque per magisterium Apostolicum in Ecclesia inducta sunt et constabilia. Quae igitur ratio aut aequitas est, ut super pietate vel impietate eorum, quae observari privatis hominibus necessum est, Novatores isti tamquam in causa iuridica audiantur, ac non potius propter tam inauditam et nefariam licentiam, violataque sacrosancta Dei instituta, et Ecclesiae ordinem labefactatum, in ipsos durissime animadvertatur? An non vides si haec dissimulas cum vindicare potes, o Rector Christiane, aut quisquis es, qui ad Reipublicae alicuius gubernaculum es constitutus, viam sterni non dico qua Traditiones, sed universa Christiana Religio ruat in interitum, ac pene subvertatur? Quem te esse autumas, qui delicta gravissima in Divinas et Apostolicas leges a tota Ecclesia receptas, nec a tuo

pen-

pendentes arbitrio, posse te vel remittere vel dissimulare, et ad examen et scrutinium legum ipsarum, quarum tu tantum executor esse debes et administrator procacitatem flagitiosorum hominum admittere? In qua tandem potestate haec facis? quo iure? imo qua non iniuria huiusmodi dissimulas? Quid enim aliud agis, quum istud agis, quam quod superiorem Apostolicis institutis te ipsum facias, quod non vindex eorum et executor ut debebas, sed arbiter, pensiculator et moderator cupis videri?

Adde quod eadem ratione qua te excusas ne hos compescas, eadem quoque te condemnas, in eo quod dissimulas, cum vindicare possis. Si enim iudex non es caussae, quae in controversiam vertitur, multo minori ratione moderatoris aut arbitri tibi partes usurpas, ut Divinas et Apostolicas leges, quibus tu subiectus es, impune et dissimulanter laedi permittas. Dicis eas tamquam impia hominum commenta et terriculamenta ab illis passim contemni et ignominiose explodi: quid ad te? Peculiare hoc est flagitiosis omnibus contra legem et earum vindices murmurare, et facinora sua, quoquo modo possint, etiam cum sanctarum legum iniuria, vel extenuare vel palliare. Tu habes leges et consuetudines Apostolicas universali Ecclesiae consensu firmatas, quae stant pro te. Ecclesia est in possessione sua, non a biduo aut triduo, sed a mille et amplius annis: permitti non potest ut iuribus suis per privatos conatus defraudetur. Accingere tandem, ne cunctanter agito, interim dum tibi alia via nulla per eandem Ecclesiam commonstratur, tuarum partium est, decreta et instituta Apostolica a temerariorum iniuria defendere: non enim frustra et sine causa gladium portas, sed ad vindictam malorum, laudem vero bonorum.

At isti (inquies) ostensuros se promittunt contra Divinam Scripturam haec instituta esse. Verba vana sunt, et privatorum

hominum fabulae, qui prius in ipsas leges graviter deliquerunt quam haec opponerent, et ut facilius legum iudicium et rigorem evadant, huiusmodi fingunt, et falso comminiscuntur. Iterum dico, nec saepius iterare pigebit, nihil pertinere ad te huius caussae cognitionem, nec ob huiusmodi nebulonum calumnias iudicium et executionem debere suspendi. Hoc tantum ad te pertinet, scilicet in Ecclesiastica instituta peccantes punire, et quamvis res in ambiguo versaretur, pro legis iustitia et aequitate praesumere, alioqui in quovis negotio haerebis, nec facinorosos iusto supplicio unquam castigabis. Non autem te moveat quod haec humana instituta esse dicant, cum nullam probationem evidentem ad hoc afferant, et tota Ecclesia cum Sanctis omnibus eis repugnet, ut commonstravimus. Tua enim nec refert, nec tui iuris est super hac re sententiam dicere: tamen ut hoc detur, ab hominibus videlicet, non a Deo haec fuisse tradita, quid tum postea? An ideo non debent magna reverentia tum excipi, tum obaudiri? Num permitti debet inconsultis Ecclesiae Praesidentibus ac primariis Patribus repugnantibus, per privatos homines convelli? Hoc certe vel permittere, vel dissimulare, non solum est in Auctorem huius sacrosanctae politiae Christum Dominum peccare, qui hosce ipsos tamquam legitimos Legatos iussit reverenter audiri, sed in rationem ipsam et universam naturam: Deus tamen est in Coelo, qui quotquot honorem suum ex corde requirunt, immensis afficit honoribus: qui vero caussam suam negligunt, perpetuo reddit ignobiles.

Itaque hic vos admonitos velim, Principes et Iudices terrae, quotquot ista negligitis, quod nisi praeteritae negligentiae poenitentiam egeritis, et instituta vestra in melius mutaveritis, ira Dei manebit super vos et super filios vestros ac dominia vestra. Neque hoc dico ut mihi placeant acerbiora remedia, quando levio-

ribus huiusmodi possunt curari contagia. Sed quia blandae dissimulationes, errores maximos, et haereses longe lateque in Ecclesia semper propagaverunt, pusillos multos scandalo perdidērunt, et universalem Ecclesiae statum cum gravi animarum dispendio turbaverunt. Error enim cui non ex animo resistitur, approbari videtur simplicibus. Iam vero quando aliud remedium ad conservandam Religionem non est, et tam diu spectatum est, ut sustinentia in magnam cesserit animarum perniciem, arceantur, oro vos per sanguinem Iesu Christi, ab Ecclesiae ovilibus, qui nos conturbant, abigantur pseudoapostolici, exulent e vestris dominiis falsi Evangelistae, qui ovina pelle superinduti, intus tamen lupi rapacissimi in miseras et simplices animas crudelissime saeviunt. Puniantur et ii qui in re tam non aequa iniquis patrocinantur durissima, si opus fuerit, animadversione; alioqui Respublica Dei semper manebit infecta, et manifestae perditioni exposita. Ac proinde non effugietis vos terribile iudicium Dei, iramque eius in vos et dominia vestra provocabitis. Nam reliqua popularis multitudo male decepta est; unde veniam meretur: nescit enim quid credat diversitate sectarum hinc inde tamquam procellis agitata. Quamobrem sublevanda est misera et infelix, melioribusque praeceptis, maiorumque suorum vivis virtutum exemplis imbuenda.

Intelligite (obtestor vos o boni) studio et diligentia Principum Religionem maxime promoveri; vos enim estis Ecclesiae nutritii, iuxta Divinum Isaiam, veritatis tutores, Religionis protectores, quibus gladius ad vindictam malorum a Deo datus est, cuius exercitium in expurgatione Ecclesiae multum solet prodesse. Si mihi non creditis, credite Augustino, qui in Epistola quadam dicit: (a) *Plebem suam metu et terrore Principum ab*

erro-

(a) Epist. ad Vincentium Donatistam.

erroribus Donatistarum ad rectam fidem fuisse conversam. Hoc est praecipuum munus vestrum, qui locum Dei inter homines tenetis, ut pro Religione sitis solliciti; ut quod suasu verbi evangelici non fit, fiat saltem timore & metu publicae auctoritatis. Audite non me, sed Isidorum sanctissimum, idem hoc ut utile et necessarium approbantem, libro de Summo Bono: (a) Intra Ecclesiam (inquit) potestates necessariae non essent, nisi ut quod non praevaleret Sacerdos efficere per doctrinam, potestas hoc impleat per disciplinae terrorem; saepe per regnum terrenum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi, contra fidem et disciplinam Ecclesiae agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam quam Ecclesiae humilitas multoties exercere non praevaleret, cervicibus superborum potestas principalis imponat, et ut venerationem mereatur virtute pietatis. Cognoscant Principes saeculi Deo debere rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt, nam sive augeatur pax et disciplina Ecclesiae per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam credit. Haec Isidorus.

Non deerit fortasse qui tacita me reprehensione coarguat, quod homo Christianus atque Ecclesiasticus Principes de negligentia animadversionis in perturbatores Ecclesiae commoveam, et ad gladium potestatis publicae eximendum invitare videar. Non sum certe hoc ingenio natus, ut magis mihi placeat severitas quam misericordia: perplacet mihi magnopere in delinquentes clementia, quando in Ecclesiae perniciem non cedit (maxime si eorum qui delinquent resipiscentia misericordiam promereatur) sed haereticorum rebellium petulantiam, et quae inde nascitur perniciem ferre sine magno dolore non possum. Amo certe eos qui in Ecclesia turbas movent, nam quales quales sunt, proximi

(a) Isidor. lib. III.

mi sunt : odi autem eorum pervicaciam, et ausus temerarios atque sacrilegos. Cupio eos quidem vivere, et ad meliorem mentem converti, sed doleo quod vita et conversatio eorum, cedat in tam lamentabile filiorum Ecclesiae detrimentum, idque per Principum negligentiam aut conniventiam, et nostrum malum exemplum : iusta, christiana et recta potestas necesse est ut molesta sit malis, quamvis non deceat eam illis esse inimicam : nam et phrenetici nolunt ligari, nec lethargici excitari : tamen misericorditer agit, qui illos ligat, et excitat istos. Pro causa fidei saevire non crudelitas, sed pietas est. Magis rei sunt qui animas fratrum quam qui corpora occidunt, et vitam hanc temporalem et momentaneam eripiunt. Porro cum nemo succenseat ei qui sicarios, homicidas, adulteros, publica potestate puniendos esse suadet, quamobrem non admittendus est, qui magistratus et leges convertit ad sumendum de sceleritatis his, qui in Ecclesia Dei novas excitarunt Tragedias, vindictam, praesertim cum hoc ipsum Deus in lege sua voluerit? Deuteronomii enim 13. (a) falsos Prophetas aut fictores somniorum interfici iubet, quia avertunt homines a Deo. Illi autem plane avertunt a Deo, qui in damnatas haereses et errores contra Spiritus Sancti magisterium trahunt homines extra Christi ovile. Et rursus (b) *Prophetam qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi, ut diceret, aut ex nomine aliorum Deorum, interficietur.* Legimus Heliae Phinees zelum a Deo fuisse laudatum, eosque non parva retributione fuisse ornatos. In novo Testamento severitatem Petri (c) in Ananiam et Saphiram legimus a Deo approbatam, et rigorem Pauli in Elymam Magum (d) quem prae ardentissimo honoris Dei zelo perpetua caecitate damnavit, nemo

Tom. I.

Rr

Ca-

(a) Deuter. XIII. a v. 1.

(c) Act. V. a v. 1.

(b) Deuter. XVIII. 20.

(d) Act. XIII. a v. 8.

Catholicorum ausus est reprehendere; eo quod meritas scelerum suorum poenas improbissimi impostores luerunt. Hoc enim natura exigit, hoc ratio postulat, et Ecclesiasticae leges praecipunt, morbidas oves, quae alias sua contagione inficiunt, a caulis repelli, et immedicabilia membra, ut reliquae corporis partes purae serventur et integrae, ferro, quando aliud remedium non datur, debere abscindi.

lestis sit malis, quamvis non deest cum deest et phrenetici nolunt ligari, nec lethargici excitari: tamen in corditer agit, qui illos ligat, et excitat istos. Pro causa huius saevius non crudeliter, sed pietas est. Magis rei sunt qui animas statim quam qui corpora occidunt, et vitam hanc temporalem et momentaneam eripiunt. Porro cum nemo succensat ei qui siccarios, homicidas, adulteros, publica potestate puniendos esse auctor, quum nemo non admittendus est, qui magistratus et leges convertit ad sumendum de scelertatis his, qui in Ecclesia Dei novas excitant Tragedias, vindictam praesertim cum hoc ipse Deus in lege sua voluerit. Deuteronomii enim 19. (a) falsos Prophetas aut factos sompriosum interdicti iubet quis avertant homines a Deo. Illi autem plane avertunt a Deo, qui in damnatis haerentes et errores contra Spiritus Sancti magistratum trahunt homines extra Christi ovile. Et verus (b) Prophetam qui arroganter deprecatur voluit loqui in nomine tuo, quis ego non praecipis illi ut iudicet, qui ex nomine altissimi Deum interpretatur. Legimus Heliae Phineas xelum a Deo esse laudatum, sedque non parva retributione fuisse ornatos. In novo Testamento severitatem Petri (c) in Ananiam et Sapphiram legitur a Deo approbatam, et rigorem Pauli in Elystrum Magum (d) quem praecipit horribilissimo honoris Dei zelo perpetua castitate damnavit, nemo

Tom. I. Ri. Ca. (a) Deuter. XIII. v. 1. (b) I. Inter. VIII. 20. (c) Act. V. 1. (d) Act. XIII. v. 8.

INDEX ALPHABETICUS.

I. designat Tomum primum, II. secundum, Num. Arab.
 paginam.

A

- A** Doratio duplex. II. 7.
A Adoranda humanitas Christi, et cur. II. 85.
 Adoratio varie sumitur. II. 6.
 Adulterae Christi quae. II. 221.
 Altari Christus offertur, et immolatur quotidie. I. 279.
 Animarum post hanc vitam est medius status I. 292.
 Apocalypsis Ioannis tot habet Sacramenta quod verba. I. 54.
 De arbitrio libero et Fide opinio Lutheri. I. 66.
 Aristoteles a sua Philosophia Iuvenes arcet. I. 72.
 Qui habet aures audiendi audiat, exponitur. I. 71.
 Auctoritatem non habent divina ab humanis. I. 24.
 Auctoritatem unde habet delectus ciborum. II. 157.
 Auctoritas Scripturae qualiter nobis est nota. I. 25.
 Ad auctoritatem Ecclesiae provocatur a scriptura, et
 e diverso. I. 27.
 Auctoritas Episcopalis est nervus disciplinae Ecclesia-
 sticae. II. 263.
 Auctoritas Evangeliorum aliter nota fuit Apostolis, ac
 nobis est. I. 25.

B

- B** Aptismum infantium quis Scripturae locus conclu-
 dit. II. 97.
 Baptismi forma et sacri Chrismatis unde sumpta. I. 152.
 Baptismus parvulorum a quibus introductus. II. 92.
 Baptizandi parvuli et quare. II. 93.
 Basilicae nominibus Sanctorum erectae sunt adeundae. II. 59.
 Berengarii error circa Eucharistiam. I. 288.
 Bertrami libellus damnandus, et quare. I. 287.

C

- C**Anonum Apostolorum numerus. II. 113.
 Canones varii. II. 176.
 Ad Canones suos statuendos, ubi, et quando conven-
 rint Apostoli, incertum est. II. 116.
 Cardinalatus nomen unde. I. 205.
 Castigatio corporis quam sit necessaria. II. 139.
 Catholica Ecclesia quid. I. 106.
 Cerei ardentis quid repraesentant. II. 65.
 Cherinthi, Simonis Samaracii, Maximillae, et Montani
 error. I. 101.
 Chorepiscopi qui. I. 196.
 In ciborum delectu mores diversi. II. 166.
 Ciborum delectus ex traditione Apostolica. II. 160.
 Ciborum delectus quomodo inhibitus. II. 171.
 De Clementis ordinatione. I. 150.
 Clementis Epistolae primae auctoritas. I. 149.
 Coelibatus acquiri potest. II. 207.
 Coelibatus servandi remedium. II. 258.
 Communio aliud est quam Missa. I. 282.
 Confessionis efficacia. I. 180.
 Confessionis vocalis Traditio. I. 162.
 Confessio vocalis, Divinum mandatum. I. 162.
 Confessio tantum relevat delictum, quantum dissimu-
 latio exagerat. I. 164.
 Confessio est animae secundum subsidium. I. 166.
 Circa Confessionem confusio Lutheri. I. 168.
 De Confessione Doctorum opiniones. I. 171. et seqq.
 De Confessione auriculari. I. 161.
 Confessionem impugnantium confutatio. I. 182.
 Ad Confessionem accedentes, quales oporteat esse. I. 183.
 De Confirmationis Sacramento, et ritu eius. I. 154.
 Confirmationis Ministri qualitas. I. 160.
 Coniugatorum vita laudabilis, sed sollicitudinibus di-
 strahitur. II. 230.
 Coniugalis vita non convenit Sacerdotibus. II. 256.
 Conscientiae quibus praeceptis non sunt onerandae. II. 365.
 Con-

Consensus Ecclesiae opponendus Haereticis.	I. 123.
Secundum Consilium quis agit.	II. 108.
Continens qualiter se habere debeat.	II. 193.
Continentium quorundam nomina.	II. 180.
Continentia difficilis, sed nihil dulcius Coelesti Sponso.	II. 196.
Continentia quomodo est necessaria, cum sit consilii.	II. 199.
Continentiae donum qualiter communicetur.	II. 203.
Crede quid sufficiat simplicibus.	I. 78.
Crucis veneratio.	II. 61.
Crucis inventio.	II. 62.
Cultus Sanctorum unde descendit.	II. 45.
Cyrilli iudicium circa Eucharistiam.	I. 273.

D

D ecipientes Haeretici proferunt voces Evangelicas.	I. 97.
Pro Defunctis Oratio Chrysostomi.	I. 254.
De Defunctorum oblationibus Synodi.	I. 256.
Dies Domini quid.	I. 293.
Difficultatis Scripturarum probationes.	I. 59.
Difficultatis in sensu Scripturarum probatio.	I. 55.
Disputantes cum Haereticis quid assequuntur.	I. 104.
Doceat semper Deus, homo autem semper audiat.	I. 58.
De dogmate novo tres viae quibus certi efficimur.	I. 131.
Donum Spiritus Spiritus appellatur ab affectu.	I. 81.

E

E cclisiae nomine quid intelligitur.	I. 106.
In Ecclesia sua loquitur Dominus his qui sunt in Ecclesia, et quare.	I. 85.
Effectus Spiritus Sancti in Ecclesia.	I. 111.
Episcopatus in Ecclesia quod unus sit.	II. 100.
Episcopatus Ordo a Deo est.	II. 288.
Episcopus in Ecclesia est, et Ecclesia in Episcopo.	II. 307.
Episcopus quid significet.	II. 286.
Episcopi potestates.	II. 296.
Episcoporum electio variabilis, ordinatio immobilis.	II. 351.
Episcopi succedunt Apostolis.	II. 294.
	Epi-

- Episcopum pascere gregem suum oportet. II. 287.
 Episcopi iurisdictio et imperium circa quod versatur. II. 334.
 Episcopi possunt cogere subditos sibi obedire. II. 308.
 Episcopi vices agunt Christi. II. 295.
 Episcopi nominis multiplicitas. II. 196.
 Evangelium Marci receptum in Ecclesia annos triginta septem post Christi Ascensionem. I. 18.
 In Evangeliiis non omnia scripta sunt. I. 36.
 Eucharistiae nomen pro quo supponitur. I. 246.
 Ab Evangelistis quae narrata sunt sufficiunt ad fidem. I. 36.
 Eucharistia Christus est. I. 263.
 Eucharistiae varia nomina. I. 264.
 Eucharistiam recipientium diversitas. I. 265.
 Circa Eucharistiam Patrum auctoritates. I. 268.
 Eucharistiae dator testis est veritatis eiusdem. I. 272.
 Eucharistia quibus diebus sumenda. I. 237.
 In Eucharistiae Sacramento, quod vere et figurate corpus sit. I. 278.
 Eucharistia servanda est, et quare. I. 233.
 De Eucharistia opiniones Sanctorum. I. 233.
 Eucharistia olim mortui corporis ori imponebatur. I. 261.
 Excommunicationis effectus. II. 299.
 Excommunicationis finis triplex. II. 301.
 Excommunicatio a quibus infligenda. II. 304.
 Excommunicare peculiare est Episcopo. II. 305.
 Exorcismi, et exufflationes circa baptizandos unde. II. 100.

F

- F**Esti vinculorum Petri decretum Constantini. II. 29.
 Fide iustificamur, exponitur. I. 178.
 Fides Apostolica quando probanda. I. 111.
 Foedus Dei cum Ecclesia. I. 109.
 Fornicationes ut evitent Presbyteri, quid eis faciendum. II. 255.

G

- G** Eneseos liber quam obscurus. I. 48.
G Gradus per quos ascendere debet Episcopus. I. 210.
 Graduum Ecclesiasticorum ratio distinctionis. I. 221.
 Gratiae privatae finis est communis aliquando, et contra. I. 84.

H

- H** Aeresibus quare distrahimur. I. 61.
H Haeretici quibus ex locis oppugnant sanctarum Traditionum doctrinam. II. 411.
 Haeretici deteriora semper amplectuntur. I. 247.
 Haeticorum confutatio de Eucharistia. I. 288.
 Haeticorum confutatio de Traditionibus. I. 57.
 Haeretici antequam essent, Ecclesia fere nullas scripturas novi Testamenti habuit. I. 45.
 Ab Haeticis expositiones detortorum locorum. II. 415.
 Ab Haeticis male intellectorum locorum refutatio. I. 91.
 Hieronymi labor in discendis Scripturis. I. 62.
 Historia divitis Epulonis est, non parabola. II. 17.
 Hominum nulli misericordia Dei et gratia deneganda. II. 94.
 Honor Sanctorum praecipuus. II. 45.
 Honor externus a recta interiori existimatione procedit. II. 4.
 Honor magis consistit in recta existimatione, et affectu honorandi, quam in externis actionibus. II. 4.
 Honore dignum afficere actio est iustitiae. II. 4.
 Honor Dei praecipuus consistit in actionibus Fidei, Spei, et Charitatis. II. 4.
 Honor non consistit substantialiter in exterioribus caeremoniis. II. 5.
 Honor Sanctis debetur. II. 1.

I

- I** Dololatrae qui dicendi sint. II. 8.
I Ieiunii Christiani fructus. II. 127.
 le-

Ieiunium meritorium.	II. 128.
De ieiuniis Patrum sententiae.	II. 129.
Ieiunium quale probat Deus.	II. 132.
Ieiunium praeceptum ante legem, et praescriptio, et delectus ciborum.	II. 134.
Ieiunii antiquitas.	II. 135.
Ieiunium peccata relaxat.	II. 142.
Ieiunii necessitatis caussa.	II. 144.
Ieiunium in quatuor anni partibus unde.	II. 175.
Ieiuniis omnes saturi.	II. 119.
Ieiunium duplex.	II. 120.
Ieiunium infringentes communionem privantur.	II. 174.
Ieiunii Christiani regula.	II. 120.
Ieiunii necessitas, et utilitas.	II. 122.
In ieiunio tempus prandii ex Apostolis.	II. 165.
Ieiunii abusus reprimuntur.	II. 173.
De non ieiunanda Dominica Canon Apostolorum.	II. 153.
Ieiunet unusquisque tantum, quantum sibi viderit ex- pedire.	II. 141.
De imaginibus Scholasticorum opinio.	II. 82.
Imaginis duplex cognitio.	II. 84.
De Imaginibus opiniones haereticorum refutantur.	II. 87.
Imagines quid prosunt.	II. 89.
Imagines colendi forma.	II. 90.
De Imaginibus Sanctorum tres determinationes.	II. 63.
Imago quare filiis Israel prohibita.	II. 67.
De Imaginibus unde coepit falsa aestimatio.	II. 74.
Imaginum usus a quo tempore est.	II. 78.
Imaginum antiquitas.	II. 71.
Indulgentiae quae dicuntur.	II. 108.
Secundum Indulgentiam quis agit.	II. 108.
Intelligentia Scripturae quare in cunctis non est aperta.	I. 64.
Ad intelligendas Scripturas quid necessarium sit.	I. 59.
Intercedunt Sancti, et qua virtute.	II. 19.
Invocatio Sanctorum, quare ante tempora Cornelii non fuit in usu.	II. 37.
Invocandos Sanctos ab exemplis probatur.	II. 31.
Invocatio duplex, sicut duplex cultus.	II. 39.
Ioannes scripsit Evangelium post nonaginta annos vitae suae	

- suae, et post sexaginta quinque annos a Christi Ascensione. I. 19.
 Iustificationis ordo. I. 184.
 Iudicare de Superioribus Inferiores contra naturam est. II. 353.

L

- L** Abores a Scriptoribus antiquis ad intellectum Scripturae percipiendum desudati. I. 57.
 Legatum qui laedit, laedit eum qui misit. II. 344.
 Λατρυγῶ quid proprie significat. I. 223.
 Liberatores inde, unde Salvator. II. 274.
 Libertates quinque continet beneficium Christi. II. 271.
 Littera occidit imprudentem ad se accedentem. I. 61.
 Lucas Evangelium suum scripsit 15. anno a Christo in Coelum sublato. I. 18.
 Lucas Discipulus Christi non fuit. I. 28.
 Lucas ex Traditione Pauli, non per revelationem accepit Evangelium. I. 33.
 Ludificationes Haereticorum. I. 116.
 Lutherani approbant politicum ordinem. II. 265.
 Lutherani iudicium de potestate Episcopi. II. 266.
 Lutherus praedicavit in initio Christianos a quacunque potestate Liberos. II. 269.
 Lutheri confusio. I. 90.
 Lutheri antilogiae. I. 67.
 Lutheri confutatio. I. 92.
 Lutherus similis Montano, et Maximillae. I. 96.
 Quod Lutherani Christi Spiritum non habeant in his quae docent. I. 96.

M

- M** Arcus quorum precibus scripsit suum Evangelium. I. 17.
 Matthaeus scripsit Hebraeis, Marcus Italis, Lucas Graecis, Ioannes omnibus. I. 19.
 Matthaeus Apostolus primus Scriptor fuit in Lege Gratiae. I. 16.
 Tom. I. Ss Ma-

Matthaeus cur haebraice scripsit suum Evangelium.	I. 16.
Martyrum Corpora ferae bestiae veneratae sunt.	II. 48.
Martyrum Corporibus qualis honor olim impensus.	II. 50.
Medicum Episcopum esse oportet.	II. 292.
Secundum ordinem Melchisedech cur modo Christi Sacerdotium manet in Ecclesia perpetuo.	I. 219.
Miracula quaedam facta in certis locis.	II. 42.
Missam celebravit Petrus Antiochiae, et alibi.	I. 224.
De Missae Sacrificio Concilia.	I. 284.
Missa a Communionem Eucharistiae seiungitur.	I. 226.
De Missa decretum Thelesphori.	I. 241.
Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius exp.	II. 30.
Pro Mortuis orare est Divina Traditio.	I. 253.
Mysteria sunt profunda in novo Testamento.	I. 52.

N

N atalitia Martyrum quare celebrantur.	II. 53.
Natalitiorum celebritates Martyrum unde.	II. 52.
Navi quomodo Ecclesia similis est.	II. 201.
Nota Ecclesiae a quibus concessa, et a Lutheranis reiecta.	I. 118.
Nota praecipua verae Ecclesiae.	I. 112.

O

O bediendum Episcopo, et quare.	II. 302.
Obedientiae gradus.	II. 333.
Obedire Sacerdoti nolens quare punitur.	I. 79.
Obediendum Episcopis etiam malis.	II. 340.
Officia Notarii, et Protonotarii.	I. 205.
Oratio Augustini ad Sanctos.	II. 33.
Orationes nostras Sancti intelligunt.	II. 26.
Orationibus Sanctorum, ut iuvenur, Deus supplicandus est.	II. 28.
Orationes Sanctorum ad quid nobis prosunt.	II. 30.
Orationes nostras Sancti ad Deum perferunt.	II. 34.

Ora-

Orationes Sanctorum non derogant merito, et dignitati Christi.	II. 22.
Orare Sanctos pro nobis probatur.	II. 24.
Ordines Sacerdotii.	I. 193.
Ordinis potestas quomodo confertur ex Scriptura.	I. 190.
Ordinum sex gradus.	I. 204.
Pro ordine Sacerdotali auctoritates Scripturae.	I. 187.
Ordinem esse Episcopatum qua ratione probatur.	I. 198.
Ordinandorum lex Syricii.	II. 258.
Ordinationis Episcopi ritus.	I. 201.

P

P astor non est, qui doctrinam non habet qua Gregem pascit.	I. 152.
Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, exponitur.	I. 189.
Patres Orthodoxi in dubiis sunt consulendi.	I. 140.
Paullus quando, ubi, et quo ordine scripsit suas Epistolas.	I. 20.
Paullus communicavit suum Evangelium.	I. 33.
Paulli depositum.	I. 112.
Petrus quando, et ubi scripsit Epistolas.	I. 21.
Pictura praestat cernentibus, quod legentibus scriptura.	II. 69.
Poenitentia publica.	I. 173.
Poenitentia triplex.	I. 174.
Poenitentia est alterum genus baptismi.	I. 175.
Populi non est malum Episcopum eiicere.	II. 346.
Possessio Ecclesiae propria est Scripturarum doctrina.	I. 126.
De potestate Sacerdotum peculiari.	I. 103.
Secundum praeceptum quis agit.	II. 108.
A precibus distinguitur altaris Sacrificium.	I. 252.
Presbyteri Discipulorum LXX. locum tenent, Episcopi Apostolorum.	I. 193.
Presbyteri contemnentis Episcopum poena.	I. 194.
Protestantes unde occasionem accipiunt calumniandi.	II. 443.
Provocantes Haeretici ad Scripturam audiendi non sunt.	I. 103.
Purgatorii probatio ex Patribus.	I. 293.

Q

- Q**uadragesima a quo instituta. II. 151.
 De Quadragesima Canon Thelesphori. II. 152.
 De Quadragesima Canon Apostolorum. II. 152.
 Quadragesimae tempore continentiae vela pandenda. II. 167.
 Quadragesima Divinum praeceptum est. II. 117.
 Quadragesima unde auctoritatem habet. II. 156.
 Quadragesimae necessitas. II. 117.
 Quadragesimae ieiunium probatur ex usu totius Ec-
 clesiae. II. 161.

R

- D**E Reliquiarum veneratione censura regula vul-
 garis. II. 11.
 Revelatione Spiritus Scriptura ut intelligatur opus ha-
 bet, non sapientia hominum. I. 61.
 Rei sunt suae salutis, qui cum infirmi sunt, praesen-
 taneam curam a Deo praescriptam non admittunt. II. 148.
 Rudioribus Hebraei distribuebant quamdam Scripturae
 portionem. I. 74.

S

- A**D Sacerdotium quales eligendi. II. 258.
 Ad Sacerdotium ordinandi. II. 178.
 Sacramentorum quorundam in quibus locis Scripturae
 sit fundamentum. I. 146.
 Sacramentum quare Eucharistia appellatur. I. 249.
 Sacrificantibus qualis honor debetur. I. 236.
 Circa Sacrificium Corporis, et Sanguinis Domini ob-
 servanda. I. 227.
 De Sacrificio Altaris auctoritates Patrum. I. 220.
 De Sacrificii incruenti oblatione. I. 217.
 Sanctis de rebus nostris cura particularis est. II. 25.
 Sanctis Novatores quae denegant. II. 12.
 Sancti Spiritus orationes, et desideria nostra cognoscunt. II. 15.

- Scandalum generat , qui Traditiones contemnit. II. 376.
- Scandala ut eveniant necesse est , et quare necesse sit
ita evenire. II. 448.
- Scripta non inveniuntur omnia ab Apostolis facta. II. 381.
- Scripto contineri non possunt omnia. I. 37.
- Scripta non esse omnia probatur. I. 38.
- Scribi nihil praecepit Christus , sed praedicari tantum-
modo iussit. I. 15.
- Sine scripto verbo Evangelico , sed sola Traditione Ec-
clesia in suis primordiis floruit. I. 16.
- Sine scripto Evangelico Ecclesia fuit plusquam viginti
annos. I. 17.
- Scribuntur non multa ne vilescant. I. 47.
- Modus dicendi quo Scriptura contextitur. I. 64.
- Scriptura non contentum aliquid est admittendum. II. 99.
- Scriptura , quaedam non expressa quae necessario cre-
di debent. I. 42.
- Scripturarum intellectus per orationem habendus. I. 55.
- Scripturae ab aliis etiam , quam a suis Scriptoribus
confirmatae fuerunt. I. 30.
- Scripturam Evangelicam quare credimus esse Divinam. I. 35.
- Scripturae quo spiritu factae sunt , eo legi , et intelligi
debent. I. 56.
- Scripturam non tanti fecit Christus , quam energiam Spi-
ritus Sancti. I. 15.
- De Scripturis tria concurrunt ad iudicium , scilicet,
consuetudo , auctoritas , et fides. I. 31.
- Sine Scriptura Patres primi saeculi Deum coluerunt. I. 11.
- In Scripturis non sufficit aliqua non reperiri , ad hoc ut
reiici debeat. I. 12.
- Sepulchra celebria quorundam Sanctorum. II. 57.
- Sub specie unica laudabiliter servari potest consuetudo
communicandi , licet alia non improbetur. I. 262.
- Sub specie unica caussae introductae Communionis. I. 260.
- Spiritus privatus Ecclesiae non manifestus , aut haere-
ticus est , aut suspectus. I. 100.
- Statutis hominum duo reprehendit Augustinus. II. 367.
- Statuta quae resecanda. II. 365.
- Symbolum Corporis Christi cur adorandum. I. 230.

- Synodus non tenetur omne quod diffinit auctoritate
Scripturae probare. I. 139.
Synodi Generales ad apprehendendam veritatem maxi-
me conducunt. I. 133.
Synodus Plenaria quae dicatur. II. 348.

T

- T**emplorum antiquitas. II. 47.
Templum ornandum qualiter. II. 70.
Thalmudistae pugnant cum Neotericis, et Cabalisticis
in interpretatione Scripturarum. I. 51.
Tractare Scripturas non est omnium. I. 69.
Per Traditionem in Ecclesia quae sunt recepta, obser-
vanda sunt. II. 383.
Traditiones Apostolicae quae. II. 380.
De Traditionibus sensus Lutheri. I. 2.
Traditiones sanctae non sunt omnes aequalis ponderis,
et auctoritatis. II. 358.
Ad Traditionis obtentum non est exigenda auctoritas
Scripturae. I. 8.
Traditio Moysis, et Seniorum est clavis verbi Dei. I. 13.
Traditionum tres fontes. II. 358.
Traditionis definitio. I. 8.
De Traditionibus Scriptura mentionem facit. I. 5.
Traditionum divisio. I. 6.
Traditionum non bonarum summa. I. 10.
Traditiones triplicis differentiae. II. 103.
Traditio quare fuerit servata. II. 46.
Traditionibus diversorum gaudent diversae Nationes. I. 40.
Traditionem non abrogari dicimus adveniente scripta
lege. I. 14.
Traditiones non bonae sunt triplici ex causa. I. 10.
Traditione utendum est, quia non omnia possunt ac-
cipi scriptura. I. 124.
Pro Traditionibus loci Scripturae. II. 445.
Transubstantiationis probatio. I. 277.
Transubstantiationis Ambrosii iudicium. I. 276.
Ve-

V


Venerata loca a Sanctis Patribus.	II. 41.
Vigiliae fiebant olim ad corpora Sanctorum.	II. 35.
Vincula Ecclesiastica contemnat nemo.	II. 300.
Virginitas gloriosa merito est.	II. 191.
Virgines sunt illustrior portio gregis Christiani.	II. 193.
Virgines qui fuerint.	II. 183.
Visibili capite quare Ecclesia visibilis opus habet.	II. 101.
De unctione extrema locis Scripturae.	I. 198.
Voluntas nostra quare abneganda est.	II. 181.
Waldensium haereses.	I. 2.


85
F I N I S.

V

- Venerata loca a Sanctis Patribus. II. 141.
- Vigiliae sepant olim ad corpora Sanctorum. II. 35.
- Vincula Ecclesiastica continentur nomo. II. 300.
- Virginitas gloriosa merito est. II. 191.
- Virgines sunt illustrior portio gregis Christiani. II. 193.
- Virgines plii fuerunt. II. 189.
- Visibili capite quare Ecclesia visibilis opus habet. II. 101.
- De unione eorum locis scripturatur. I. 198.
- Voluntas nostra contra obsequenda est. II. 181.
- Waldensium haereses. I.

FINIS.





ACION UNIVERSITARIA SAN PARLO CEU



7061203

